EPITOME INSTITUTI SOCIETATIS JESU.



PRAGÆ,
Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem.

ANNO M. DC. XC.

PATRIBUS SOCIETATIS.

COmpendium nostri Juris, jubente P. N. CAROLO DE NOYELLE confectum, P. N. THYRSO GONZALEZ imperante jam prodit. Ut diu expetitum opus emendatiſſimum haberetis, nihil operoſæ diligentiæ prætermiſſum; quare, ſi aliquando deerratum, humanæ id infirmitati, non voluntariæ ſocordiæ tribuendum. Ceterùm ſcribendi forma non temerè ſuſcepta eſt: nam eam P. De NOYELLE, adhibi-

hibitis in Consilium PP. Assistentibus, expendit, approbavítque. Horum igitur sententiâ factum; ut in Epitomen, non constitutiones modò, & Decreta, sed Regulæ omnes, Ordinationes, Instructionésque impressæ redigerentur; abstineretur verò ab Epistolis paræneticis Generalium, Industrijs P. Claudii, Directorio Exercitiorum, & ferè prorsus à Privilegijs Apostolicis, & manuscriptis Ordinationibus, Responsísque Generalium. Partitio placuit maximè affinis Constitutionum methodo: in quibus scribendis S. P. IGNATIUS, non dignitatis, sed temporis, quo singula gererentur, rationem se habiturum in ipso Operis vestibulo professus est. Styli discrepantiam nullus mirabitur, qui meminerit non hìc quærendum æquabilem sermonis tenorem, ubi auctoritas legum expetitur; quæ nu-

tat

tat, ſi verbis originarijs ſpolietur. Quare non ſententia modò, ſed phraſis ipſa primorum Auctorum ſervata eſt, quantum Compendij natura patitur; ùt margini adſcriptæ notæ ſunt teſtes. Faxit DEUS, ut quo ſtudio exoptatus hic Liber eſt, eodem à ſingulis in uſum deducatur: nec parabilior modò in poſterum Inſtituti noſtri ſcientia ſit; ſed praxis ipſa proclivior: optimáque Legum Societatis Epitome habeatur in moribus Sociorum.

INDEX
Partium, Capitum, & Sectionum.
PARS PRIMA.
De Novitijs.

PARS SECUNDA.
De Scholasticis.

PARS TERTIA.
De Professis, & Coadjutoribus Formatis.

Sect. I.

Sect. I.

PARS QUARTA.

De Medijs, quibus Socij omnes ad propriam perfectionem diriguntur.

PARS QUINTA.

De Medijs, quibus Societas utitur in Proximorum utilitatem.

logiæ

PARS SEXTA.

De Præposito Generali.

CAPUT

PARS SEPTIMA.

PARS OCTAVA.

Explicatio Notarum, quæ leguntur in margine.

Ex. c. 4. §. 46. *Examinis Generalis cap. 4. §. 46.*
P. 4. c. 3. §. 4. & B. *Constitutionum parte 4. capite 3. §. 4. & litera B. quæ Annotationis locum designat.*
C. 2. D. 9. *Congregation 2. Decreto 9. juxta ordinem impressorum.*
C. 9. Act. 60. *Congregationis 9. Actione 60. ex Actis nempe manuscriptis.*
Comp. Pr. V. Sacr. *Compendium Privilegiorum in Verbo Sacramenta.*
R. Rect. 20. *Regula Rectoris 20.*
St. R. Rect. 4. *In Ratione studiorum Regula Rect. 4.*
Or. c. 18. P. 1. §. 1. *Ordinationum cap. 18. parte 1. §. 1.*
In. 3. §. 5. *Instructionis 3. §. 5.*
Cl. c. 2. tit. 2. §. 3. *P. Claudij Instructio ad Superiores cap. 2. tit. 2. §. 3.*

Ex his reliquas Interpretator.

Quando citantur paginæ, numerandæ juxta impressionem Instituti Antuerpiensem Anno 1635.
Sicubi leges Append. *intellige Appendicem Instituti editam An. 1665. Antuerpiensem inscriptam.*

PROOE-

PROOEMIUM,
Quo indicatur Operis Institutum.

1.

Religio Societatis JESU, constans ex Presbyteris Regularibus, à S. IGNATIO Lojola fundata est, & à Sede Apostolica approbata; non solùm ut saluti, & perfectioni propriarum animarum cum Divina gratia vacaret: sed ut cũ eadem impensè in salutem, & perfectionem proximorum incumberet. (*a*)

Societatis Iesu Institutio.

Finis.

a Paul.III.p.9. &c. & Jul. III. p. 57. &c. & Ex. c. 1. §. 1. 2. &P.4.Prooem. & P. 10. §. 2.

2. Nomen Societatis JESU, quo primùm hic Ordo à Sede Apostolica insignitus est (*b*), olim ab aliquibus vocatum in controversiam, Pontificio Statuto, perpetuis temporibus futuris in ea retinendum. (*c*)

Nomen.

b Paul.III.p.9. & Iul.III.p.66. & alij, & Ex. c. 1. §. 1.

c Greg. XIV. p. 283.

3. Ipsam verò Societatem, quamvis conservatura ac promotura speretur Divina Sapientia ac Bonitas, ex parte verò Sociorum interna charitatis lex, quam Spi-

Ejus Constitutionum necessitas.

 ritus

ritus Sanctus in cordibus ſolet imprimere, oportuit tamen ſcriptis legibus dirigi, quibus meliùs ad ſuum finem conſequendum juvaretur. (*d*)

d P.1. Procem.

Harum Epitome conficienda.

4. Quod cùm abundè ſit præſtitum, non modò Pontificijs, & S. Patris Conſtitutionibus, ſed etiam Congregationum Decretis, aliíſque permultis Regulis Inſtructionibúſque, quæ pluribus ſparſa voluminibus, non ſervato ferè materiæ ordine, ſed potiùs temporis, quo ſunt edita, vix lectione aſſequi, nedum memoriâ retinere quis valeat: occurrendum huic intinere quis valeat: occurrendum huic incommodo cenſuit Congr. 12. quæ annuens plurium Provinciarum Poſtulato decrevit; ut Jus Societatis in Epitomen eo, quo par fuerit, ordine redigeretur (*e*): ejúſque jam confectæ editionem Congregatio tertiadecima imperavit. Jam igitur, quibus partibus Societatis Jus conſtet; & quam earum ſingulæ auctoritatem obtineant, præmittendum eſt.

e Congr. 12. D. 56. §. 1. & Con. 13. Act. 11.

Conſtitutiones Apoſtolicæ.

5. Primum, citra controverſiam, ùt dignitatis, ità & auctoritatis gradum occupant Apoſtolicæ Conſtitutiones; quarum ùt ſumma eſt in Eccleſia vis, ità multò maximè in Societate, quæ peculiari obſequio inſervire, & obedire debet Summo Pontifici. (*f*)

f Paul. III. p. 10 & Jul. III. p. 62. & P. 6. c. 1. §. 1. & P. 7. c. 3. §. 1. & P. 10. B.

6. Se-

6. Secundo loco censeri debent Constitutiones S. P. IGNATII: quibus comprehendimus non modò decem Constitutionum partes, sed etiam Examen Generale, eorúmque Declarationes margini appositas: namque hasce paris esse cum prioribus auctoritatis Sanctus Fundator voluit. (*g*)

Constitutiones S. Patris.

g Procem. Declar. & P. 6. c. 1. A.

7. Scripsit igitur ea omnia Sanctus IGNATIUS juxta facultatem sibi, ùt Præposito Generali, tributam à Summis Pontificibus; qui approbantes oblatam Formulam, seu Regulam Societatis, particulares præterea Constitutiones condi indulserunt (*h*). Sed quia ea facultas non soli Præposito Generali, sed reliquis etiam Socijs concedebatur; noluit S. Fundator Constitutiones esse ratas, donec à Congregatione Generali confirmarentur; ùt factum est (*i*). Accessit ijsdem amplissima confirmatio Pontificum, ex motu proprio, certáque scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine: quæ confirmatio præterea complectitur omnia Statuta, ac Decreta Societatis concernentia ipsius Institutum. (*l*)

Earum Confirmatio.

h Paul. III. p. 10. & 16. & 22. & Jul. III. p. 62. & P. 4. c. 10. §. 2. & C. 4. D. 19. & C. 7. D. 76.

i Congr. 1. D. 15.

l Greg. XIII. p. 220. & Greg. XIV. p. 280. & Paul. V. p. 310.

8. Prædicta Societatis Institutum, Constitutiones, & Decreta nullus directè vel

Pœna cōtra earum impugnatores, & privatos interpretes.

vel indirectè impugnare poteſt ſub pœna excommunicationis, aliiſque pœnis ipſo facto incurrendis (*m*). Diſtrictiùs etiam inhibetur, nè quis ſive extra, ſive intra Societatem, niſi de illius Superiorum licentia, præſumat ſuper ijſdem facere Declarationes, Gloſſas, ſeu eas legere, alijs tradere, apud ſe retinere. (*n*)

m Greg. XIII. p. 238. & Gre. XIV. p. 284.

n Greg. XIII. p. 238. & Jul. III. p. 62. & C. 6. D. 18.

Quæ Scholia permiſſa.

9. Et quamquam Scholia quædam aliquibus Conſtitutionum locis addenda olim cenſuerit Congregatio Generalis (*o*): poſtmodum conſultius viſum eſt non eſſe facienda: cùm multa Dubia Conſtitutionum per Decreta ſequentium Congregationum, & Declarationes Præpoſitorum Generalium, & Regulas emendatas ſublata fuiſſent. (*p*)

o Congr. 1. D. 51. & Cong. 2. D. 42.

p Congr. 4. D. 34.

Et quam vim habeant.

10. Advertendum tamen eſt, Declarationes Conſtitutionum & Decretorum generalium poſſe quidem facere Præpoſitum Generalem auctoritate ſuâ ordinariâ; ſed eas non habere vim Legis univerſalis, tantúmque valere ad praxim bonæ gubernationis: cùm Congregationis Generalis, cujus eſt leges condere, ſit etiam eas hoc modo declarare (*q*). Scholia verò P. Natalis, quæ manuſcripta circumferuntur, ad directionem tantùm, ſinè ulla obligatione,

q Paul. III. p. 10. & 16. & Jul. III. p. 62. & Cong 4. D. 19. & C. 7. D. 76.

ne, adhibenda ſunt (r); párque judicium eſto de ejuſdem Patris Admonitionibus, quæ Provincialibus communicandæ. (s)

r Congr. 2. D. 42.

s Congr. 2. D. 57.

11. Sed ut Conſtitutionum S. Fundatoris integritati, & conſervationi maximè caveretur: primò illæ accurato plurium Seſſionum examine in Congregatione Generali ſunt recognitæ (t). Secundò probatum eſt quoddam exemplum earum ex Autographo S. IGNATII exſcriptum, ſubſcriptione Secretarij & ſigillo Societatis munitum (u); rurſúſque aliud, quod offerebatur eadem approbatione conſignari mandavit Congregatio generalis (x). Tertiò, quia prædictum Autographum erat ſcriptum Hiſpano Idiomate: verſio ejus Latina, poſt diligentem ſæpiúſque repetitam collationem cum Autographo probata eſt; & ſtatutum, ut pro Communi & Vulgata in tota Societate haberetur (y). Et quia hæc ipſa poſtremò probata verſio, atque edita, nè diſcreparet ab Autographo, dicebatur egere novâ animadverſione, hæc P. Generali commiſſa eſt, expendenda poſtea à generali Congregatione (z). Ad Autographum porrò Hiſpanum, quod conſervandum eſt,

Conſtitutionũ autographum, & verſio authentica.

t Cong. 1. à D. 10. uſq; ad 78.

u Congr. 1. D. 78.

x Con. 5. D. 61.

y Congr. 1. D. 79. & C. 2. D. 52. & C. 3. D. 26. & 34. & C. 4. D. 8. & 33. & 50. & C. 5. D. 76.

z Congr. 5. D. 76.

si qua in re P. Generali & Congregationi generali videatur, pro explicatione Vulgatæ Latinæ recurri potest. (*a*)

a C. 3. D. 26.

Nullæ expungendæ.

12. Quod si contingeret aliquas Constitutiones, ratione temporum, vel alias ob causas in praxi non esse; non propterea expungendæ sunt: ut quales à S. Fundatore accepimus, tales inviolatæ ad posteros transmittantur; notandum tamen est aliqua ratione, quod non observandum esse Congregatio judicaret. (*b*)

b C. 3. D. 23.

De substantialibus mutandis nec licet agere.

13. Cùm autem habeat Societas facultatem non modò Constitutiones novas condendi, ùt suprà dictum est, sed etiam cassandi jam conditas, & immutandi; & quas immutari contigerit, eo ipso confirmatæ Apostolicâ auctoritate censeri debeant (*c*): nè hujus facultatis usus aliquando esset immodicus: decretum est, non solùm in universum non esse agendum, sed nec particulatim de Constitutionibus substantialibus nostri Instituti mutandis (*d*). Et si quis, quocumq; prætextu, in Congregationibus provincialibus audeat de hujusmodi rebus verba facere, aut alibi etiam de ijsdem quæstionem instituat, seriò à suis Superioribus corripiatur & corrigatur (*e*). Quin etiam pœna

c Paul. III. p. 2.

d C. 1. D. 16. & C. 2. D. 6. & Form. Con. Gen. §. 66. & 68.

e C. 4. D. 26. & Form. Con. Provin. §. 44. 45.

pœna à P. N. ſtatuenda eſt in eos, qui aliquid propoſuerint contra ea, quæ ſubſtantialia Inſtituti ſunt: ſive cùm certum eſt ea, quæ proponunt, hujuſmodi eſſe; ſive cùm, síntne talia, dubitatur: licet tamen de omnibus declarationem petere (*f*). Tunc verò in Congregationibus Provincialibus res dubia cenſenda eſt; quando vel unus Deputatorum affirmaret rem propoſitam eſſe de ſubſtantialibus Inſtituti, ídque in ſubſtantialium favorem. (*g*)

f C. 1. D. 16. & C. 6. D. 12. & Form. Con. Prov. §. 44. & Cong. Gen. §. 66. & 68.

g C. 6. D. 19. §. 3. & C. 7. D. 35. & Form. Con. Prov. §. 45.

Quænam ſint ſubſtantialia Inſtituti.

14. Subſtantialia porrò ſunt in primis, quæ in Formula, ſeu Regula Societatis à Julio III. confirmata continentur (*h*). Deinde ea, ſinè quibus illa, aut nullo modo, aut vix conſtare poſſunt, quorum aliqua enumerantur in Congr. 5. Decr. 58. Neque enim conſultum eſt omnia explicare; cùm præſertim Generales Præpoſiti ea pro tempore ad praxim declarare poſſint. (*i*)

h Jul. III. p. 60. &c.

i C. 5. D. 44. 45. & 58. & C. 7. D. 40. & Fo. Co. Gen. §. 68.

De alijs Conſtitutionibus quatenus agere liceat in Congregationibus.

15. De alijs verò Conſtitutionibus non ſubſtantialibus tractari quidem poſſe definitum eſt; ſed ſinè experimento, & ratione clariſſima nihil immutandum (*l*), & ſolùm ad plura medietate ſuffragia in Congregatione Generali (*m*). Sed poſtmo-

l C. 1. D. 16.

m C. 2. D. 7.

modum ut magìs obviàm iretur aliquibus, mutationem Conſtitutionum Generali Congregationi facilè proponentibus (rem ſanè periculi plenam, & quæ viam munit non ſolùm ad contemptum Conſtitutionum noſtrarum, quas ùt ſanctas à B. P. N. tot lachrymis, & orationibus conditas venerari debemus, ſed etiam ad aliam ſenſim Religionem condendam:) decretum eſt, ut de Conſtitutionibus immutandis non liceat in Congregatione Generali tractare, niſi ad plura medietate ſuffragia tractandum ſtatuatur; ipſa verò deliberatio, & Decretum non fiat, niſi ad duas tertias partes: & in abrogatione alicujus veteris Conſtitutionis, vel novæ inſtitutione, duæ interceſſiones permittuntur (*n*). At ex Congregationibus Provincialibus nulla poſthac quidquam proponat, quo tollendæ, aut immutandæ ſint Conſtitutiones, immò & Decreta Congregationum Generalium: niſi ad duas tertias partes viſum fuerit eſſe proponendum. Tum verò non petatur abrogatio, aut immutatio, ſed ſolùm incommoda proponantur ex eis provenientia, petatúrque remedium. (*o*)

n C. 1. D. 9. & C. 6. D. 11. & For. Con. Gen. §. 68. & 73.

o C. 6. D. 3. & Form. Con. Prov. §, 46.

16. Poſt

16. Post S. Fundatoris Constitutiones proximum locum tenent Decreta Congregationum Generalium. Immo æquè de utrisque non immutandis cautum est Legibus suprà citatis. Hìc tamen notandum vim obligandi in futurum non inesse Decretis, quæ fiunt ante electionem Præpositi Generalis; nisi post eam peractam à Congregatione confirmata fuerint (p): ac propterea in operis decursu, cùm citantur Decreta, ea veniunt, quæ Generalis electionem subsecuta sunt. Decretis adjungimus Formulas Congregationum; eò quòd auctoritate Congregationum Generalium confectæ sint, ùt suis locis indicabitur.

Decreta Congregationum Generalium.

p Paul. III. p. 10. & Jul. III. p. 62. & P. 8. c. 7. & C. 1. D. 115. & C. 2. D. 51. & C 3. D. 4. & 33. & Form. Congr. Gene. §. 19.

17. Sequuntur Regulæ paulò minorem à Decretis auctoritatem nactæ, ùt colligitur ex Decr. 76. Congreg. 7. Eas condere nullus Superiorum, præter Generalem, potest. (q)

Regulæ.

q C. 1. D. 133. & 143. & C. 4. D. 19.

Cæterùm cùm plurimæ Regulæ, ùt Summarium, aliæque non paucæ tum communes, tum particulares Officiorum ex constitutionibus desumptæ sint, vim priorem retinent. Supponuntur etiam sæpius in Constitutionibus observandæ Regulæ, seu Ordinationes, quæ accom-

r P. 1. Proœm. Decl. & P.4.c. 7. §. 2. & C. & c. 10. §. 6. & P. 6. c. 3. §. 3. & P.7. c. 4. §.12. & P. 9. c. 6. l.

modatæ Perſonis, ac locis particularibus, uniformitate tamen, quoad ejus fieri poterit in omnibus ſervata, conſcribendæ ſint. (*r*)

s P. 6. c. 3. §.3.

t C. 3. D.21. & C. 4. D.22. C. 1. & D. 133. & C. 2. D. 57.

Ex hujuſmodi verò Regulis cùm ad ædificationem ſuam, & aliorum, eam partem obſervare debeant Profeſſi, & Coadjutores formati, quæ ipſis judicio Superioris imponetur (*s*); declaratum eſt, eos teneri Regulis communibus Societatis & locorum, in quibus degunt. (*t*)

Ordinationes Præpoſitorum Generalium.

u C. 7. D. 81.

18. Extant præterea Ordinationes Generalium in peculiarem libellum contractæ, juſſu Congregationis Generalis, quæ tamen voluit illis eam tantùm vim ineſſe, quam reliquæ Generalium Ordinationes habere conſveverunt. (*u*)

Inſtructiones.

x C. 7. D. 81.

19. Poſtremo loco Inſtructiones collocantur, quæ directionis tantùm vim retinent. (*x*)

PARS

PARS I.
De Novitijs.
CAPUT I.
De Impedimentis Admittendorum.
SECTIO I.
Necessitas magni delectûs in Admissione.

1.

Cùm Societas JESU ad omnium salutem ac perfectionem impensè procurandam instituta (ùt proximè dictum est) suæ vocationis pondus grave, & ingentis debiti solutionem illud subeuntibus imponat (*a*): necessarium est magnum delectum haberi Admittendorum, & diligentiam adhibere, ut intelligatur, quæ eorum sint dotes, & vocatio. (*b*)

Arduitas finis Societatis.

a in Formula. Paul. III. p. 11. & Jul. III. p. 63.

b P. 1. c. 1. §. 3.

2. Multitudo enim magna, & turba eorum, qui vitia sua non bene domuerunt, ùt Ordinem nòn fert, ità nec Unionem,

Non promiscua turba admittenda.

nem, quæ in Christo Domino nostro tam necessaria est; ut bonus Status, ac procedendi modus in hac Societate conservetur. Hoc autem non excludit numerum licèt magnum: immo ad propositum finem convenit, numero augeri operarios idoneos; & qui hujusmodi essent, turba existimari non deberent; sed potiùs gens electa, tametsi magna ea esset. (*c*)

c P. 8. c. 1. §. 2. & B. & P. 1. c. 1 §. 3. & C. & Reg Exam. 2. & R. Prov. 33.

SECTIO II.

De Impedimentis primariò excludentibus à Societate.

1.

Impedimenta essentialia, & irritantia.

AD convenientem igitur delectum eorum, qui Societati adscribendi sunt, primò investigandum est, an obsit aliquod ex ijs Impedimentis, cum quorum aliquo nemo in Societatem admitti potest; ità ut in his nec Generalis Præpositus, nec Societas universa dispensare possit (*d*). Quare hæc Impedimenta essentialia dici debent (*e*), & irritantia emissionem votorum simpliciū, & quamcumque sequentem Professionem. (*f*)

d Ex. c. 2. §. 6. & A. & P. 1. c. 3. §. 2. & G.

e Con. 5. D. 52.

f C. 7. D. 42.

Si deprehendatur in aliquo eximiè ornato, quid agendum?

2. Cæterùm si in quopiam aliquo ex prædictis impedimentis affecto, cernerentur illustriora DEI dona: non dimit-

ten-

tendus ab Examinatore esset, donec rem cum Superiore contulisset (g). Immo si taliter ornatus Summo Pontifici, vel ejus Nuntio; vel Summo Pœnitentiario supplicaret, sibi concedi ingressum in Societatem, Præposito ejus Generali non repugnante; posset idem Præpositus consensum ad admittendum præstare: dum tamen ostium non multis, immo nulli, qui raris dotibus non sit præditus, aperiatur. (h)

g Ex. c. 2. D. & Reg. Prov. 35. & Exam. 7.

h P. 1. c. 3. G.

3. Descendendo autem ad hæc essentialia Impedimenta in particulari, quæ ad quinque capita revocantur. Nullo modo sunt admittendi. 1. qui recesserit à gremio Sanctæ Ecclesiæ, fidem abnegando inter Infideles, vel incidendo in errores contra eam, in quibus reprobatus fuerit per sententiam publicam, etiam ùt suspectus hæresis; aut tanquam schismaticus se ab Ecclesiæ unitate sejunxerit (i). Et quamvìs per publicam sententiam quis condemnatus non fuerit: si tamen error ejus publicus extitisset, ac vehementer suspectus esset; &, quod in judicio conveniri posset, timeretur, admitti non debet. Verùm hoc judicium Præposito Generali relinquatur (l). Advertendum, Schisma &

1. Impedimentum infidelitas.

i Ex. c. 2. §. 1. & P. 1. c. 3. §. 3.

l P. 1. c. 3. A.

& Hæresim censeri inter hæc Impedimenta, quando sunt peccata particularia personæ, non autem generalia Patriæ. (*m*)

m P. 1. c. 3. B.

2. Impedimentum Homicidii & infamia ob enormia peccata.

4. Pari modo 2. loco excluduntur, qui homicidium perpetraverint, vel perpetrari cum deliberatione jusserint, si effectus est consecutus: aut si publicè infames propter enormia peccata fuerint (*n*). Si autem dubitaretur, an homicidium sit, necne, dijudicent Præpositi Generales; nec se faciles in hujusmodi dubijs exhibeant (*o*). Super homicidio verò casuali, sed voluntario, consulatur P. Generalis (*p*). Quod attinet ad infamiam, adverte impedimentum esse, ubi quis enormiter peccando infamiam contraxisset. Si autem procul esset ab eo loco, támque seriò resipuisset, ut de eo nihil timendum videretur, posset in Domino admitti. Quamvìs Societas in ejusmodi hominis probatione magìs circumspectè procedere debet. Qualia verò sint, vel non sint ejusmodi enormia peccata, judicet Præpositus Generalis (*q*).

n Ex. c. 2. §. 2. & P. 1. c. 3. §. 4. & C.

o P. 1. c. 3. C.

p Con. 11. Act. 31.

q Ex. c. 2. C. & P. 1. c. 3. D.

3. Impedimentum, Habitum gestasse Religiosum.

5. Non admittitur 3. qui habitum sumpserit alicujus Religionis Fratrum, vel Clericorum, vitam aliquando in obedientia

cum

cum eis agendo, etiam non emissa Professione; vel qui eremita cum vestibus monachalibus fuerit (*r*); & quidem ad hoc Impedimentum contrahendum sufficit habitum gestasse vel unum diem; eo tamen animo, ut sit Religiosus (*s*). Quoto autem anno ætatis debeat quis habitum regularem sumpsisse; ità ut si id contigerit in ætate puerili, censeri tamen is debeat impeditus: non est determinatum, sed mandatum P. Generali pro singulis casibus statuendum (*t*). Quem etiam consulere oportet, ubi quis minùs, quàm uno die, gestasset prædictum habitum (*u*). Certum verò est non hìc comprehensos, qui professi sunt ordinem militarem, vocatum Christi (*x*), nec eos, qui è Societate egressi, votis non soluti, postmodum habitum alterius Religionis induti fuerint (*y*). Comprehenduntur autem FF. Capellani Ordinis S. Joannis Hierosolymitani. (*z*)

r Ex. c. 2. §. 3. & P. 1. c. 3. §. 5.

s P. 1. c. 3. E.

t Con. 11. Act. 36.

u Con. 11. Act. 43.

x Con. 1. D. 129.

y P. 2. c. 4. B.

z Con. 13. D. 7.

6. Obstat 4. vinculo Matrimonij consummati, vel Servitutis legitimæ ligatum esse (*a*). Quando verò hoc vinculum solutum esset, quòd à Domino, vel à Conjuge facultas concederetur, observatis alijs circumstantijs, quæ juxta sanam doctrinam,

4 Impedimentum, vinculum matrimonij, vel servitutis.

a Ex. c. 2. § .4. & P. 1. c. 3. §. 6.

b P. 1. c. 3. F. nam, & usum Sanctæ Ecclesiæ solent observari, Impedimentum esse desinet. (*b*)

5. Impedimentum, Judicium læsum.

7. Quintum Impedimentum est Infirmitatem pati, unde obscurari, vel parum sanum judicium ei reddi soleat, vel dispositionem notabilem ad hujusmodi infirmitatem habere. (*c*)

c Ex. c. 2. §. 5. & P. 1. c. 3. §. 7.

Quomodo in examine super his procedendum?

8. Jam si aliquod ex his Impedimentis in quoquam detegeretur, non est quod ulteriùs in interrogationibus procedatur; sed qui Examinatoris officio fungitur, quoad ejus fieri poterit, eundem consolando dimittat; nisi illustriora DEI dona haberet, ùt suprà dictum est (*d*). Cæterùm in horum examine primò decenter interrogandum est (*e*); secundò non ùt Impedimenta proponenda, donec veritas eliciatur; nè qui examinatur, præ desiderio ingrediendæ Societatis, accipere occasionem possit veritatis celandæ; & nihilominus admoneri Confessarium oportet, ut si quis verè non respondisset, ejus conscientiam de ea re exstimulet. (*f*)

d Ex. c. 2. §. 7. & Reg. Ex. 7.

e P. 1. c. 4. §. 3.

f Ex. c. 2. A. & Reg. Ex. 6.

Reticuisse aliquid grave in examine est peccatum reservatum.

9. Ubi notandum est, reticuisse Impedimentum excludens in examine, vel in eo mentitum esse, unde grave aliquod incommodum oriri possit, esse peccatum in Societate Superiori reservatum. (*g*)

g Ex. c. 3. A. & Con. 5. D. 51.

10. De-

10. Desideratum etiam est, ut omnis cognitio indagandæ veritatis in celatis in Societatis ingressu quibuslibet impedimentis, malitiâ nimirum, an ignorantiâ id contigisset; útque punitio etiam illorum, qui studio illa celassent; pro delicti hujus, atque aliorum in Societate commissorum qualitate, ad eandem solam pertineret; & statutum, ut in id facultas à Summo Pontifice peteretur. (*h*)

Cognitio juridica hujus delicti.

h Cong. 7. D. 43.

11. Pleraque ex dictis servanda etiam sunt in Impedimento Originis, quod licèt non recenseatur inter essentialia, tamen definitum est, esse indispensabile, etiam à Generali. Tale autem Impedimentum est traxisse originem ex Hebræis aut Saracenis (*i*). Quamvis enim Societas juxta sui Instituti finem, omnia hominum genera complectatur, ut eorum serviat utilitati spirituali: non tamen necesse est, ut suos ministros ex quolibet hominum genere desumat. (*l*)

Impedimentum Originis indispensabile.

i Con. 5. D. 52. & 53.

l P. 1. c. 3. §. 1.

12. Sed advertere oportet prædictæ sanctioni aliquam mox seu declarationem, seu moderationem fuisse adhibitam: ità ut exclusis ijs, qui Morisci in Hispania vocantur, vel alijs quibuscunque, qui Christiani, quasi specie tenus, haberen-

Ejus mitigatio.

rentur; itémque ijs, qui hoc nomine generationis Hebræorum, seu Saracenorum infames habentur; in cæteris, qui alioqui essent honestæ familiæ, & nominis, informationes fierent usque ad quintum gradum inclusivè; in quibus, (quæ secretò, & exactè tamen fierent) sicuti non est habenda ratio cujuscunque rumoris, aut cujuspiam asserentis se aliquid inaudisse; ità si constans fama haberetur, tales hac macula notatos, unde offendiculo, & dedecori esse possent, non essent admittendi. Probationes itaque certæ, & fide dignæ habendæ erunt, ut aliquis usque ad eum gradum excludatur. Ultra hos verò gradus, nisi sit talis infamia, quæ publicè constet, non est censendum impedimentum aliquod, aut ulteriùs inquirendum. De Tartaris autem & Mahumetanis alijs, committitur Patri Generali, ut possit dispensare intra prædictos hos gradus, cùm cesset in his ratio infamiæ. (*m*)

m C. 6. D. 28.

SECTIO III.

De Impedimentis secundariò excludentibus.

Quatenus hæc secundaria Impedimenta obstent.

I.

SI nullum ex proximè relatis obstaret Impedimentum, ulteriùs in interrogatio-

gationibus progrediendum eſt. Et ſi quid erit, quod ſecretum requirat, id obſervabitur, ùt par erit. Hæc autem ſecundaria Impedimenta, quamvìs ſingula à Societate non excludant; quodvis tamen ex his tanti momenti eſſe poſſet, ut non expediret cum eo quemquam admitti. Sed quia accidere poſſet aliquem hujuſmodi defectum alijs præclaris DEI donis compenſari; id diſcernendum prudentiæ ejus, qui admittendi facultatem habet, relinquitur: cujus etiam erit in hujuſmodi caſibus diſpenſare. (*n*)

n P. 1. c. 3. §. 8. & 16. & H. & R. Prov. 36.

Quanã in particulari reſpectu omniũ quæ ad interiora attinet.

2 Secundaria verò Impedimenta hæc numerantur: primò quoad interiora attinet. Paſſiones, quæ domari non poſſe videantur; vel peccatotum habitus, de quibus non magna emendatio ſperetur. Intentio minùs recta ad Religionis ingreſſum; ùt quæ cum humano aliquo fine ſit conjuncta. Inconſtantia, vel remiſſio animi notabilis. Indiſcretæ devotiones, quæ in cauſa eſſe ſolent, ut aliquis in illuſiones, & non exigui momenti errores incidat. Literarum ignorantia, vel ingenij aut memoriæ ad eas addiſcendas, vel lingvæ ad explicandum defectus; quæ poſtrema obſervanda in illis, qui præſeferunt inten-

tionem, vel desiderium ulteriùs progrediendi, quàm solent Coadjutores Temporales. Judicij defectus, vel notabilis in proprio judicio obduratio, quæ omnibus Congregationibus multùm solet facessere negotij (*o*)

o P. 1. c. 3. §. 9. usque ad 15.

Quoad exteriora.

3. Obstant secundò in exteriori homine defectus in integritate corporis, morbus, debilitas, vel notabilis deformitas; quæ sive contingat à natura, sive ab aliqua externa causa, semper minimè juvat ad ædificationem proximorum, quibuscum ex Instituti nostri ratione versamur (*p*).

p P. 1. c. 3. §. 15. & I.

De Ætate.

4. Ætas etiam valdè tenera, aut nimis provecta. Et illa quidem censenda est minor 14. annis, ut quis ad Probationem, aut 25. ut ad Professionem admittatur, nisi peculiaribus de causis Præposito Generali antevertendam esse videretur (*q*). Immo sinè ejus dispensatione, si aliquis admissus fuerit ad Probationem ante 15. aut ad Vota Societatis ante 17. annos expletos: irritum est defectu potestatis, quidquid, etiam auctore Provinciali, fuerit factum (*r*). Quamquam prima Renovatio Votorum post annum decimum septimum expletum facta habet vim primæ

q P. 1. c. 2. §. 12 & c. 3. §. 15. & K.

r Con. 8. D. 35. & Reg. Prov. 36.

Nun-

Nuncupationis, ac supplet quoscunque prædictos defectus (*s*). Biennium autem Novitiatûs tunc solùm fuit validè inchoatum, quando ille annum ætatis suæ decimum quintum explevit. (*t*)

s Con. 8. D. 22.

t Con. 12, D. 13.

Æs alienum, & Majoratus.

5. Demum æs alienum, naturales aut civiles obligationes obesse possunt, nè quis recipiatur, propter ædificationem & jura, quæ diligenter attendenda sunt (*u*). In quorum etiam gratiam statutum est, nè qui in Hispania gaudent jure Majoratûs, recipiantur sinè facultate P. Generalis, iísque dotibus fulti, quæ spem faciant promoveri post biennium posse, juxta Constitutiones, ad Professionem trium votorum, prævia voluntate P. Generalis; & nisi qualitas Majoratûs ea sit, cujus abdicationi firmandæ promotio ad Sacrum Ordinem sufficiat (*x*). Si quid tamen hoc in genere contrà fieret, non invalida esset Admissio. (*y*)

u Ex. c. 3. §. 2. &c. & P. 1. c. 3. §. 15. & L.

x Con. 5. D. 18.

y Cong. 11. D. 26.

Ad horũ examen quomodo progrediendum est.

6. Igitur, qui Examinatoris officio fungitur, ubi nullum ex substantialibus Impedimentis adesse cognoverit, pergat interrogando; An decreverit seculum relinquere, quibus de causis, & quando primùm hæc ei desideria in mentem venerint? An à quoquam, præsertim à nostris,

primùm ad id motus fuerit? Num deliberatum habeat animo propositum vivendi, & moriendi in Domino in hac Societate (z)? Postea Examinator interroget super prædictis secundarijs Impedimentis, juxta regulas sui officij, & Exam. gen. c. 3. videndæ etiam Reg. Provin. de Admittendis pag. 39.

z Ex. c. 3. §. 13. 14. & Reg. Examin. 8. &c.

CAPUT II.

De Dotibus positivis Admittendorum.

Magis apti, qui magis insignes, & noti.

IN universum loquendo, quò pluribus DEI donis naturalibus, & infusis præditi ad promovendum, juxta Societatis Institutum, divinum servitium, & quò certioribus experimentis perspecti fuerint: eò magis idonei erunt, ut in eam admittantur (a). Contrà non expedit admittere inutiles Congregationi, licèt ipsissimet non inutile foret admitti (b). Convenit igitur cooperari vocationi divinæ, ut augeatur in Societate numerus Operariorum in Vinea Christi Domini nostri: sed etiam considerari oportet, nè quis admittatur, nisi qui donis illis DEI præditus sit, quæ hoc Institutum exigit (c).

a P. 2. c. 2. §. 1.

b P. 1. c. 2. §. 4. & c. 3. §. 16.

c P. 1. c. 1. §. 4. & c.

SE-

SECTIO I.

De Scholasticis.

1.

AT qui ad juvandam Societatem in rebus spiritualibus in Societatem admittuntur, quoad animum attinet, polleant doctrinâ sanâ, vel aptitudine ad eam addiscendam, & in rebus agendis discretione, vel certè indole boni judicij, & memoriâ (*d*). Sint præterea universæ virtutis & perfectionis spiritualis studiosi, quieti, constantes, strenui in rebus divini servitij, & zelo animarum incitati ad nostrum Institutum amplectendum (*e*).

Quid desiderandum in Scholasticis quoad animum.

d Ex. c. 5. & P. 1. c. 2.

e P. 1. c. 2. §. 8.

2. Quoad corpus pertinet: specie honesta, bona valetudine, ac viribus, quibus ferre possint nostri Instituti labores. Exoptanda etiam in eis sermonis gratia, ad agendum cum proximis pernecessaria. Ætas, ùt proximo capite dictum est, debet excedere 15. annum, nec superare 50. Nam qui aut illum non expleverint, aut hunc excesserint, à Provinciali recipi non possunt. (*f*)

Quid in ijsdem quoad corpus & bona externa.

f P. 1. c. 2. §. 9. 10. 11. 12. & Reg. Prov. 36.

Dona externa nobilitatis, divitiarum, bonæ famæ, & similia, ùt non satìs sunt, si desint alia; ità cùm alia suppetent, hæc

non erunt necessaria; quatenus tamen ad ædificationem faciunt, reddunt magìs idoneos, ut admittantur. (*g*)

g P. 1. c. 2. §. 13.

SECTIO II.

De Coadjutoribus Temporalibus.

1.

Non multi, nec ex conditione qualibet.

UT particulatim verò de ijs loquamur, qui in Coadjutores Temporales admittuntur; in primis non debent esse plures, quàm qui necessarij sint ad sublevandam Societatem in ijs rebus, in quibus occupari Sacerdotes & Scholastici non possunt sinè detrimento majoris boni (*h*). Et sanè magna cautio in ijs admittendis adhibenda est, qui literati, milites, nobiles, aut delicatis ministerijs assveti, nec minor etiam erga rudes. (*i*)

h Ex. c. 6. §. 1. & P. 1. c. 2. § 2. & A. & Reg. Prov. 39.

i Instr. 6. §. 4.

Quoad Animum.

2. Cæterùm quod spectat ad Animum, debent esse quieti, tractabiles, bonæ conscientiæ, propensi ad devotionem & virtutem, sorte Marthæ contenti, benè affecti erga Institutum, & futuri ædificationi Domesticis & Externis. Qui non quieturus in externis ministerijs cognosceretur, non esset admittendus in Coadjutorem Temporalem, nisi aptus ad progressum in literis deprehenderetur. (*l*)

l Ex. c. 6. §. 7. & P. 1. c. 2. §. 2. & B.

3. Quod

3. Quod ad corpus attinet, ſint honeſta ſpecie, ſanitate, viribus, & ætate, quibus labores ſui muneris ſufferre queant; & qui vel habeant, vel habituri ſperentur talentum ad Societatem juvandam. (*m*)

Quoad Corpus.

m P. 1. c. 2. §. 3.

SECTIO III.

De Indifferentibus.

1.

Cùm tres ſint notiſſimæ claſſes hominum Societatis, Profeſſorum nempe, Coadjutorum, Scholaſticorum; ad quorum aliquam plerumque Novitij deſtinantur (*n*); poſſet contingere, ut aliquorum Societati ſe adjungere volentium non ſatis perſpectæ eſſent dotes. Inde factum eſt, ut quarta claſſis admittendorum ſtatueretur, qui Indifferentes dicantur; eò quòd nondum Societas decreverit, ad quem ex dictis gradibus eorum talentum ſit magìs accommodatum. (*o*)

Quinam dicantur Indifferentes.

n Ex. c. 1. §. 8. 9. 10. & c. 8.

o Ex. c. 1. §. 11. & c. 5. §. 8. & c. 8. §. 1.

2. Quare qui examinabitur, ùt Indifferens, admonendus erit, quod nullo tempore, neque ulla ratione debet prætendere potiùs hunc, quàm illum Gradum; interrogandúſque an ad hujuſmodi indifferentiam ſit paratus (*p*). Non prohibentur

Quomodo examinandi?

p Ex. c. 1. §. 11. & c. 8. §. 1. 2.

tur tamen ijdem, post orationem, simpliciter Superiori proponere, quod ad DEI
q Ex. c. 8. A. gloriam fore judicaverint (*q*). Præterea examinandi de reliquis, prout magis con-
r Ex. c. 8. §. 3. venire videbitur. (*r*)

Pauci sint, nec detineantur ultra biennium. 3. Raro tamen aliqui, ut Indifferentes, admittendi, & ex ijs, qui sic admissi sunt, ultra tempus biennij probationis nemo detinendus in hoc Indifferentium gradu,
s Reg. Prov. 67 & C. 4. D. 52. sed eo expleto determinentur ad aliquem aliorum. (*s*)

CAPUT III.

De Potestate admittendi in Societatem.

SECTIO I.

Unde fluxerit Potestas admittendi in Societatem.

1.

Prima Confirmatio Societatis & facultas admittendi, sed limitata. QUemadmodum Societatis Fundatio, quod reliquis etiam Religiosis Ordinibus commune est, pendet à Summo Pontifice: ità ab eodem, unà cum prima sui confirmatione, fluxit in Societatem JESU facultas admittendi eos, qui hanc vivendi normam sequi vellent. Et 1. qui-

quidem Paulus III. (*a*) confirmans Institutum Societatis, contulit ei pariter potestatem aggregandi novos Socios: noluit tamen hanc concessionem extendi ultra numerum sexaginta personarum, oblatam Normulam profiteri volentium (*b*).

a Paul. III. p. 7. &c.

b Idem p. 16.

Secunda sine limitatione.

2. Idem Pontifex triennio pòst professus se ad id moveri, ut Fidei orthodoxæ dilatatio subsequatur, sustulit terminos præscriptos, & liberè potestatem indulsit aggregandi Societati, sub votis per Socios ejusdem Societatis emitti solitis, quoscunque Fideles, qui probationes Societatis expleverint. (*c*)

c Paul. III. p. 17. &c.

Tertia cum facultate admittendi Coadjutores.

3. Cùm autem in prædictis concessionibus nulla esset facta mentio Graduum Coadjutorum, qui nunquam Professionem emittunt: idem Pontifex concessit, ut de cætero Sacerdotibus, qui nos in spiritualibus, & personis secularibus, quæ nos in temporalibus, & Officijs nostris domesticis coadjuvent, uti possemus; qui pariter, post statutas probationes, ad eorum majorem devotionem, & majus meritum, tria vota paupertatis, castitatis, ac etiam obedientiæ, quantum est ex parte ipsorum, perpetuæ emittant (*d*). In qua con-

d Paul. III. p. 29. &c.

concessione nullus definitus est numerus Coadjutoribus Temporalibus; at Spiritualibus vigesimus præfixus est (*e*); quam limitationem mox idem Pontifex sustulit, concedens ut ad alios quoscumque idoneos ea facultas protenderetur. (*f*)

e Paul. III. p. 31.

f Ibid. p. 52.

SECTIO II.

In quibus jure ordinario & extraordinario Potestas admittendi resideat.

I.

Facultas admittendi Ordinaria in Generali, & Provinciali.

IGitur ex præmissis Pontificijs concessionibus Præpositus Generalis per se, & per alios admittere in Domibus, vel Collegijs, vel ubicunque libeat, poterit eos, qui ad Institutum Societatis idonei videbuntur (*g*). At quibus, & quantùm hæc facultas communicanda sit, judicabit idem Generalis (*h*). Ordinario etiam jure admittere possunt Provinciales, & quidem etiam eos, qui sunt absentes. (*i*)

g P. 9. c. 3. §. 1. & P. ... c. 1. §. 1.

h P. 1 c. 1. § .

i P. 1. c. 1. B. & Reg Prov. 3.

Extraordinaria in Visitatoribus alijs.

2. Extraordinariam potestatem admittendi habet quivis Commissarius Præpositi Generalis, vel ejusdem Provincialis. At Rectoribus Collegiorum, & Præpositis Domorum magìs consvetum erit commit-

mittere, ut quos idoneos judicabunt Domi suæ, aut in Collegio possint admittere, cùm præsentes fuerint (*l*). Citra hanc commissionem neque Rector, neque Præpositus Localis ullum in Societatem admittat; sed de ijs, qui admitti petunt, ad Provincialem referat, quales illi sint, & quibus donis DEI præditi. (*m*)

l P. 1. c. 1. B.

m P. 1. c. 1 §. 2. & Reg. Præp. 79. & Rect. 77.

SECTIO III.

Quomodo admittendi facultas exercenda.

1.

Præstandum à non habentibus admittendi facultatem.

IGitur quicunque Jus admittendi per seipsum non habet, aliquem nactus idoneum nostro Instituto, scribat ad Provincialem; ùt proximè dictum est. Quod si necessitas urgebit, & qui admitti petit, valde idoneus videbitur: poterit Superior eum, tanquam hospitem, domi recipere, donec responsum à Provinciali accipiat; vel ad eundem mittere, si expedire judicaverit. (*n*)

n P. 1. c. 1. §. 2. & A. & Reg. Præpos. 80. & Rect. 78.

Curanda à Provinciali & Examinatoribus.

2. At idem Provincialis curare debet, nè nimij sint nostri in hominibus ad Societatem alliciendis; sed per virtutes, & bonæ vitæ odorem omnes ad Christum trahere studiosè curent (*o*). Et tam ipse, quàm

o Reg. Prov. 33.

quàm is, cujus operâ utitur ad admittendum, aut examinandum, habeat oportet cognitionem rerum Societatis, ac zelum boni progreſſus ipſius, ut nulla ratione dimoveri ab eo poſſit, quod magìs in Domino convenire judicaverit. Quod ut conſequatur, moderatus admodum ſit oportet in admittendi deſiderio; & ut liberior ſit ab omni minùs ordinato affectu, ubi vitij hujuſmodi occaſio eſſe poſſit (ùt cum conſangvineis & amicis) ille, in quo aliquid periculi hujuſmodi timeretur, examinandi officio non fungatur (*p*). Prætereа in admittendo Superiores nõ ſinant ſe moveri Noſtrorum importunitate; nec bona externa, & noſtrorum affinitatem, ſed aptitudinem ad Inſtitutum ſequantur (*q*). Cavebit autem Provincialis, nè cujuſquam admiſſio aliquam Externorum offenſionem, aut Societatis nocumentum pariat; quod cum ijs potiſſimùm obſervandum erit, qui in Scholis noſtris inſtituuntur. (*r*)

p P. 1. c. 1. §. 4. & Reg. Exam. 1. 2. & Or. c. 18. §. 1. & In. 6. §. 1.

q In. 6. §. 1.

r Reg. Prov. 32.

Aliæ Examinatorum conditiones.

3. Et quia refert plurimùm ad divinum ſervitium, convenientem haberi delectum eorum, qui admittuntur, & diligentiam adhiberi, ut intelligatur, quæ eorum ſint dotes, & vocatio; qui talem admitten-

tendi facultatem habet, si per seipsum id ipse non præstet, habeat in ijs, qui assiduè apud se agunt, aliquem, cujus operâ utatur ad cognoscendum eos, qui ingrediuntur; ad agendum cum illis, eósque examinandum; qui quidem prudentiâ præditus sit; & non ignoret agendi modum, qui cum tam varijs generibus, & conditionibus personarum est tenendus; ut majori cum intelligentia, & utriusque partis satisfactione negotium ad DEI gloriam transigatur. (*s*)

s P. 1. c. 1. §. 3.

Eorundem munus.

4. Quicumque autem fungetur Examinatoris munere, in scriptis habeat, quæ ad tale officium pertinent; ùt sunt Liber completus Examinis Generalis, & Regulæ Examinatoris, in quibus hæc omnia distinctiùs traduntur (*t*). At si satìs notus est, qui ingreditur, non necesse erit juxta Examen Generale procedere; in quo Superioris judicium Examinator sequatur. Antè quàm autem ad primam Probationem recipiantur, ferè semper de quibusdam rebus majoris momenti, præsertim de ijs, quæ solent excludere, examinari eos oportebit (*u*). Quomodo autem ulteriùs in Examine pergendum sit, dicetur statim, cùm prima Probatio exposita fuerit.

t P. 1. c. 1. §. 5. & D.

u Ex. c. 1. A. & P. 1. c. 1. D.

CA-

CAPUT IV.

De prima Probatione.

SECTIO I.

De Domibus Probationis fundandis, & primo ad illas Ingressu.

I.

Domus Probationis quomodo fundandæ.

DE fundatione & reliquis rebus temporalibus Domuum Probationis, cùm hæ sint velut membra Collegiorum, reditibus æquè ac illa dotatæ (*a*), non est hic instituenda peculiaris tractatio: sed idem omninò servandum est in hisce Domibus circa earum Fundationem, & Administrationem redituum, quod pro Collegijs fusè infrà explicabitur Parte II. Unum tamen omitti non debet, quod peculiari sancitum Decreto est, post repetitam duarum Congregationum discussionem; ut in singulis Provincijs Domus Probationis instituerentur, vel conjunctæ Collegio, sed ab eo distinctæ, vel etiam separatæ: in quibus Novitij non literarum, sed profectûs spiritualis studio vacando probarentur (*b*). Pariter declaratum est, adeò nullum subesse scrupulum in admittendo Domos tertiæ Probationis de

a Ex. c. 1. §. 4. & B. & Greg. XIII. p. 230. & P. 6. c. 2. A.

b C. 1 D. 127. & C. 2. D. 14.

de quibus infrà Parte II. c. 7. dotatas reditibus, ut etiam id ſit magìs conforme Conſtitutionibus. (*c*)

c C. 7. D. 31.

Locus, ac tempus primæ Probationis.

2. Poſtquam in Domino ſtatuetur, quòd ad Probationem aliquem admitti conveniat: ſolitis veſtimentis indutus, aut pro cujuſque devotione, niſi aliud Superiori videbitur, ingredi poterit Domum, aut habitationem ſeparatam, ubi ùt hoſpes 12. dies, vel uſque ad 20. & ampliùs, prout Superiori videbitur, diverſabitur. Expedit enim, ut, qui ad Societatem admittuntur, non ſolùm diu probentur, antequam in ejus corpus cooptentur: verùm etiam ut valdè noti ſint, antequam ad eam Probationem admittantur, quæ fit in communi convictu. (*d*)

d P. 1. c. 4. §. 1. 2. & A. & Ex. c. . §. 13. F. & H. & Reg. M. Nov. 9.

Segregatio probandorum.

3. Poſtridie, quomodo eo in loco ſe gerere debeat, ei declarabitur; ac nominatim nè verbo, aut ſcripto (niſi Superiori aliqua de cauſa non levis momenti aliud videretur) cum Externis vel Domeſticis agat, præterquam cum ijs, qui ad id deſignati à Superiore fuerint: quò nempe liberiùs ſecum, & cum DEO perpendat vocationem ſuam. Quare nemo præter eos, qui à Superiore deputati ſunt, loqui poteſt cum illis, qui in prima probatione

e P. 1. c. 4. §. 4. & Reg. M. Nov. 10. & Re. Com. 27.

versantur; exceptis tamen usitatis salutationibus, quas inter obvios charitas religiosa exigit. (*e*)

SECTIO II.

De Examine & Institutione eorum in genere, qui primò probantur.

1.

Quo ordine examinandi.

ELapsis duobus, aut tribus diebus examinari accuratiùs incipiant: & relinquatur eis scriptum Examen Generale, absque Declarationibus, vel aliud Examen brevius, si in aliquo particulari ità expedire Superior judicaverit. Postea ostendantur, & relinquantur Literæ Apostolicæ Julij III. datæ anno 1550. & Summarium Constitutionum ac Regulæ Communes; quæ omnia oportebit habere in promptu vernaculo sermone scripta pro ijs, qui non callent lingvam latinam. Igitur per quinque, vel sex dies accuratè informentur prædicto modo de ijs, quæ ad Institutum, & ad ipsos pertinent; & lectione alicujus pij libelli, qualis est de Imitatione Christi, subinde recreentur. (*f*)

f C. 4. D. 67. & R. M. Nov. 20.

Et præcipuè de abdicatione bonorum.

2. Præcipuè proponatur illis, ex mente illorum, qui primi in hanc Societatem con-

convenerunt, admittendos in eam esse, qui omnino seculo renuntiârint; & quidem juxta consilium Christi: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus* (y). Quòd si quis non statim, propter honestas causas bona relinquat; promittat se, saltèm post annum ab ingressu, quandocunque Superior injunxerit, re ipsa relicturum omnia sua bona pauperibus. juxta consilium Euangelicum, à se omnem fiduciam submovendo eadem ullo tempore recuperandi. Et si dubitaretur, an majoris foret perfectionis renuntiare consangvineis hujusmodi bona; nihilominus ad declinandum errandi periculum, contentum se futurum eo, quod super hoc negotio statuerint esse ad majorem DEI gloriam viri doctrina & pietate insignes, cum approbatione Superioris ad id electi (g). Promissio autem prædictæ abdicationis neque votum est, neque solum propositum; sed simplex promissio, ea conditione affecta, si ille perseveraverit, & Superior illi injunxerit (h). Admoneatur itidem, si quæ habeat Beneficia Ecclesiastica, relinquenda esse eodem modo, quo dictum est de alijs bonis (i). Immò ut gravissimis incommodis

y Ex. c. 4. §. 1.

g Ex. c. 4. §. 1. 2. 3. & P. 3. c. 1. § 7. G. & §. 25. & P. 6. c. 2. H. & C. 2. D. 76.

h C. 3. D. 19.

i Ex. c. 4. §. 5.

occurratur, hujusmodi Beneficia, ante-
l C. 1. D. 140. & C. 5. D. 19. quam quis emittat Vota Simplicia Scholasticorum, omninò resignentur (*l*). Prælegatur etiam ijs Novitijs, quorum interërit, sub eorum in Societatem ingressum, Decretum 17. Cong 7. circa administrationem, & abdicationem bonorum; nè
m C. 7. D. 17. quis postea ignorantiam prætexere possit (*m*).

De opinionibus & scrupulis.

3. Interrogetur præterea, an in opinionibus non communibus toti Ecclesiæ, & in scrupulis paratus sit se submittere judi-
n Ex. c. 3. §. 11. 12. & D. & P. 3. c. 1. O. & C. 5. D. 50. §. 2. cio Superiorum, aliorúmve, quorum consulendorum illi potestatem fecerint (*n*); noverítque si postmodum contigerit hujusmodi consilijs nolle se accommodare, oportere eum domo egredi, nisi aliud Su-
o C. 1. D. 22. periori videretur. (*o*)

Et de Obedientia.

4. Interrogetur etiam, an obedientem se exhibere in omnibus, quæ nostræ vocationis sunt, velit, subeundo quasvis pœ-
p Ex. c. 4. §. 33. nitentias, quæ à Superiore fuerint injunctæ (*p*). An contentus sit futurus, ut omnes errores & defectus ipsius Superioribus per quemcumque, qui extra confessionem eos acceperit, manifestentur; neque exceptionem juris famæ opponere; cui hac in parte renunciat; paratúsque sit

ad aliorum correctionem viciſſim juvare, debito cum amore, & charitate, aliorum defectus, Superiori, etiamſi is non interrogaverit, manifeſtando. (*q*) *q* Ex. c. 4. §. 8. C. 6. D. 32. & 4. C. 7. D. 80. §. 16. & Reg. M. Nov. 15.

5. Demum ea omnibus proponentur, quæ poſtea aliquam difficultatem afferre poſſunt; ut de animi promptitudine ad ſerviendum DEO ubique, & in re quavis, de manifeſtatione conſcientiæ futuris temporibus, de indifferentia ad Gradum Societatis, ad quam indifferentiam omnes omninò obligari ſe intelligant quarto quodam voto in Formula Votorum communi per illa verba: *Promitto eandem Societatem me ingreſſurum*, ut ſcilicet Gradum Coadjutoris Formati, vel Profeſſi recipiant, prout Generalis Præpoſitus judicaverit. (*r*) *De reliquis difficilioribus.* *r* C. 5. D. 5. & 7. & 50. §. 1. & C. 7. D. 32. 39. & In. ad Sup. c. 6.

SECTIO III.

De Examine particulari diverſarum Claſſium.

1.

QUi verò ad ſtudia literarum aptus creditur, interrogetur præterea, an velit ſe duci ſinere circa eorum materiam, modum, & tempus; an, ſi habuerit opiniones diſcrepantes à communi Eccleſiæ ſenſu, *Examen Scholaſticorum.*

eas dimittere, & sentire cum Societate paratus sit; an, si minimè idoneus censeatur, ut proficiat in literis, eò quòd ingenio, vel sanitate corporis destituatur, vel alijs defectibus laboret, laturus sit, se à Societate dimitti, solutum scilicet omni voto ac promissione (*s*). Non propterea tamen dimittendi passim sunt, qui post Biennij vota utcumque inepti deprehenduntur, sed quatenus explicabitur infrà Parte 4. c. 7. Sect. 2. §. 6. Deinde qui literis operam dederunt, specimen earum in singulis facultatibus, quas didicerunt, præbeant coram designatis à Superiore, & postea Exhortationem unam quisque faciet. (*t*)

s Ex. c. 7. §. 1. & P. 4. c. 6. §. 15. N. & C. 4. D. 67. & C. 5. D. 50.

t Ex. c. 5. §. 6. & P. 5. c. 4. §. 5. & C. 4 D. 67. & R. M. Nov. 22.

Examen Coadjutorum.

2. Si quis verò examinatus fuerit, ut sit Coadjutor Spiritualis, intelligat sic vacare se debere rebus spiritualibus sui Status, ut in posterum nullo pacto alium Gradum procurare possit (*u*). At à Coadjutore Temporali petatur, an contentus sit futurus in officijs ac ministerijs abjectis, cujuscumque rationis illa sint, paratus ad vitam omnem in eis exigendam; sibi persvadendo quòd ea in re obsequium, & laudem præstat suo Creatori & Domino. Et hi quidem, quamvìs pro ipsorum captu,

u Ex. c. 6. §. 5.

ptu, in propria vocatione plenè instituendi sunt: poterunt tamen tempore aliquo exercitio corporali, aut labore manuum occupari, sejuncti tamen ab alijs. (*x*)

x Ex. c. 6 § 3. 4. & 6.7. & R. M. Nov. 21. & Instr. 6. §. 4.

Examen indifferentium.

3. Si qui admissi sunt in Indifferentium classem, hi potissimùm admonendi, quòd nullo tempore, neque ulla ratione debent tentare ullo pacto potiùs hunc, quàm illum Gradum in Societate, sed omnem suiipsius curam Societati, vel Superiori ejus relinquere, ùt dictum est suprà. (*y*)

y Ex. c. 5. §. 8. & c. 8.

SECTIO IV.

De alijs post Examen præstandis.

1.

Exercitia Spiritualia & manifestatio conscientiæ.

IN his autem omnibus proponendis & declarandis paulatim procedatur; ut qui examinatur, res omnes nostri Instituti, juxta suum Gradum, bene percipiat, ad suam majorem satisfactionem & stabilitatem. Tum si, antequam admitteretur in Societatem, spiritualia exercitia non fecit, hoc primum Experimentum aggrediatur; & juxta Exercitia suo tempore generaliter confiteatur; nisi ante ingressum fuerit alicui de Societate generaliter confessus: tunc enim satis erit, si ab eo tempore ge-

neralem confessionem incipiat, & eodem tempore conscientiam suam Superiori aperiat, aut intra aliquot menses, (si Superiori differendum videretur) eidem, aut alij per eum delegato, totius vitæ rationem integram, vel certè rerum majoris momenti reddendo: & si ab aliqua censura, virtute nostrorum privilegiorum, absolutus fuerit, admoneatur, quòd si non perseveraverit, in eandem reincidet. Declaretur etiam illi, si quæ Vota, cùm adhuc esset in sæculo, emisit (præterquam Religionis determinatæ) in nostra Societate tamdiu suspensa esse, dum ipse in Societate manserit; quod si recesserit, eadem obligatione teneri, qua ante ingressum tenebatur. (z)

z Paul. III. p. 40. & Ex. c.4. §.1 & 36 & P. 1. c.4 § 6. & C. 1. D.132. & C. 4. D. 67. & Reg. M. N. 15. & 23.

Admissorum bona non absumenda.

2. Postremò in libro ad id designato, quem penes se Procurator habere debet, scribatur quidquid unusquisque domum attulerit, cum subscriptione ejus, qui examinatus est; Allata verò alicubi separata conserventur, quousque biennio expleto consveta Vota emiserit (a). Neque toto hoc tempore quidquam exigatur in usum Collegij vel Domus Societatis ab ejus tutoribus, aut parentibus, quamdiu non est Scholasticus approbatus; ut cum majori liber-

a Ex. c.4. §.4. & P. 1. c. 4 §. 6. & R. M. N 25. & R. Proc 7. & In. 6. §. 6.

libertate in Domino possint juvari, & corrigi, cùm oportuerit (*b*); multóque minùs hoc tempore ulla Legitima exigatur, aut applicetur, vel ea de re agatur. Quod si quis maturior erit ætate, cujus bona vel à nullo dependeant, vel exigi, ac recuperari sinè offensione, ac difficultate possint, referet ad Præpositum Generalem Provincialis, an permittenda illi sit dispositio ante biennium. (*c*)

b In. 6. §. 6.

c Or. c. §. 10.

Consignanda scripto Ingressus, & Examen.

3. In alio verò libro, quem Magister Novitiorum apud se habebit, notabitur dies & annus ingressûs uniuscujusque in primam Probationem, & quod contentus sit observare omnia ei proposita, cui pariter Novitius subscribet. Et cùm aliqui in Coadjutores temporales, aut Indifferentes admittuntur, speciatim id scripto declaretur, quod examinatus manu sua subscribat, vel alius prò ipso, si scribere nescit. (*d*)

d P. 1. c. 4. §. 6. & R. M. N. 26.

Quatenus cum aliquibus dispensandum.

4. Quod de primo experimento spiritualium Exercitiorum dictum est, ità intelligendum; ut si cujusquam valetudo, vel aliqua temporis aut personæ ratio persvaserit, non esse longiùs prædicta mentalia Exercitia continuanda, antequam Exercitia aggrediatur, per quatuor, vel

quinque dies vacare, & separatim recreari poterit: vel si Magistro Novitiorum videretur, facta Confessione generali, & peractis Exercitijs primæ hebdomadæ, etiam ad convictum admitti. Sed quando hæc relaxatio longiùs ob valetudinem, aut aliam rationem protrahenda Magistro Novitiorum visa fuerit: poterit sumptâ Eucharistiâ, etjam ad communem convi-

e P. 1. c. 4. §. 6. & C. 4. D. 67. & R. M. N. 23. 24.

ctum admitti, & ubi firmior fuerit, sua Exercitia peraget (e). Dispensatio verò prædicta in Exercitijs spiritualibus non crebrò usurpanda, cùm ea sint præcipuum

f In. 6. p. 3.

Experimentum (f).

CAPUT V.

De secunda Probatione.

SECTIO I.

De ejus Tempore, Loco, & Vestitu.

1.

Biennium Novitiatus.

a Ex. c. 1. §. 12. & c. 4. §. 16. & 41. & c. 6. §. 8. & P. 4. c. 3. §. 3. & c. 4. §. 5 & P. 5. c. 4. §. 3. & 6. & C. 2. D. 14. & In. 6. §. 5.

PRæmissis Probationibus, quæ proximo capite relatæ sunt, admittuntur Novitij ad cohabitandum cum alijs, & spatio biennij probantur (a). Quod quidem spatium metiendum est à die, qua quis in Societatis Domum à Provinciali primam Probationem inchoaturus in-

So-

Sociorum numerum admittitur, in quacumque demum Domo, vel Collegio id fiat. (*b*)

b C. 7. D. 98. & R. M. N. 26.

Quæ ejus Dispensatio permissa.

2. Hoc autem biennij tempus ità necessariò explendum est, ut solius Præpositi Generalis judicio, ex causis non levis momenti, & quidem raro, contrahi possit (*c*). Sed hujus facultatis usus illi interdictus est in ordine ad Vota Simplicia Scholasticorum, per quæ veri Religiosi constituuntur (*d*); permissus verò in ordine ad emittendam Professionem, cujus unius videtur posse ingruere necessitas. (*e*)

c P. 5. c. 1. C.

d C. 5. D. 12. & 13.

e C. 5. D. 13. & 63.

Et in jungenda Probatione cũ studijs literarum.

3. Hæc tamen non obstant, quominus cum aliquibus ob peculiares rationes dispensari possit, ut in secundo probationis anno, ante emissa substantialia Religionis Vota, literarum studijs dent operam, habita ratione personarum, locorum, & temporum. Quæ dispensatio erit solius Provincialis ex commissione Patris Generalis. (*f*)

f P. 4. c. 3. §. 2. & C. 2. D. 14. & Reg. Prov. 38.

Quid præstandum cum Novitijs in Collegijs.

4. Sic autem dispensati seorsum à Collegialibus esse debebunt, sub cura Sacerdotis ad id designati à Provinciali; qui Sacerdos vicem Magistri Novitiorum gerat: servabúntque, quantum studia patiuntur,

quæ

quæ Novitijs præscripta sunt; cujusmodi erit, ut per dimidiam horam vesperi orent; sed ijs tantùm diebus, quibus à studijs vacaverint. (*g*)

g Reg. Prov. 38. & Præf. Spir. 11.

Coadjutores tẽporales quando educendi.

5. Coadjutores autem Temporales, ut nullâ ratione è Novitiatu extrahendi sunt, nisi per annum integrum in eo fuerint, & benè satisfecerint: ità in Collegijs suum quasi Magistrum in spiritualibus habeant; & cùm ad Vota sunt admittendi, per mensem ad Novitiatum revocentur; aut saltem ubi sunt, per idem tempus se colligant: nullóque modo ante finitum biennium publicis Officijs exponantur. (*h*)

h In. 6. §. 5. & Or. c. 1. §. 16.

Vestes Novitiorum quæ?

6. Hoc Novitiatûs tempore non sumitur habitus ullus certus Societatis; sed discretioni ejus, qui præest, relinquitur, an cum ijsdem vestibus, quas ex seculo tulerunt, incedere sint permittendi, an cum alijs eas permutari oporteat. Ceterùm convenit, ut qui probantur, vestitûs ratione ad mortificationem, & abnegationem sui juventur. (*i*)

i Ex. c. 1. §. 13. & F. & P. 1. c. 4. §. 4. & P. 3. c. 2. C. & P. 6. c. 2. M.

SECTIO II.

De ſeparatione Novitiorum ab Externis, & Domeſticis.

I.

IN univerſum loquendo, qui probantur in Domibus Societatis, non modò à Studijs literarum vacare debent, quò magìs in virtutibus, ac devotione proficiant (*l*); Sed cùm tanti referat ab omnibus imperfectionibus, & quibuſvis impedimentis majoris ſpiritualis profectûs eos removeri; multùm ad id conferet, omnem communicationem per verba & ſcripta ut abjiciant cum ijs, qui in propoſito ſibi Inſtituto tepeſcendi cauſa eſſe poſſent: & ſi aliquis perturbaretur ab hominibus, qui in via ſpiritûs non benè procedunt; videat Superior, num eundem in alium locum tranſmitti expediat, ubi divino obſequio commodiùs inſiſtat. Igitur cum ijs duntaxat perſonis agere permittendi ſunt, & de ijs rebus, quæ juvent in divino obſequio ad propoſitum ſibi finem Quod ſi aliquando permittenda viderentur colloquia cũ conſangvineis, vel amicis ſeculi, id coram aliquo à Superiore deſignato fiat: niſi ob particulares cauſas is, qui ſupremam

Novitij à Studijs, & Externorũ commercio ſegregandi.

l Ex. c. 7. §. 1. & P. 3 c. 1. §. 27. & C. 2. D. 14.

mam curam habet, aliud ſtatueret. Sic etiam neque ſcribent, neque accipient literas, quas Superior non permiſerit viderítque (*m*). Et curandum eſt, ut omnem carnis affectum erga ſangvine junctos exuant: útque loquendi modus ſentiendi modum juvet, ſanctum eſt conſilium, ut aſſveſcant non dicere quòd parentes, vel fratres habeant, ſed quòd habebant. (*n*)

m Ex. c. 4. §. 6. & P. 1. c. 4. §. 4. & P. 3. c. 1. §. 2. B. & R. M. N. 50. & 52. 53.

n Ex. c. 4. §. 7. & C.

Nec indifferenter cum Domeſticis agent.

2. Immo neque domi promiſcuè cum omnibus agent, ſed cum ijs tantùm prudentibus & maturis, qui à Superiore præſcripti fuerint: quorum exemplo, & ſpiritualibus colloquijs ædificationem accipiant, non autem offenſionem; & proficiant in Domino (*o*). Et quò faciliùs hujuſmodi ſegregatio procederet, Statutum eſt, ut Domus Probationum omninò eſſent diſtinctæ, aut etiam ſeparatæ à Collegijs. (*p*)

o P. 1. c. 4. §. 4. & P. 3. c. 1. §. 2. 3. & D. & Reg. M. N. 54.

p C. 1. D. 127. & C. 2. D. 14.

Nec indiſcriminatim inter ſe.

3. Quin etiam ùt plurimùm Novitios inter ſe converſari non convenit; ſed ſilentium invicem obſervare, niſi in rebus, in quibus loqui neceſſe ſit. Sic etiàm ſi duo in eodem cubiculo lectulos ſuos habeant, alter eorum hujuſmodi ſit, ut minimè dubitetur, quòd alter ejus Societate proficiat (*q*). Immò terni aut quaterni in cu-

q P. 3. c. 1. D.

cubiculis, antiquiores cum recentioribus permixti, manere debent, etiam interdiu, non in aula, quæ communibus tantùm conventibus & exercitijs destinata est (*r*). Demum Novitij non sunt ùt plurimùm assignandi in Socios nostris, qui adeunt Domos secularium. Nec debent habere officia publica, in quibus necessarium sit agere cum Externis. (*s*)

r P. 3. c. 1. D. & Or. c. 2. §. 8. R. M. N. 51.

s R. M. N. 53.

SECTIO III.
De Exercitationibus communibus Novitiorum.

I.

SEd nè majus periculum Novitijs ab otio sit, quàm timeretur ab ipsa turba, exercendi sunt in omni Religiosæ vitæ officio juxta Mag. Novit. Regulas; ubi desctibitur exactè ordo servandus in Domo Probationis, ea temporis partitione adhibita; ut cùm multum orationi, lectioni, examini conscientiæ, collationibus spiritualibus, aliisque pijs exercitationibus tribuatur; non desint tamen opportuna quædam mentis avocamenta in labore manuum, aut recreatione post cibum, quæ pijs sermonibus tota traducitur. (*t*)

Ordo servandus.

t P. 3. c. 2. §. 4. & C. 2. D. 28. C. 3. D. 31. R. M. N. 61. 62. & 68. & seq.

2. Por-

In quibus erudiendi.

2. Porrò ut univerſim procuranda hoc tempore continuum puritatis ac virtutum augmentum, & inflammata in Domino deſideria multùm in hac Societate Divinæ Majeſtati ſerviendi (*x*); ità ſpeciatim præſcribitur, ut explicetur ſingulis hebdomadibus Doctrina Chriſtiana, ac modus benè, & cum fructu confitendi, communicandi, Miſſam audiendi, & in eadem miniſtrandi, orandi itidem, meditandi, & legendi, pro captu uniuſcujuſque, tradatur: curetúrque non ſolùm ut addiſcant, quæ conveniunt, ſed etiam ut memoriâ teneant, & exerceant, quæ didicerint: omnéſque ſuum tempus rebus ſpiritualibus impendant; & devotioni quærendæ, pro menſura gratiæ DEI ipſis communicatæ, inſiſtant. (*y*)

x Ex. c. 4. §. 41.

y P. 3. c. 1. §. 20.

Quantum temporis orationi tribuendum.

3. Sed ut in tanta rerum varietate certa & communi aliqua lege procedatur: ſummo manè integram horam Orationi mentali, aut vocali, aut meditationi dent, juxta cujuſque captum: & præter conſveta etiam conſcientiæ examina, ſingula per horæ quadrantem duratura, paulò ante cœnam per ſemihoram orationi vacabunt (*z*). Hoc autem orandi tempus cum particularibus augeri, vel minui poterit, dum-

z R. M. N. 69. & 73. & 77. 78.

dummodò ad duas horas ordinariè non obligentur (*a*). Præterea licèt Noſtris præſcribendum non ſit, ut omnes in eundem locum orationis cauſâ conveniant; cum Novitijs tamen in oratione ante cœnam diſpenſari poterit. (*b*)

a C. 1. D. 97.

b C. 1. D. 98. & C. 4. D. 59.

4. Ijdem confiteantur oportet, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumant octavo quoque die; & ſi Sacerdotes ſunt, crebriùs Miſſæ Sacrificium offerent (*c*). Quod ſi intra deſignatum tempus ad Confeſſionem non accederent, ſubtrahatur eis cibus corporis, donec cibum ſpiritûs ſumant. (*d*)

c Ex. c. 4. §. 25. & P. 3. c. 1. §. 11.

d P. 3. c. 1. Q. & R. M. N. 9.

5. Juvandi etiam exercitamentis obedientiæ, paupertatis, & abnegationis ſui, eoſdem tentando, eo modo quo Dominus Abraham tentavit; in eo tamen menſura juxta uniuſcujuſque vires, ùt diſcretio dictabit, ſervetur. Et licèt utrumque bonum ſit, rogare, & jubere; nihilominus in initijs magis proficiet aliquis ſi jubeatur, quàm ſi rogetur (*e*)

Abnegatio ſui.

e Ex. c. 4. §. 28. 29. 30. & D. & P. 3. c. 1. §. 15. & N. & V. & R. M. N. 42.

6. In pœnitentijs advertendum, nè nimius hujuſmodi rerum uſus tantoperè vires debilitet, ut poſtea ad miniſteria noſtri Inſtituti inutiles reddantur; nec contra tanta in illis ſit relaxatio, ut fer-

Mortificatio exteriorum.

f P.3. c.1. §.1 & c.2. §.1. 2. & 5. & P.6. c.3. §.1. & P.10. §.10. & R. M. N. 43.

g R. M. N. 40.

h P.3. c.1. §.4. & 12. & R. M. N. 48.

vore ſpiritûs refrigeſcente, humani ac inferiores affectus incaleſcant (*f*). Mortificationes autem publicæ nè fiant, niſi ordinariæ (*g*). Dabitur etiam opera, ut Novitij diligenter inſtituantur in religioſa modeſtia juxta Conſtitutiones & Regulas. (*h*)

SECTIO IV.

Experimenta Societatis peculiaria.

1.

Quid generatim in his ſervandum.

i Ex. c. 4. §. 9. & 16. & R. M. N. 37.

l Ex. c. 4. §. 9. & 16. & P. 9. c.3. §. 8. & E. & R. M. N. 37. 38. 39.

PRæter hæc communi quodammodo jure Novitiorum uſurpata, ſex Experimenta in Societate requiruntur; de quibus in genere dicendum eſt, præcipuam Novitiatûs partem in his probationibus poſitam eſſe (*i*). Poterunt tamen ea anteponi, poſtponi, & mitigari, habita ratione perſonarum, temporum, & locorum, tum etiam in alia permutari, prout Superior judicaverit. Qui in permutatione, & notabili moderatione, paritérque in dilatione ultra primum annum, conſulet Provincialem (*l*). Superior etiam curet, ut hæ probationes debitis ſpatijs diſtingvantur, ut corpore & ſpiritu recreentur. Curabit etiam, ut bonum teſtimonium habeant ab ijs, penes quos Experimenta ſubie-

ſubierint (*m*). Demum cùm hæc Probatio non ſit in Domo Probationis, ſed in Domibus Profeſſis, aut Collegijs, ſit aliquis, qui Novitiorum peculiarem curam gerat: ubi in recreatione ſeparati ſint, adjunctis alijs, à quibus in Domino adjuvari poſſint. (*n*)

m Ex. c.4. §.18 & ſeq. & R.M. N. 38.

n R. M. N. 34.

2. Primum experimentum eſt in ſpiritualibus Exercitijs menſem unum, plùs minùs, verſari; quæ tradentur ordine præſcripto in Exercitiorum libro, juxta cujuſque diſpoſitionem & captum; ut inde, præter alia, certam, ac noſtro Inſtituto conſentaneam, mente, & voce orandi rationem habeant (*o*). De hoc experimento vide dicta ſuprà Cap. 4. §. ult.

Exercitia ſpiritualia.

o Ex. c.4. §.10. & P.3.c.1.§.20. & R. M. N.28.

3. Secundum eſt ſervire in uno, vel pluribus Xenodochijs per menſem alium, erítque Magiſtri diſpicere, quid magìs expediat, an Noſtros ibidem cibum capere, & dormire; an verò per aliquot horas quotidie miniſterium ægris impendere; idémque curabit, nè nimius fervor in hac probatione Noſtrorum valetudini officiat. (*p*)

Inſervire Xenodochijs.

p Ex. c.4. §.11. & R. M. N.29. 30.

4. Tertium eſt peregrinari menſem alium ſinè pecunia, oſtiatim pro Chriſti amore mendicando: ut incommoditati

Peregrinatio.

comedendi, & dormiendi assvescant; & ut omni spe abjecta, quam in pecunijs, & rebus alijs creatis possent constituere, eam integrè, & vera cum fiducia in Domino constituant (*q*). Sed advertendum, nè imbecilles, aut tenerioris ætatis his peregrinationibus notabile detrimentum patiantur: aut fiant asperiore hyeme, vel æstate: dabuntúrque illis literæ patentes, &, cùm opus fuerit, etiam particularis instructio. (*r*)

q Ex. c.4. §.13.

r R. M. N. 32.

Ministeria humilia.

5. Quartum est post ingressum in Domum, omni cum diligentia & solicitudine, in varijs officijs abjectis, & humilibus se exercere, promptiùs ea suscipiendo, à quibus sensus magìs abhorrebit; curandum tamen, nè nimiâ corporis fatigatione spiritus obruatur; & in Scholasticis fiat potiùs ad propriam cujusque abnegationem, quàm pro domestica aliqua necessitate. Dum autem hæc probatio fit in Domo Probationis; vacabit, qui ità probatur, ab alijs exercitijs aliorum Novitiorum, exceptis Conferentijs, & Exhortatione ordinariâ. (*s*)

s Ex. c.4. §.13. & 28. & R.M. N. 33.

Catechesis.

6. Quintum est doctrinam Christianam pueros, & alios rudiores homines publicè, vel privatim, juxta personarum pro-

proportionem, docere, quod est proprium noſtri Inſtituti. (*t*)

t Ex. c. 4. §. 14. & R. M. N. 35.

Concionari.

7. Sextum eſt, poſtquam in probationibus bonæ ædificationis ſpecimen præbuerint, ulteriùs ad prædicandum, vel confeſſiones audiendas progredi; quod de idoneis intelligendum eſt; & nè tanquam ordinarij Operarij, ſed brevi tempore, & ad probationem his miniſterijs admoveantur (*u*). Ut miniſterio autem concionandi aſſveſiant, uno die cujuſque hebdomadæ exercebuntur in Tonis; ad quos tamen Coadjutores non convenient. (*x*)

u Ex. c. 4. §. 15. & R. M. N. 36.

x Ex. c. 4. §. 25. & R. M. N. 60. & 76.

Reddenda conſcientiæ ratio, & Examen repetendum.

8. Ut hæc omnia meliùs procedant; quin & tota vita tutiùs, ad laudem Domini noſtri, interiùs dirigatur: neceſſe eſt, qui admittuntur, ſaltèm intra aliquot menſes ab ingreſſu, ſub ſigillo confeſſionis, vel ſecreti, vel quacumq; ratione eis placuerit, conſcientiam ſuam, totiúſq; anteactæ vitæ rationē Superiori, vel ejus delegato manifeſtare. Tum ſexto quoq; menſe ab ultima manifeſtatione eandē repetent de ijs, quæ poſtmodū acciderunt: & ab ultima generali confeſſione incipiendo, generaliter confitebuntur. Quod quidē ſervandū eſt annis conſecuturis, donec Gradum ſeu Profeſſi, ſeu Coadjutoris formati aſſequantur. Hoc

autem primo biennio præterea quolibet semestri relegantur literæ Apostolicæ, Examen, & Regulæ, interrogentúrque singuli, an sint illis contenti, viréſque sibi animi & corporis suppetere sentiant ad vivendum, moriendúmque in Societate. (*y*)

y Paul. III. p. 11. & Jul. III. pag. 63. & Ex. c. 4. §. 34. &c. & R. M. N. 63. & seq.

SECTIO V.

De Magistro Novitiorum.

1.

Dotes Magistri Novitiorum.

HÆc porrò, quæ instituendis Novitijs diligenter admodum sancita sunt, ut suum exitum sortiantur, Magistri Novitiorum operam maximè exposcunt. Is igitur eligendus est vir fidelis, & in spiritualibus versatus; qui eos doceat, quomodo & interiùs & exteriùs se habere debeant, & ad id eos hortetur, & in memoriam redigat, & amanter admoneat; quem omnes, qui in probatione sunt, diligant; ad quem in suis tentationibus confugiant; cui confidenter sua omnia detegant; & à quo consolationem, & auxilium sperent in Domino. (*z*)

z P. 3. c. 1. § 12. & K & R. M. N. 2. & 8.

Obligationes.

2. Idem, cui hæc cura demandata fuerit, rem magni momenti sibi esse commissam intelligat; quandoquidem ex prima Novitiorum institutione pendet majori

ex

ex parte eorundem profectus, & spes nostræ Societatis in Domino; curétque, ut in dies, per studium propriæ perfectionis, instrumentum aptius ad eos juvandos reddatur. (a) *a R. M. N. 1.*

Iura eorũ qui sunt Rectores.

3. In Domibus Probationis separatis habeat etiam Regulas, & Facultates aliorum Rectorum, exceptis ijs, quæ Novitiatui non conveniunt (b). Immo quando absoluto triennio Superiores abire Magistratu jubebantur, semper Summi Pontifices, quorum Decretum illud fuit, ab eo immunes esse voluerunt Novitiorum Magistros: quos ab alio etiam exemerunt, quo interdicebatur Superioribus subditorum confessiones audire. (c)

b R. M. N. 3.

c C. 5. D. 64. & Brev. Inn. X. 1. Ianu. 1646. & Br. Urb. VIII. 31. Aug. 1639.

Et eorum qui non sunt Superiores.

4. In Domo conjuncta Magister Novitiorum erit subordinatus Præposito, vel Rectori, non tamen Ministro (d). Idem etiam pœnitentias in Novitiatu tantùm suis Novitijs imponere poterit (e). Habeat potestatem ordinariam absolvendi Novitios à casibus reservatis, nisi ejus Superiori aliter videretur. (f)

d R. M. N. 3.5.

e R. M. N. 6.

f R. M. N. 7.

Ejus Socij.

5. Habeat socium Sacerdotem à Provinciali designatum, cujus conficiendæ sunt Regulæ, & aliquem Fratrem manuductorem Novitiorum. (g)

g R. M. N. 4. & C. 12. D. 56. §. 2.

6. Verſatum eſſe oportebit in lectione librorum ſpiritualium, eorúmque potiſſimùm, qui in ipſius Regulis indicantur. Novitijs autem eos tantùm legendos tradet, qui noſtro inſtituto conveniunt (*h*).

Libri ab eo legendi & concedendi.

h R. M. N. 8.

7. Lectiones fiant de his, quæ ad Inſtitutum pertinent; oporteret tamen explicationem Regularum, ſi fieri poſſet, intra biennium abſolvi; neque idcirco alterius generis Exhortationes interdicuntur: immo expedit interdum mutari materiam ad levandum tædium. Modus autem ſit facilis, & accommodatus ad Novitiorum animos incitandos. (*i*)

Exhortationes quæ.

i R. M. N. 44. & In. 16. §. 1.

8. Omnes perſpectos habeat, ut magìs illis prodeſſe poſſit; ad quod juvabunt frequentia & privata cum illis colloquia; quorum magnam eſſe utilitatem ſciat (*l*).

Novitios perſpectos habeat.

l R. M. N. 47.

9 Provinciales in dimittendis Novitijs Magiſtri judicium magni faciant; nec ſe in dimittendo difficiles exhibeant, cùm id Novitiorum Magiſter, cauſis adhibitis, proponet (*m*). Reliqua ſpectantia ad officium Magiſtri Novitiorum aut allata, aut indicata ſunt proximè, dum de prima & ſecunda Probatione ageretur.

In dimittendis multū ejus judicio tribuendum.

m In. 6. §. 2.

10. Scribet ad Generalem tertio quoque menſe ex Europa, ex Braſilia, & Nova Hi-

Quoties, & de quibus ad Superiores ſcribet.

Hispania bis in anno; ex Indijs semel; & præterea quoties necessitas urgebit. Materia verò erunt, quæ accidunt majoris momenti; & illa potissimùm, in quibus Provincialis admonitus, vel non providet, vel providere nequit (*n*). Ad Provincialē verò sexto quoque mense scribat, an aliquis inutilis videatur nostro Instituto; & de singulis sub finem biennij quid ipse sentiat; ùt suprà dictum est (*o*). Si verò fuerit etiam Rector, scribet frequentiùs, ùt infrà cum de Officio Rectoris dicetur.

n Form. scrib. §. 7. 8. 9.

o R. M. N. 56. 57.

CAPUT VI.

De Votis simplicibus Religiosis tum ante, tum post expletum biennium.

SECTIO I.

De Votis non expleto biennio.

1.

CUm præter communem morem Biennium integrum transigendum sit, antequam Novitiatu expleto, per simplicia Coadjutorum & Scholasticorum Vota, Nostri fiant Religiosi; ad solatium spirituale, & uberius meritum illorum, qui sic

Cur, & quomodo hæc Vota emittantur.

probantur, permitti eis à Superiore poterit; ut consvetâ formulâ, non tamen in cujusquam manibus, sed in secreto animi sui, Vota prædicta emittant: & ad memoriam conservandam obligationis factæ, unum scriptum ejus, quod DEO promiserunt, penes se retineant, alterum Superioti tradant; quin etiam in libro aliquo horum memoria honestas ob causas asservetur. (*a*)

a Ex. c. 1. E. & P. 3. c. 1. T. & P. 5. c. 4. §. 6.

Cujus facultate emittantur, & quid ad ea consequatur.

2. Ad hæc verò emittenda Vota Novitij compellendi non sunt, nec instigandi. Quin primo anno solus Provincialis, re maturè considerata, facultatem ad ea nuncupanda dare poterit. At qui emiserint, postea bis in anno statutis diebus tempore Novitiatûs, seorsum ab alijs, qui biennium expleverunt, ipsi simul inter se illa renovabunt (*b*). Quam autem obligationem inducant hæc Novitiorum vota, declarandum à P. N. Generali (*c*). Id certum est his obstrictos difficiliùs dimitti debere à Societate, nec nisi Provinciali consulto. (*d*)

b P. 3. c. 1. T. & C. 2. D. 14. & C. 4. D. 62. & R. M. N. 55.

c Con. 12. Act. 39.

d P. 2. C. 1. A. & C.

SECTIO II.

De Votis post biennium: à quibus & quorum facultate hæc Vota emittenda.

1. Exa-

1.

EXactis duobus annis Probationis, qui se perpetuò obedientes exhibuerunt, & in sua conversatione, & varijs experimentis ædificationem præbuerunt, & magna cum humilitate pœnitentias pro erratis, & negligentijs injunctas subierunt, si ipsi & Societas contenti fuerint, ad eorum majus meritum, & stabilitatem Vota simplicia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ emittent, cum promissione Societatem ingrediendi (*e*). Hæc autem promissio infrà Sect. 3. §. 1. & Sect. 7. §. 1. explicabitur.

Prærequisita in Voventibus.

e Ex. c. 4. §. 41. & c. 7. §. 1. & P. 5. c. 4. §. 3. & 6. & C. 9. D. 39. §. 1.

2. Quod si expleto Probationis tempore, contentus quidem Novitius est, & exoptat se in corpus Societatis admitti; verùm Societas dubitat de ipsius talento, vel moribus: securiùs erit in alium annum, vel tempus, quod videbitur, id prorogari; donec utrique parti plenè in Domino sit satisfactum. (*f*)

Quid agendum cum ijs qui non satisfecerint.

f Ex. c. 4. §. 43. & P. 5. c. 1. §. 3. & C.

3. Quare Magister Novitiorum diligenter observare debet in toto Probationis decursu, an ineptus aliquis, aut inutilis nostro Instituto probabiliter futurus sit; & in Scholasticis præterea, ut ex eorum ingenio speretur, eos in literis profecturos,

Magistri Novitiorum cura.

ros. In quo major habenda eſt ratio boni communis ad gloriam DEI, quàm particularis cujuſque. Quid autem ſentiat hac in re, ad minimum ſexto quoque menſe ad Provincialem ſcribat, ut ipſe provideat (*g*). Rurſúmque ad eundem ſcribat, ut cum illius facultate conſveta Vota Societatis emittant, aut diutiùs probentur, aut dimittantur. (*h*)

g P. 5. c.2. §.5. & R. M. N.56.

h R. M. N. 57.

Et Provincialis.

4. Pertinet enim ad Provincialem diligenter diſpicere, ut qui minùs idonei ad noſtrum Inſtitutum, & tandem aliquando dimittendi videntur, intra biennium Probationis dimittantur (*i*). Quo in negotio, rejectis ineptorum Patronis, Magiſtri Novitiorum judicium magni faciat; nec ſe difficilem in dimittendo exhibeat: neque enim neceſſariò præmittenda conſultatio eſt, aut expectandæ graves culpæ, ut Novitius dimittatur (*l*). De poteſtate autem contrahendi biennij tempus requiſitum ad Vota Scholaſticorum, aut Profeſſionem, vide quæ dicta ſunt ſuprà Cap. 5. Sect. 1.

i P. 2. c.1. C.& R. Prov. 41.

l In. 6. §. 2.

Penes quem ſit facultas admittendi ad hæc Vota.

5. Extra controverſiam eſt, penes Præpoſitum Generalem primariam facultatem eſſe admittendi ad Vota poſt biennium (*m*); nec referri debere ad Capitula, ſeu

m P.5. c. 1. §.2. & P.9. c. 3. §.1.

ſeu Congregationes, ut aliqui contendebant (*n*). Quia tamen Generalis tam varijs locis intereſſe non poteſt, alijs de Societate eam partem hujus facultatis communicare poterit, quæ ad totius hujus corporis bonum facere videbitur (*o*); & reipſa ordinariè & abſolutè eam communicabit Præpoſitis Provincialibus; nec repugnat eam tribui Præpoſitis localibus, vel Rectoribus, & alijs Viſitatoribus, aut Perſonis inſignibus: immo aliquo in caſu alicui, qui de Societate non eſſet, ùt Epiſcopo, vel Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ: cùm nullus ex Profeſſis ejuſdem Societatis eo in loco, ubi aliquis ità eſt admittendus, inveniretur. (*p*)

n Greg. XIV. p. 281.

o P. 5. c. 1. §. 2.

p P. 5. c. 1. B. & Reg. Prov. 65.

6. Non habet verò Provincialis ordinariam facultatem, ut admittat ad Vota hæc ante 17. ætatis annum expletum: & irrita ſunt, ſi ſecus fiat (*q*): quamquam prima Renovatio Votorum poſt annum 17. expletum habet vim primæ & validæ nuncupationis (*r*). Quod ad Generalem attinet; licèt is ex Conſtitutionibus habeat facultatem diſpenſandi, ut ante 14. completum (quæ ætas ordinario jure requiritur *ſ*) admittatur ad Probationem; unde facilè inferri poſſet, penes eundem

Limitatur Provincialibus.

q C. 8. D. 35.

r C. 12. D. 19.

ſ P. 1. c. 2. §. 12. & c. 3. K.

eſſe

esse etiam potestatem admittendi illum, cum quo dispensaverit, ad Vota Religionis post biennium, atque adeò ante 16. completum; tamen ex Concil. Trid: (t). universaliter interdictum est, nè quis Professionem Religiosam validè emittere possit, antequam expleverit 16. ætatis annum; quod Decretum etiam in Votis Scholarium servandum est.

t Sess. 25. de Reg. c. 15.

SECTIO III.

Quo pacto emissuri Vota instruendi sint.

1.

Præmonendi de Obligatione quam contrahunt.

SEd ante hanc admissionem ad Vota admonendi sunt omnes, quòd Votis post biennium emissis non poterunt sinè facultate Generalis à Societate discedere, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, etiamsi ad aliam Religionem transirent (u). Explicetur etiam ipsis apertè (quod & initio, & sexto quoque mense factum esse oportuit) promissionem illam ingrediendi Societatem, quæ fit in formula Votorum, esse votum, quo obligantur ad recipiendum Gradum Coadjutoris Formati, vel Professi, prout Generalis Præpositus judicaverit (x). Doceantur præterea, Renovationes Votorum,

u Pius V. pag. 100. &c.

x Ex. c. 7. §. 1. & P. 4. c. 4. E. & P. 5. c. 1. A. & c. 4. E. & C. 4. D. 4. 5. & 7. & 50. & In. ad Sup. c. 6. §. 8.

rum, à se deinceps de more Societatis faciendas habere vim primæ nuncupationis; si fortè ex aliquo defectu prima Vota vim suam non obtinuerint. (*y*)

y C. 1. D. 22. & C. 12. D. 13.

Peculiariter Scholastici & Indifferentes examinandi.

2. Qui verò in Scholasticos admittuntur, interrogentur: an velint se duci sinere circa ea, quibus studere debent, ac studiorum modum, & tempus; &, an contenti futuri sint eodem modo, atque alij, in Collegio agere; nullísque privilegijs aut prærogativis minimum omnium, qui in eo fuerint, anteire, omnem sui curam Superiori relinquendo (*z*). Qui verò ùt Indifferentes admissi sunt, de quibus in Exam. c. 1. §. 11. & c. 8. non relinquendi post biennium Novitiatûs in eo gradu; sed determinentur ad aliquem aliorum, nempe vel Scholastici, vel Coadjutoris Temporalis, prout expedire judicabitur (*a*).

z Ex. c. 7. §. 3. & 4. & R. M. N. 80. &c.

a C. 4. D. 52.

Quid præstandum immediatè ante ipsa Vota.

3. Considerandæ præterea sunt Literæ Apostolicæ, Examen, & Regulæ: reddenda etiam conscientiæ ratio: & præmittenda Confessio Generalis postremi semestris; ad quam meliùs instituendam, seséque in prima deliberatione confirmandos, per unius hebdomadæ spatium ad spiritualia Exercitia se colligent (*b*). Et si Su-

b Ex. c. 4. §. 41. & R. M. N. 57. 62. 67.

pe-

periori videbitur, per triduum oſtiatim pro Chriſti Domini noſtri amore mendicent: ut contra quàm eſt communis hominum ſenſus, ad divinum obſequium & laudem magìs ſe poſſint ſubmittere: ut etiam magìs ſint diſpoſiti ad id ipſum faciendum, quando illis injunctum fuerit (*c*).

c Ex. c. 4. §. 27.

Ritus nuncupationis Votorum.

4. Formula, ſub qua emittenda ſunt hæc vota poſt biennium, legitur in Conſtitutionibus Part. 5. c. 4. §. 4. ibidémque §. 3. & l. D. ſubditur: Ut hoc Votum ſoli DEO offertur, & non homini, ità nemo id admittit. Propterea in nullius manibus fieri dicitur; in Sacro tamen coram aliquibus Domeſticis, non tamen inter eos, qui tum fortè Vota renovarent, nuncupatur; & ſanctiſſimum Chriſti corpus à Vovente ſumitur (*d*), niſi Sacerdos fuerit; nam is ex antiqua conſvetudine, quo primùm die elapſo biennio Vota emittit, celebrare ſolet (*e*). Adverte, licèt hæc vota ſoli dicantur DEO offerri, & non homini; non tamen ſequi Scholaſticos eas edentes, in Societatem ipſam non admitti; ùt ex pluribus locis Bullarum, & Conſtitutionum patet. (*f*)

d P. 5. c. 4. §. 3. 4. & R. Prov. 66. & R. M. N. 57

e Ord. c. 1. §. 12.

f C. 5. D. 4. & C. 9. D. 39. §. 5.

5. Poſt emiſſa hujuſmodi vota, in Libro

bro ad hoc destinato, eorum memoria, justas ob causas, debet asservari: & qui emisit, subscribat se tali die, & anno emisisse vota, & clarè intellexisse vim promissionis factæ ingrediendi Societatem, hanc esse, quòd maneat obligatus ad eam indifferentiam, de qua suprà §. 1. dictum est. Subscriptionis autem hujus forma petenda à Reg. 57. Mag. N. (g)

Servanda scripto Votorũ memoria.

g P.5.c.4.G. & C.5. D.50. §.1. & R.M. N. 57.

SECTIO IV.

De effectibus horum Votorum in communi.

1.

RESULTANT ex hujusmodi Votis plures effectus morales, seu legales; quorum alij referuntur ad Vota in genere, alij ad eadem in particulari. Effectus in genere sunt 1. licèt hæc Vota simplicia sint; & qui ea emiserint, ùt ex ipsa formula constat, aliqua ratione extra Societatem dicantur; quatenus hæc, acceptione in Constitutionibus magìs propria, Professos, & Coadjutores Formatos duntaxat continet, tamen verè in corpus Societatis cooptati dicuntur: nec modò illius meritorum & Privilegiorum, non secus ac Professi participes efficiuntur; sed verè, &

Emittens verus Religiosus per illa constituitur.

propriè Religiosi sunt, & nominari debent; cùm Vota substantialia Religionis nuncupaverint, Sedíque Apostolicæ immediatè subjecti, & à quorumvis Ordinariorum, Delegatorum, seu aliorum Judicum jurisdictione omninò exempi sint (*h*).

h Ex. c.4.§.17. & C.1.D.94.& P.5. c.1. A. & Greg. XIII. p. 225. & 236.

Et Apostata habendus ab illis deficiens.

2. Unde fit, eos, utpote veros Religiosos, si à Societate defecerint, excommunicationi, & alijs Apostatarum pœnis subjectos esse (*i*). Nec modò ad seculum sua sponte redire non posse, sed neque ad quamcunque, etiam arctiorem Religionem migrare, una excepta Carthusiensi (*l*): immo jam nec ad ipsam Carthusiensem ex Privilegio concesso Carmelitis Discalceatis à Paulo V. in Bulla *Aliàs illos*; quo privilegio Societas gaudet (*m*).

i C.4. D. 53. & Greg. XIII. p.237.

l Pius V. p. 99.

m Pius V. p. 119.

Quare illis non est liberum Societatem relinquere.

3. Sunt igitur ex parte sua perpetuò obligati Societati, & in perpetuum DEI servitio consecrati; nec in illis Votis quisquam, præter Summum Pontificem, dispensare potest; cessántque solùm per legitimam à Societate dimissionem (*n*). Et quia quibusdam Examinis & Constitutionum locis malè intellectis Impugnatores Societatis abusi fuerant ad horum Votorum elevandam obligationem: declaravit

n Greg. XIII. p.225. & 231. & 236. & C.5. D.4.

Con-

Con. 9. Dec. 39. prædictos locos in sensu intento à S. Fundatore, qui minimè obest obligationi prædictæ, sed eam aut confirmat, aut præsupponit.

4. At quamvis ex parte ipsorum perpetuò, ex parte verò Societatis tamdiu obligati sunt, quamdiu Præpositus Generalis eos retinendos esse censuerit: non proinde tamen obligata est Societas; sed libera manet ad eos dimittendos (*o*); quæ quidem potestas dimittendi quosvis non Professos, tanquam res magni momenti ad Societatis puritatem, & conservationem retinendam, omninò intacta, & illibata esse debet (*p*). Nec est injustum, si Societas libertatem ad eos dimittendos, quando non faciunt, quod debent, retineat: quandoquidem initio ingressûs id illis explicitè manifestatur; atque ipsi conditionem hanc amplectuntur; quæ eis multò est commodior; ut liberi potiùs, quàm votis obligati, dimittantur. Et alioqui facilius est aliquem ab eo, quod debet, deficere; quàm Societatem, vel ejus Præpositum Generalem; quorum tantùm erit posse dimittere: nec id sinè causis justissimis (ùt dicetur Part. 4. c. 7.) fieri debebit. (*q*)

Societas tamen potest illos dimittere.

o Ex. c. 7. §. 1. & Greg. XIII. p. 225.

p Greg. XIII. p. 226. & Gre. XIV. p. 284.

q Ex. c. 6. A. & Greg. XIII. p. 226.

Hæc Vota constituunt impedimentum dirimens matrimonij cõtrahendi.

5. Licèt ab initio Societatis hæc Vota redderent matrimonium illicitum quidē, sed nõ invalidum; & rejecta propositione facta, ut ad avertendum hoc incom̃odum inposterum eadem non simplicia, sed solemnia essent; statutum fuerit, ut si quid hujusmodi incommodi accideret, pro re nata provideretur (*r*): Tamen postmodum à S. Sede statutum est, sic obstrictos, ante legitimam à Societate dimissionem, nõ posse contrahere matrimonium: quinimo eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus hujusmodi nullos, & irritos esse. (*s*)

r C. 1. D. 94. & C. 2. D. 63.

s Greg. XIII. p. 237.

Vota in seculo emissa suspenduntur.

6. Demum Vota emissa in seculo; etiamsi per Professionem non tollantur, in Societate suspensa sunt, & sic eorum obligatio cessat, dum Nostri in Societate manent. (*t*)

t C. 1. D. 132.

SECTIO V.

De Effectibus Voti simplicis Paupertatis, non excludentis rerum Dominium, sed usum, & quando illud abdicandum.

1.

1. Nõ extinguitur Dominium rerum temporalium.

IAm præcipuè considerandi sunt effectus, qui resultant à Voto simplici Paupertatis, quod post Novitiatûs biennium emit-

emittitur. Et primò quidem hoc eſt peculiare, (nam de communibus cuicumque Religioſo Paupertatis Voto dicetur Part. 4. c. 2. ſect. 1.) ut per emiſſionem illius, ſi tempore Novitiatûs (ùt parati ex ſe omnes eſſe debent, *u*) bona ſua non abdicaverint, non amittant horum jus, atque dominium: ſed ea retinere poſſint uſque ad tempus Præpoſiti Generalis judicio præſcribendum (*x*). Idque conceſſum, tum alias juſtas ob cauſas; tum etiam ut majorem Societas habeat libertatem ſuos, cùm opus fuerit, dimittendi. (*y*)

u Ex. c.4. §.2. 3. 4. 5. & P. 3. c. 1. §. 7.

x P. 3. c. 1. §. 7. & F. & P. 4. c. 4. E. & P. 6. c. 2. H. & C. 1. D. 139.

y Greg. XIII. p. 230.

2. Sed licèt Dominium retineatur, omni tamen Bonorum ſuorum adminiſtratione Noſtri exuere ſe debent, ùt primùm Novitiatum ingreſſi fuerint, multò magìs poſt Vota, ſi id antè non fecerint; & abſtinere ab uſu libero eorundem, etiam in Noſtrorum; multóque magìs ejus loci, in quo reſident, utilitatem. Intelligántque, quacumque ratione de ijs bonis diſponant, vel diſtribuendo, vel abdicando, abſque Superioris facultate, contra Votum Paupertatis peccaturos (*z*). Poterunt tamen ex illis aſſenſu Provincialis accedente, ea ijs locis, ac pijs cauſis, per modum eleemoſynæ, applicari, quæ maximè tali

Vſus Poſſeſſoribus permittendus & quis Superioribus permiſſus.

z Greg. XIII. p. 230. & Exa. c.4. §.4. & P.3. c.1. §.7. & P.6. c.2. §.11. & H. & C. 5. D. 10. & 50. §.4. & D. 50. & C. 7. D. 17. §. 1. & 3. & C. 10. & D. 2. & C. 12. D.36. & Or. c.4. §. 17.

tali auxilio egere Provincialis judicaverit (*a*). Sed ut in propriam utilitatem eorum bonorum usus convertatur, nulli est concedendum (*b*). Administratio verò bonorum nondum abdicatorum negata possessoribus, pro personarum, ac Provinciarum qualitate, judicio Provincialis illi committenda, qui majori eam fide tractaturus putatur. (*c*)

a C. 7. D. 17. §. 3.

b R. Prov. 90.

c C. 7. D. 17. §. 2.

Ultra quadriennium tamen non prorogan da ejus abdicatio.

3. Hoc verò tempus, quo permittitur bonorum possessio, est quadriennium: in cujus prorogatione nulli, præterquam Generali, dispensare licet. Qua in re præcipuè spiritualis boni, & possessoris habenda ratio (*d*). Pensiones tamen Ecclesiasticæ, similiáque generum horum, quæ verè personalia sunt, & super Nostrorum personis constituuntur, quibus absolutè, & in solidum abdicare se Nostros non expedit, Patris Nostri judicio distribuenda erunt; ità ut nulla talium administratio apud illos maneat (*e*) Porrò definitum quadriennij tempus ità intelligendum est, ut eo in Societate expleto, tunc tantùm quisque debeat sua bona abdicare, quando nempe ad annum vicesimum pervenerit, & in Vocatione stabilis judicatur; nec patriæ leges diutiùs expectare cogũt. (*f*)

d C. 7. D. 17. §. 5.

e C. 7. D. 17. §. 4.

f R. Prov. 88. & Or. c. 1. §. 10.

4. Quan-

4. Quando verò, judicio P. N, ob graves causas ultra quadriennium prorogata possessio fuerit, nullo modo ex annuis post Novitiatum proventibus debet quidquam possessionibus Nostrorum accrescere: sed in causas pias fructus tales, cùm in potestate Nostrorum fuerint, impendendi sunt (*g*). Si tamen aliter, atque hactenus dictum est, aut Provinciales disponant, aut disponi permittant (relicta in suo vigore Paupertatis obligatione respectu subditi bona possidentis) nullum in materia Votóve Paupertatis ex præcitato Decreto 17 Con. 7. gravamen imponitur, neque valor actuum eliditur (*h*).

Ecquid agendum, si prorogetur.

g G. 7. D. 17. §. 6.

h C. 11. D. 18.

5. Quod si fortè ante quadriennium expletum aliqui abdicare se in solidum suis in Nostrorum usum voluerint, solius P. N. judicio hæc abdicatio committenda (*i*). Hoc eodem tempore, si de annuo censu, vel etiam de rerum proprietate in externas piásque causas disponere vellent, impediendi non essent; neque ad id Generalis assensus requiritur. (*l*)

Quando prævertere hoc tẽpus liceat.

i C. 7. D. 17. §. 7. & Or. c. 1. §. 10.

l Ex. c. 4. §. 5. & P. 3. c. 1. §. 7. & C. 2. Decr. Defin. post D. 23. & C. 7. D. 17. §. 7. & Or. c. 1. §. 10.

SECTIO VI.

Quid servandum in abdicatione Bonorum, & consequentibus ad illam.

1.

Forma Abdicationis.

AT Dominij abdicatio primò ità facienda est, absoluta inter vivos donatione, ut omnis fiducia submoveatur dimissa bona ullo unquam tempore recuperandi (*m*): & propterea Renunciationis formula, recognoscenda à P. N, ea esse debet, ut quantùm fieri possit, artificia nulla prosint eludere volentibus observationem eorum; quæ in hac materia Societas tam studiosè, támque sollicitè sibi esse cordi demonstravit. (*n*)

m Ex. c.4. §.1. & C. 7. D. 17. § 4.

n C. 10. D. 2.

Qui ante illam monendi.

2. Licèt Nostris, qui de suis bonis sunt dispposituri, integrum sit pactiones cum suis parentibus, & quibuscumque alijs de legitima parte, & alijs bonis ad se pertinentibus inire: admonendi tamen sunt illi priùs, Societatem ipsam ad ea bona nullum jus habere. Nullæ tamen hujusmodi pactiones deinceps ineantur; nisi priùs Generalis Præpositus de conditione & animo Fratris, de cujus legitima parte, vel bonis agitur, & de necessitate Provinciæ, in qua sunt bona, & de re tota diligenter informetur: & universa hujus rei praxis ex illius judicio, & gubernatione exerceatur; & Instructio ad Provinciales circa praxim hujus decreti fiat. (*o*)

o C 3. D. 39. & C 4. D. 65 & R. Prov. 87. 88. & Or. c. 1. §. 10.

3. De-

3. Debet præterea hæc Abdicatio esse universalis; ità ut Bonorum omnium dominio, si quod habent, etiam pensionum, ac censuum, sive realium, sive personalium, sive vitalitiorum; quin & jure omni suo exuere se Nostri teneantur, ubi primùm per ætatem, & patrias leges licebit (ùt suprà dictum est) quando id consultum P. N. judicaverit. Circa Pensiones tamen Ecclesiasticas, & similes servandum, quod suprà proximè superiori sect: §. 3. dictum est. (*p*)

Omnia abdicanda.

p C. 7. D. 17. §. 4.

4 De Pensionibus annuis, quæ Nostris aliquando assignatæ sunt, statutum est 1. liberum hujusmodi pecuniarum usum nemini prorsus esse concedendum. 2. Pensiones hasce, quoad ejus fieri poterit, certo alicui Societatis domicilio esse applicandas: ad cujus Superiorem plena de pecunijs inde provenientibus dispositio pertineat. 3. Denique, si hæc ex aliquo casu fieri applicatio non possit; id certè semper fixum, ratúmque, debere summam integram pecuniarum illarum, sive pensionum venire in manus, potestatémque Superioris localis, vel Provincialis, pro arbitrio Generalis. (*q*)

Pensiones annuæ Nostrorũ quo pacto administrandæ.

q C. 12. D. 37.

5. Circa Abdicationem explicandum

Bona in pios usus distribuenda.

est, in quorum utilitatem cedere illa debeat. Et 1 Bonorum distributio in res debitas, & obligatorias, si quæ fuerint, & tunc quàm citissimè facienda est (r). 2. Si tales nullæ fuerint, in pia, & sancta opera, juxta propriam devotionem, seu pauperibus bona distribuenda sunt, & à se omnem fiduciam submovendo eadem ullo tempore recuperandi; ut consilium Euangelicum, quod non dixit, da consangvineis, sed pauperibus, perfectiùs sequamur; & ut exemplum omnibus exhibeatur inordinatum erga parentes affectum exuendi, atque ut ad eos recurrendi aditus præcludatur (s).

r. Ex. c 4. §. 1.

s Ex. c. 4. §. 1. 2. & P. 3. c. 1. §. 7 & 25. & C. 2. Decret. Defin. post. 23.

Et si in consanguineis, non temerè fiat.

6. Si dubitaretur, num majoris foret perfectionis, dare consangvineis hujusmodi bona, quàm alijs, propter parem, vel majorem ipsorum penuriam; res transigenda est, ad declinandum erroris periculum, ex arbitrio aliorum, quos cum approbatione Superioris renunciaturus elegerit, ùt suprà cap. 4. sect. 2. dictum est (t). Curabit verò diligenter Præpositus Generalis, ut in hujus Constitutionis praxi sinistræ opinioni, & scandalis occurratur. (u)

t Ex c. 4. §. 3. & P. 3. c. 1. G.

u C. 2. D. 76.

7. Si quis autem, motus sua devotione, vel-

vellet bona sua, vel eorum partem in Societatis subsidium dispensare: haud dubiè opus faceret majoris perfectionis, alienationis, & abnegationis universi amoris proprij, non descendendo, tenero quodam affectu, ad particularia loca; quin potiùs, exoptando majus, & universalius bonum Societatis, ei, qui ejus universæ curam habet, judicium relinquat; num applicari huic loco potiùs, quàm illi in eadem Provincia ipsius bona debeant. Quæ quidem major perfectio renunciaturo repræsentanda est. Nihilominus, si in eo propensio animi ad determinatum locum cerneretur; etiam si judicio Superioris se submittere vellet; certior fiat Præpositus Generalis, ut dispiciat, an sit aliquid hujusmodi imperfectionis tolerandum; sperando quòd ea cessabit aliquando, supplebítque divina bonitas, quod ad suam majorem gloriam, & majorem ipsius perfectionem deesse cernitur. Erit igitur in manu Præpositi Generalis potestas eam applicationem probandi, vel improbandi. Quare admonendus per Provincialem est de bonorum valore, & de animo relinquentis, & de necessitate Provinciæ, si in ea sunt bona (*x*). Quod si contingat, ante ap-

Et si Societati dispensantur, non certo loco addicenda.

x P. 3. c. 1. §. 9. & H. & R. Pro. 88. & C. 2. Decret. Defin. post. 23.

approbationem Generalis, donantem sua bona certo alicui Collegio, vel mori, vel professionem emittere; erit in potestate Generalis donationes hujusmodi ratas habere, atque admittere. (*y*)

y C. 11. D. 17.

Sed neque extrahenda è Provincia.

8. Habenda etiam est ratio Regum, Principum, ac aliorum Potentatuum, nè ex hac applicatione bonorum uni potiùs loco, quàm alteri facienda, eis causa ulla offensionis detur; sed ad majorem ædificationem omnium, & spiritualem utilitatem animarum, & gloriam DEI omnia cedant (*z*). Propterea circa extractionem pecuniarum ex aliqua Provincia vel Regno observanda sunt edicta Regia (*a*). Et in gratiam eorundem Principum, adeò religiosè observandum est, quod suprà indicatum fuerat de Bonis applicandis intra eandem Provinciam, quando in commodum Societatis cessura sunt; ut si aliquis imperfectionem sequutus particulari alicui Societatis nostræ loco, extra Provinciam, applicare sua bona velit; nec acquiescere velit dispositioni faciendæ à Generali: tunc ea bona à Societate nostra non admittantur; sed ea teneatur in veros Christi pauperes extra Societatem dispensare (*b*).

z P. 3. c. 1. §. 9.

a C. 2. D. 15.

b C. 2. D. 23. & adjuncto Definitorum.

9. Per

9. Per *eandem Provinciam* intelligenda est Provincia, in qua sunt bona; non autem in qua quis Societatem ingreditur, aut versatur; sumpto tamen Provinciæ nomine, more Societatis, prout scilicèt subest uni Præposito Provinciali. Et in hujusmodi Provincia tantùm, & non alibi bona illa distribui debent. Quod si in eadem Provincia sint plura dominia diversis Principibus subjecta, diligenter servanda Constitutio superiùs citata; ut scilicet in transferendis hujusmodi Fratrum nostrorum bonis ex uno dominio in aliud, vitentur offensiones Principum. (*c*)

Quid hìc nomine Provinciæ veniat.

c. C. 3. D. 16.

10. Occasione necessitatis Collegij Romani data est facultas Patri Generali, ad certum tempus, dispensandi in supradictis Decretis, etiam pro reliquis Seminarijs omnium Provinciarum, habita ratione necessitatis, & communis boni; ut cùm quis in his locis ad Societatem admittitur, possint ejus bona, quæ in alia Provincia fuerint, applicari illi Seminario: modò scandalum semper in his distributionibus vitetur (*d*). Quæ facultas sinè limitatione temporis concessa est intra Regnum Hispaniæ, & similiter ad alia Regna prorogata (*e*). Ac demum enixè commenda-

Dispensatio in gratiam Seminariorum.

d C. 3. D. ultimo & C. 4. D. ultimo.

e C. 6. D. 8.

datum est Provincialibus, ut omnia tentantes, Seminaria juvent, vel ijs applicando Nostrorum legitimas, & similia Provincialis dispositioni permissa, vel contributione aliorum Collegiorum. (*f*)

f C. 8. D. 60. §. 3.

Ædificatio curanda dum exiguntur.

11. In universum magnopere curet Provincialis, ut bona applicata Societati cum ædificatione exigantur; potiúsque per Procuratores externos, quàm per Nostros. Expedit quoque, ut ex his eleemosynæ aliquæ in pauperes ejus oppidi, ubi sunt bona, distribuantur; & ratio dati, & accepti talium bonorum scripto constet. (*g*)

g R. Prov. 89. & Or.c.1. §.10.

SECTIO VII.

De obligatione reliquorum Votorum.

De Votis Castitatis & Obedientiæ.

1.

CIrca Votum Castitatis jam dictum est, unà cum alijs esse Impedimentum dirimens Matrimonium, & de ejus Angelica puritate sectanda dicetur Part. 4. c. 2. sect. 2. De Obedientia, quatenus præcisè Votum est, nihil occurrit peculiare hujus Instituti, quoad voti obligationem attinet; alioqui in Societate hæc virtus peculiari studio curanda est, ùt infrà Parte 4. cap. 2. sect. 3. referetur.

2. Su-

2. Supereſt de promiſſione illa adjecta ingrediendi Societatem, quæ habet vim quarti Voti: & de hac præter dicta ſuprà ſect. 3. §. 1. dum explicaretur quid proponendum eſſet Novitijs in fine Biennij, ſufficiat addere 1. obligationem extendi etiam ad Coadjutores Temporales (*h*). 2. Vi ejuſdem, etiamſi præceptum Obedientiæ non ſuperveniat, teneri unumquemque imperatum Gradum vel Profeſſi, vel Coadjutoris Formati ſuſcipere; & ſi non fuerit obſecutus, cenſendum in malo ſtatu eſſe, atque ab Sacramentorum uſu, & adminiſtratione excludendum. Non vetatur tamen proponere Superioribus rationes, conſveto Societatis more, quas ſcriptas tradet; ſed perſtantibus in ſententia parendum (*i*).

De quarto Voto ingrediendi Societatem.

h C. 7. D. 39.

i C. 5. D. 50. § 1. & C. 7. D. 32. & Cl. c. 6. §. 9.

PARS

PARS II.

De Scholaſticis.

POſtquam, expleto Novitiatu, Religioſa emiſſa ſunt Vota, plerique Noſtri literis informandi ad Collegia mittuntur. In ea tamen admitti non debent, nec ad ullam facultatem promoveri, abſque Provincialis approbatione; cui Rector poſt maturam conſiderationem, & examen de unoquoque, ſuo tempore, ſignificabit quid ſentiat (*a*). Poſcit igitur inſtituta dicendorum ſeries, ut de Scholaſticis noſtris hìc agatur, quod perficietur præmiſſa tractatione Collegiorum ipſorũ; quæ erudiendis Scholaſticis adornantur.

a P. 4. c. 5. §. 2. & c. 9. §. 3. & c. 13. §. 4. &c. & R. Prov. 42. 50. 51. 52. & R. Rect. 37. & 44. & St. 24.

CAPUT I.

De Collegiorum Fundatione.

SECTIO I.

Finis Collegiorum.

I.

CUm ſcopus, ad quem tendit Societas, ſit varias Mundi partes ex Obedientia

tia peragrando Verbum DEI prædicare, Confeſſiones audire, & reliquis, quibuſcumque poterit, medijs uti, Divina gratia aſpirante, ad animas juvandas; rationi conſentaneum viſum eſt, ut in eam ingreſſuri viri ſint probitatē, & literarum eruditione, ad id officium idonei. Et quia boni ſimul & eruditi, pauci inveniuntur; & ex paucis major pars jam à ſuſceptis laboribus vellet conquieſcere; perdifficile fore deprehendimus, hujuſmodi hominibus, qui boni ſimul & literati eſſent, hanc Societatem augeri poſſe, tum propter magnos labores, quos ejus Inſtitutum exigit, tum propter magnam ſui ipſorum abnegationem. Ideo nobis omnibus, qui conſervationem & incrementum ejus ad majorem laudem, & obſequium DEI ac Domini Noſtri cupiebamus, alia via tenenda eſſe viſa eſt; admittendi nimirum Juvenes, qui bonorum morum, & ingeniorum indole ſpem facerent, quòd in probos ſimul, ac doctos viros eſſent evaſuri (*a*). Ad hoc Collegia, & aliquando etiam Univerſitates, & Studia generalia Societas amplectitur; in quibus admittuntur, qui bonum ſui ſpecimen in Domibus præbuerunt; nec tamen doctrinâ ad

1. Vt inſtruantur in literis Scholaſtici Societatis.

a P. 4. Proœm. A.

F no-

noſtrum Inſtitutum neceſſariâ ſatis inſtructi acceſſerunt: ut in ea, & in alijs rebus, quæ ad juvandas animas conferunt, inſtruantur (*b*). Et hæc quidem Studia generalia ſeu Seminaria perfecta, in qualibet Provincia curanda ſunt: ſed ubi Noſtris docendi munus imponitur, non præproperè huic negotio danda eſt opera. (*c*)

b P.4. Procem. §. 1. & St. Re. Rect. 1.

c C. 2. D. 9.

2. Vt Externi pietate & literis imbuantur.

2. Eadem charitatis ratione, qua Collegia admittuntur, & publicæ Scholæ in eis, non tantùm ad Noſtrorum, ſed magìs etiam ad Externorum ædificationem in doctrina, & moribus, tenentur. (*d*)

d P.4. c. 11. §. 1. & c. 7. §. 1.

SECTIO II.

Quomodo agendum cum Fundatoribus Collegiorum.

1.

Singularis erga Fundatores obſervantia.

QUoniam valdè æquum eſt, ut illorum devotioni, & beneficentiæ correſpondeamus, quibus Divina Bonitas ad fundationem, ac dotationem Collegiorum utitur adminiſtris: in univerſum tum ipſis, tum eorum Neceſſarijs, & quoad vivunt, & poſtquam obierint, peculiariter ſeſe devinctam eſſe Societas, ex charitate, cognoſcat: ut omni officio illos proſequa-

quatur, quod à nobis præstari, juxta minimam hanc noſtram Profeſſionem ad Divinam gloriam, poſſit (*e*). Injungitur etiam Rectori, ut obſervet, quæ erga Fundatores, & Benefactores obſervanda ſunt. Nec ea cura Provinciali poſtrema ſit (*f*).

e P. 4. c. 1. §. 1. & §. 6.

f R. Rect. 76. & Prov. 95.

Miſſæ anniverſariæ, & una ſolemnis.

2. Servanda verò ſunt, quæ ſequuntur. Cùm primùm Societas in Collegij alicujus poſſeſſionem venerit, Præpoſitus Generalis curet indici per univerſam Societatem; ut quilibet Sacerdos ter Sacrum faciat, pro ſuperſtite Fundatore ipſius Collegij, & Benefactoribus. Singulis inſuper annis, eo die, quo Collegij cujuſque poſſeſſio Societati tradita eſt, quicumque Sacerdotes in eodem Collegio adfuerint, ſacrificia pro Fundatore, & Benefactoribus peragent; & Miſſa ibidem celebrabitur cum ſolemnitate nobis uſitata. (*g*)

g P. 4. c. 1. §. 4. & A.

Candela oblatio quotannis.

3. Eodem die Candela cerea Fundatori offeratur, aut uni ex ſuis, qui ipſi ſit cognatione proximè conjunctus; aut illi demum, quem ipſe Fundator deſignaverit: in qua Candela armorum Fundatoris, vel devotionis inſignia extent. Eadémque, ſi in loco, ubi Collegium inſtitutum, ſucceſſu temporis, non eſſet aliquis de poſteritate Fundatoris, mitti aliò poterit; ubi

ex ejus progenie aliquis inveniretur; vel in altari conſtitui, ubi divinum ſacrificium celebratur. Jllâ verò teſtabitur Societas debitam gratitudinem, non jus Patronatûs, vel actionis ullius, quod Fundatori, aut Succeſſoribus ejus in Collegium, aut ejus bona temporalia competat. (*h*)

h P. 4. c. 1. B. C.

Alia ſuffragia.

4. Initio item cujuſque menſis omnes Sacerdotes, qui in Collegio fuerint, pro Fundatore, & Benefactoribus Miſſæ ſacrificium offerre perpetuò debent. Præterea ſingulis hebdomadis pro ijſdem in quolibet Collegio una Miſſa celebretur. Cùm ex hac vita Fundatores exceſſerint, Præpoſitus Generalis, ubi primùm reſciverit, curabit, ut per totam Societatem ſinguli Sacerdotes ter Sacrum pro anima illius faciant. Quoties autem dictum eſt, Miſſas eſſe à Sacerdotibus celebrandas; cæteri omnes qui in Collegijs degunt, ac Sacerdotes non ſunt, ad eandem illam intentionem orare debent; quandoquidem ejuſdem gratitudinis nomine utrique obligantur in Domino (*i*). Præter Miſſas, quæ pro Fundatoribus dicuntur, una, vel duæ, aut plures (pro numero Sacerdotum, & prout convenerit) ſingulis hebdomadis pro Benefactoribus vivis & defunctis offe-

i P. 4. c. 1. §. 1. 2. & 4.

ferentur: DEUM ac Dominum noſtrum rogando, ut pro illis hoc ſanctum Sacrificium admittere, & pro infinita ac ſumma liberalitate ſua, eam beneficentiam remunerari, qua illi erga Societatem noſtram, ex divino amore, ac reverentia uſi ſunt, æternis præmijs dignetur (*l*). Quæ omnia diſtinctiùs habes in Catal. Miſſarum inter Regulas pag. 181. &c.

l P. 7. c. 4. §. 4.

Quid ſi Fundator ſit Epiſcopus ſeu Reſpublica.

5. Quando ab Epiſcopis fiunt Fundationes Collegiorum de bonis menſæ Epiſcopalis, síntne habendi Succeſſores in fundatione, Epiſcopi ſubſequentes, an Fundatorum conſangvinei, dijudicet Generalis (*m*). In Communitatibus, vel Rebuspublicis, quæ non moriuntur, dicentur hujuſmodi Miſſæ pro earum defunctis, & pro illis præſertim, qui de nobis meliùs meriti ſunt in Domino. (*n*)

m C. 5. D. 11.

n P. 4. c. 1. D.

Alia emolumẽta ſpiritualia Fundatorum.

6. Fundatores præterea, ac Benefactores Collegiorum, participes peculiariter efficiuntur omnium bonorum operum, quæ tum in ipſis Collegijs, tum in reliqua Societate, DEI gratiâ, fiunt (*o*). Iidem Fundatores, & eorum Liberi, ſemel in vita, & in morte plenariam omnium peccatorum veniam, & indulgentiam conſequuntur. (*p*)

o P. 4. c. 1. §. 5.

p Comp. Priv. V. Indulg. §. 30.

SECTIO III.

Quàm multa & per quem Collegia admittenda.

I.

Collegia non multiplicanda.

AB ipsis fundatæ Societatis initijs ad postrema usque tempora in multiplicandis Collegijs modus, aut commendatus est, aut imperatus. S. P. IGNATIUS constituit, nè, incipiendo ab Anno 1553. per decem proximè futuros, admitteretur Collegium ullum, ubi non possent sustentari saltèm quatuordecim Socij; & Domus & Ecclesia conveniens nostris usibus non traderetur. Quod temporarium edictum à proxima Congregatione confirmatum est (*q*). Iterum hac eadem materia diligenter per triduũ disputata, placuit moderationem adhiberi, & plurimis maximíque momenti rationibus in medium adductis, rogatus est Pater Generalis, eíque seriò commendatum; ut potiùs applicaret animum ad roboranda, & ad perfectionem adducenda Collegia jam admissa, quàm ad nova admittenda: & si quæ admittenda existimaret, ejusmodi essent, ut ad commune bonum Ecclesiæ DEI magnum momentum habitura

q C. 2. D. 73.

tura viderentur, & sufficienter dotata: neque hæc ipsa admitterentur, si non haberet Societas Rectores, ac Magistros, ac demum operarios idoneos, & quidem sinè aliorum Collegiorum detrimento, & auditis Assistentium sententijs (*r*). Cúmq; indies magis ex multitudine Collegiorum magna incommoda exoriri experientia docuisset; in Con. 3. semel atque iterum Pater Noster rogatus est; eíque seriò commendatum; ut potiùs ad roboranda Collegia jam admissa, quàm ad nova admittenda applicaret animum, & Decretum 8. Con. 2. servari curaret (*s*); rursúsque eadem Decreta confirmata sunt à Cong. 5. (*t*). Demum, cùm Congregatio 11. amplam potestatem faceret P. Vicario dissolvendi quæcumque Collegia malè constituta, eidem commendavit: ut se in admittendis novis Collegijs exhiberet planè difficilem. (*u*).

r C.2. D.8.!9.
s C.3. D.17. & 20.
t C.5. D.69.
u C.11. D.26.

2. Sed ad Collegia admittenda, quæ liberè Societati offeruntur, ut juxta suas Constitutiones omninò eis utatur, Præpositus Generalis, nomine totius Societatis, plenam potestatem habet. Quod etiam de Universitatibus intelligendum est: circa quarum conditiones, auditis senten-

Generalis est ea admittere.

tijs ſibi Aſſiſtentium, per ſeipſum deliberare poterit, an ſint admittendæ; non tamen ſe facilem ad extraordinaria onera ſuſcipienda reddet: & ſi qua in re indulgeatur, conſtet obligationem nullam induci; ſed id quod additur, omninò voluntarium eſſe. (*x*)

x P 4. c.2. §.1. & C. & c.11 §. 2. & A. P. 9. c. 3. §. 17.

Sic admiſſa Apoſtolicâ auctoritate erecta ſunt, & exempta.

3. Non ſolùm autem oblatas Domos, Eccleſias, ſeu Collegia cum omnibus ad id neceſſarijs conſtrui, & locum pro hujuſmodi conſtructione oblatum recipi poſſe à Societate per Sedem Apoſtolicam conceſſum eſt; ſed & ipſas Domos, Eccleſias, Collegia, Oratoria, conſtructa à Societate, vel ei donata, eo ipſo Apoſtolicâ auctoritate erecta, ac confirmata ſunt: ac bona quæcumque, pro Collegiorum, ſeu Scholarium ſuſtentatione donata, eo ipſo, eâdem auctoritate Apoſtolicâ, perpetuò ápplicata cenſeri debent: & quæcumque demum Sociorum bona ab omni juriſdictione Ordinariorum liberantur; ac ſub S. Sedis protectione ſuſcipiuntur. (*y*)

y Paul. III. p. 42. & Jul. III. p. 66.

Eadem tamen diſſolvi poſſunt.

4. Ad relinquenda autem, vel alienanda Collegia & Domos jam fundata Præpoſitus Generalis, ſimul cum ipſa Societate, auctoritatem habet; & quidem non extra Congregationem Generalem, ſi

omnino

omnino negotium ad illam differri possit. Quod si necessitas prævertendum svadeat; Generalis exquiret suffragia Provincialium, & duorum antiquissimorum Professorum cujusque Provinciæ, intra Europam tamen; & illius præterea Provincialis, etiam extra Europam, sub quo esset Collegium, aut Domus, de quibus controvertitur. Habent etiam ad hoc jus suffragij Assistentes, Procurator Generalis, & Secretarius. Major autem pars horum suffragiorum sufficit ad id statuendum, de quo deliberatur. (z)

z Jul. III. p. 62. & P. 4. c. 2. §. 3. & A. & c. 10. §. 2. & c. 11 §. 2. & C. 4. D. 23. & 27. & P. 8. c. 2. §. 2. & P. 9. c. 3. §. 5. & 17. 18.

5. Quod autem sic relinquitur, vel ejus partem, non potest Societas, nec ejus Generalis ullis extra Societatem hominibus donare; sed dispositio spectabit ad Fundatores, si hanc facultatem, dum fundarent, sibi reservârunt. Quod si talis Reservatio non intercesserit; poterit Societas procedere, ùt magìs ad DEI gloriam & suum Institutum expedire judicaverit. (a).

Ad quem spectent Collegiorum dissolutorum bona.

a P. 4. c. 2. A.

SECTIO IV.

De Collegiorum structura.

1.

UBi de Fundatione cum ejus Auctoribus convenit, admovenda manus est ope-

Locus sit salubris.

operi; & 1. materialis ſtructura occurrit, circa quam 1. ut ratio habeatur valetudinis, curandum eſt; ut Domus & Collegia in locis, ubi ſit purum, & ſalubre Cœlum, habeantur; & non in eis, qui contrariam habent proprietatem. (*b*)

b P. 10. C.

Ædificia non curioſa, ſed firma.

2. Modus eſt imponendus ædificijs noſtris, quantum in nobis fuerit: nè, præter cætera incommoda, fiant aliquando Palatia Nobilium; ſed ſint ad habitandum, & officia noſtra exercenda utilia, ſana, & fortia; in quibus tamen paupertatis memores videamur; unde nec ſumptuoſa ſint, nec curioſa. De Eccleſijs tamen nihil eſt dictum. (*c*)

c C. 1. D. 113.

Ædificãdi forma à Generali petenda.

3. Quæcumque ædificanda majoris momenti fuerint, ùt eſſet Templum, Dormitorium, vel aliquid hujuſmodi, niſi approbante Generali non fiant; ad quem pertinet formam, & modum noſtrorum ædificiorum præſcribere. Ædificia verò conſervari, & ſi opus erit, reſtaurari Provincialis curet; nihil tamen, quod neceſſarium non ſit, permittat. Nam Superiores locorum inconſulto Provinciali ædificare nihil debent. (*d*)

d C. 2. D. 84. & R. Prov. 75. & Or. c. 2. §. 9. & in temp. Prov. §. 10.

Privilegia Apoſtolica pro ædificijs.

4. Conceſſa eſt facultas ædificandi & recipiendi Collegia, Domos, Eccleſias in qui-

quibusvis mundi partibus, & mandatum omnibus Potestatibus Ecclesiasticis, & Secularibus, nè hujusmodi constructiones ullo modo impediant (*e*). Quin permissum, ut id nobis liceat etiam intra centum quadraginta cannas à Conventibus aliarum Religionum, etiam Mendicantium, & non obstantibus earum Privilegijs (*f*). Quamvis, quoad hæc Privilegia attinet, servanda moderatio præscripta ab Urbano Octavo Const. 27. tom. 5 Bullarij.

e Paul. III. p. 46. 47. & Pius IV. p. 82. &c. & Greg. XIII. p. 162. &c.

f Pius IV. & Greg. XIII. locis citatis.

SECTIO V.

De reditibus Collegiorum.

1.

POst Collegiorum fabricam considerandi se offerunt eorum reditus; & 1. certum est Societatem posse admittere & retinere Collegia, & Domos Probationis reditibus dotatas, usibus & necessitatibus Scholasticorũ eos reditus applicando (*g*). Immo, ut hi liberiùs studijs vacare possint (quæ causa fuit, ut Collegia reditus habere possint, quod Domibus Professis non licet) statutum est; ut admittantur tantùm Collegia ità dotata, vel eam rerum vitæ necessariarum commoditatem habentia: ut non tantùm Operarij, sed & nu-

Collegia dotari possunt, & debent.

g Ex. c. 1. §. 4. & P. 4. c. 2. §. 6. & Paul. III. p. 14. & Jul. III. p. 66. & Pius IV. p. 89. & Greg. XIII. p. 230.

b C.1. D.73. & C.2. D.8. & C. 5. D.69.

numerus proportionatus Scholasticorum sustentari possint. (*b*)

Ubi sufficiens dotatio, non admittendæ eleemosynæ, aut dona.

2. E contrario, ob majorem populi ædificationem, in ijs Collegijs, quæ duodecim Scholasticos, præter Præceptores, ex proprijs reditibus alere possunt, nec petantur eleemosynæ, nec illæ, aut dona ulla oblata admittantur. Si reditus minores fuerint, quàm huic numero alendo sufficiant; admitti quidem, non autem peti aliquæ eleemosynæ possent: nisi tantâ paupertate Collegium premeretur, ut etiam petere, saltèm à quibusdam, esset necessarium. Tunc enim (majus divinum obsequium, & universale bonum præ oculis semper habendo) peti eleemosynæ, immo & ostiatim ad tempus, quandocunque necessitas id exigeret, emendicari poterunt (*i*). Videat etiam Rector, nè Magistris, vel ullis alijs de Societate sibi, aut Collegio pecuniam, aut dona quævis, ab ullo, pro re quavis, in ipsorum utilitatem facta, accipere permittat; quandoquidem præmium nostrum solus Christus Dominus, juxta nostrum Institutum, futurus est; qui est merces nostra magna nimis (*l*). Vide infrà Part. 3. c.7. S.2. §.6. neque enim ad solas Domos Professas ibi dicta pertinent.

i P. 4. c.2. §. 6.

l P.4. c.15. §.4.

3. Ad

3. Ad eas igitur Constitutiones respiciendo, cùm Civitas Perusina in lectione quadam publica literarum humaniorum, operâ cujusdam ex nostris usa fuisset; & Collegio nostro Perusino, loco stipendij, quod Prælectoribus hujusmodi lectionis solvi solebat, centum aureos singulis annis (pro eleemosyna tamen, non pro stipendio) solvisset; Visum est in Domino expedire, ut nec lectionis illud munus, nec centum illi aurei in posterum admitterentur. (*m*)

Exemplum Collegij Perusini.

m C. 2. D. 24.

4. Cùm autem earundem Constitutionum finis sit populi ædificatio; ad hujus normam tam finis, quàm praxis Constitutionum exigenda est, judicio P. Generalis; qui & interpretari has Constitutiones, & dispensare etiam possit (*n*). Et declaratum postmodum est, Collegia, quæ possunt alere duodecim Scholares, nullas eleemosynas admittere posse, nisi levis momenti, rarò, & ab ijs, quorum timeatur offensio, si non admittantur; reliqua Collegia possunt: sed si ab ijs mittantur, quorum filij scholas nostras frequentant, & conjectura sit mitti pro compensatione, vel intuitu ministerij, admitti non debent; donec planè intelligant accipi non posse,

Explicantur præcedentes Constitutiones.

n C. 3. D. 25.

posse, nisi nomine eleemosynæ, secluso omni alio respectu (*o*). Per hanc autem Ordinationem nulla alia obligatio, præter quàm simplicis Constitutionis, inducitur (*p*). Præterea, non obstantibus prædictis; si benefactores essent, qui possessionem aliquam, vel reditum dare vellent, admitti illa possunt: ut tantò major numerus Scholasticorum, ac Præceptorum ad majus divinum obsequium, posset sustentari. (*q*).

o Or. Gen. c. 1. §. 14.

p C. 8. 59.

q P. 4. c. 2. G.

Quatenus retineri possint reditus sinè scholis.

5. Collegia verò absque sufficienti dotatione fundata, in quibus Nostri nec legant, nec Scholasticos alant, visum olim est hac ratione retineri posse; si ex fructibus videlicet eorum, per publicam aliquam personam conservatis, daretur opera, ut plenè fundarentur. Nostri tamen interim bonis illis non uterentur; sed viverent ex eleemosynis: ac simul darent operam; ut prædicta Collegia sufficienter etiam aliunde dotarentur (*r*). Postmodum sancitum est: de Collegijs, in quibus propria Collegiorum munia non exercentur, vel quia nondum plenè constituta sunt, licèt sint inchoata, vel quia ædificandi necessitas non patitur nostros legere, nec Scholasticos nostros illic ali,

r C. 2. D. 71.

Pa-

Pater Generalis judicet, an, & quamdiu ex eleemosynis, vel ex reditibus vivere debeant; cùm hic casus sit diversus à proximè Superiori. (*s*) *s C. 3. D. 43.*

SECTIO VI.

De obligationibus in Fundatione Collegiorum vitandis.

1.

Cum varias conditiones imponere aliquando possint Fundatores nostris Collegijs; erit Generalis Præpositi considerare, an expediat ea admittere cum conditionibus minùs nostro Instituto consentaneis. Et si temporis decursu gravari se eo onere Societas animadvertet; poterit in Congregatione Generali proponi, & statui, ut relinquatur Collegium hujusmodi; vel prospicere, ut onus temperetur; vel certè, ut ad onus ferendum vires majores præbeantur; si quidem ante Congregationem huic incommodo Generalis non occurrerit (*t*). At Provincialis nullam admittet conditionem in Fundationibus, quam Generalis non approbaverit. (*u*)

Nō temerè conditiones admittendæ.

t P.4. c. 2. §.2. & P.9. c.3. §.17. & C. 2. D. 21.

u R. Prov. 76.

2. Inter conditiones autem repugnantes Instituto numeranturCuræ animarum, ob-

Recusanda curæ animarum,

& Missarum onera commensurata reditui. obligationes ad Missas celebrandas, atque aliæ hujusmodi, quæ cùm à studijs admodum distrahant; & ea, quæ ad divinum obsequium in Collegijs quæruntur, impedire soleant, non sunt admittendæ (*x*). Quod sic intellige, ut excludantur obligationes Missarum, & similes commensuratæ assignato reditui. Non tamen perinde inconveniens existimatur, aliquam facilem, & exiguam obligationem (quæ tamen non sit animarum cura) admittere; si causa sufficiens ad id moveret; & res perexiguam distractionem allatura esset (*y*). At non expedit in nostris Ecclesijs Capellanias erigi, quibus inserviant Clerici seculares, per Nostros eligendi: nam ex earum censibus Collegia augeri posse videntur. (*z*)

x P. 4. c. 2. § 4.
y P. 4. c. 2. B. & P. 6. c. 3. C.
z C. 1. D. 134.

Nec aliqua Cõgregationũ genera admittenda. 3. Et licèt Collegia etiam possint (ùt infrà dicetur Part. 5.) non spiritualibus modò, sed & corporalibus charitatis operibus proximos juvare, præcipuè in Xenodochijs, & per se, & alios excitando: nihilominus non convenit eadem cùm aliqua Congregatione misceri; nec in illis conventus alios agi, præter eos, qui ad eorumdem Collegiorum finem in divino obsequio fient (*a*). Quare non est admissum

a P. 7. c. 4. G.

missum Collegium in oppido de Oropesa; quamquam optimè meritus de Societate, idémque nobilissimus loci Dominus rogaret; quia nempe Hospitalis infirmorum, & domus puerorum in doctrina, & vita Christiana instituendorum cura simul imponebatur. (*b*) *b* C. 3. D. 13.

Obligationes ipsæ Lectionum nō ultra vires.

4. Quin obligationes ipsæ Lectionum, & Lectorum non sinè magna consideratione, nec ultra limitem, quem Præpositus Generalis ad majorem DEI gloriam posuerit, assumentur (*c*). Quod si hæ obligationes Lectorum, aut aliæ propositæ à Fundatore, admittantur; judicando utile tunc esse ad finem divini servitij id oneris subire; omnino in eis implendis deesse non oportet: sicut nec facilè in hac parte, præter id, ad quod obligantur (præsertim, si id interpretari quis posset, quasi nova induceretur obligatio) præstandum est, sinè Generalis consensu. (*d*)

c P. 4. c. 2. B. & In. Temp. pro Prov. §. 4.

d P. 4. c. 11. A. & For P. Laynez post Decr. 2. Congreg.

Sacræ Lectiones & similia non ex pacto.

5. At cùm munus Lectionis Theologiæ, concionandi, & Confessiones audiendi sint ministeria spiritualia in salutem proximorum; pro quibus nostræ professionis proprium sit nullum temporale præmium accipere: non convenit illam Collegij dotationem accipere, per quam ad

præſtanda ejuſmodi munia Societas obligetur. Quamvis ratio æquitatis & gratitudinis poſtulat, ut majori diligentia in dictis miniſterijs exerceamur in ijs Collegijs, quæ cum majori liberalitate, & devotione fundata ſunt (*e*). Et hæc quidem de obligatione directa. Cæterùm ſi Societas curam ſuſciperet alicujus Univerſitatis, non repugnaret hujus Conſtitutionis intentioni, ut ſeſe ex conſequenti obligaret ad Lectiones illius ordinarias; quamvis inter illas aliquæ Theologicæ eſſent. (*f*).

e P.4. c.7. §. 3. & C. 1. D. 74.

f P.4. c.7. E. & C. 1. D. 75.

CAPUT II.

De Adminiſtrandis Bonis temporalibus Collegiorum.

SECTIO I.

Ad quos hæc Adminiſtratio pertineat.

1.

Societas Profeſſa ſuperintendit Collegijs per Generalem.

SUpremam curam, vel ſuperintendentiam Collegiorum, juxta Sedis Apoſtolicæ literas, Profeſſa Societas habebit. Cùm enim quidquam ex reditibus in ſuum uſum convertere non poſſit; eſt valde probabile; quòd majori cum puritate, ac ſpiritu conſtantiùs procedet. Hanc autem

tem curam exercebit per Præpositum Generalem; qui pariter, cùm nec in suum, nec in ullorum consangvineorum suorum, nec in Professæ Societatis usum bona Collegiorum possit convertere, eò puriùs se in eorum superintendentia gerere poterit. (*a*)

a P.4. c.2. §.5. & 6. c. 10. §. 1. & P. 10 §.4. & Paul. III. p.14. & Jul. III p.66.

Facultates Generalis in hac superintendentia.

2. Est igitur penes Præpositum Generalem omnis facultas agendi quosvis contractus emptionum, aut venditionum quorumlibet bonorum temporalium mobilium Societatis, & imponendi, ac redimendi quoslibet census super bonis stabilibus ipsorum Collegiorum, in eorumdem utilitatem. Alienare autem, aut dissolvere Collegia, sinè Generali Congregatione, non potest: de quo dictum est suprà cap 1. sect 3. §. 4. & 5. (*b*). Quin habet etiam facultatem alienandi, in evidentem tamen utilitatem, bona ipsa stabilia Collegiorum, & mobilia pretiosa, minimè requisita facultate Ordinarij, aut Sedis Apostolicæ (*c*). Quamquam facultates ad alienandum, & census imponendos magna ex parte revocatæ sunt decretis editis auctoritate Urbani VIII. die 17. Septemb. 1624. & 22. Mart. 1626. Videnda etiam Bulla ejusdem Urbani circa

b P.9. c.3. §.5. & §. 17. 18. & C. 1. D. 100. & Pius V. p. 107.

c Greg. XIII. p. 171. & 202.

Bona jurisdictionalia, quæ est 54. Tom. 5. Bullarij.

Quæ communicantur Rectoribus.

3. Cùm autem Generalis per se non valeat tam multis providere; administrationem Collegiorum in ijs, quæ ad temporalia ipsorum bona pertinent, per Rectores à se constitutos exercebit: eámque facultatem eis communicabit, quam senserit in Domino convenire. Curabit autem, ut illi rationem sui officij reddant, vel Provinciali, vel alteri à se præscripto, ùt infrà sect. 4. explicabitur. (*d*)

d P. 4. c. 2. §. 5. & c. 10. §. 3. & P. 9. c. 3. § 34. & C. 8 D. 60. §. 4. & Instr. temp. Prov. §. 16. &c. & Rect. §. 1. & 7.

SECTIO II.

De Conservatione Bonorum temporalium.

I.

Custodienda ùt Bona Christi, & Pauperum.

PLura hoc in genere Superioribus reliquísque Officialibus præscribuntur; quorum in cujusque Regulis, & Instructionibus distincta sunt capita (*e*). Universim monentur; ut præter curam illam, quam omnibus charitas & ratio imponit, quibus peculiariter hoc munus demandatur, tanquam Bona D. N. JESU Christi popria, ea curent (*f*): sunt enim Patrimonia pauperum; & à quibus res etiam spirituales, & bonus Societatis status magnoperè pendet. (*g*)

e R. Prov. c. 9. & R. Rect. c. 6. & R. Proc. Col. & Instr. pro rebus temp.

f P. 3. c. 2. §. 7.

g C. 8. D. 15.

2. Con-

2. Constituentur igitur Rectores, qui ad id munus conveniens habeant talentum; & curam suscipiant conservandi, atque administrandi res Collegiorum temporales; ac provideant necessitatibus, tam materialis ædificij, quàm Scholarium; qui in ipsis Collegijs degunt (*h*). Atque hujusmodi talento polleant non Rectores tantùm; sed & Procuratores, qui his muneribus præficiuntur, sint Oeconomiæ periti: servetúrque in illis instruendis eligendísque, quod Instr. temp. Prov. præscribit, §. 11. 12. 13. Non expedit autem in Collegijs haberi nomina juridica Protectorum: licèt utile futurum sit esse Amicos, qui protectionem suscipiant. (*i*)

Et ea cura selectis Viris demandanda.

h P. 4. c. 2. §. 5. & C.

i C. 1. D. 112.

3. Jam verò prædia extra domum non modò à Procuratore invisenda sunt sæpius; nec semel tantùm in triennij decursu à Rectore, sed & à Provinciali (*l*). In iísque ponendi optimi coloni: cultura promovenda, juxta regionis morem: obviàm eundum damnis alluvionum, & servitutis: quæ simul cavenda in ædificijs urbanis (*m*). At quæ speciem habent secularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus & similibus, prohibita sunt (*n*). Commendatur

Quid fieri oporteat circa Prædia.

l R. Prov. 76. & 80. & In. temp. pro Prov §. 14. pro Rect. §. 2. pro Proc. §. 2.

m Instr. temp. pro Proc. §. 2. 3.

n C. 2. D. 61. & C. 7. D. 84. & R. Proc. 12.

 præ-

præterea P. N. ut ampla quædam Societatis prædia, exiguo proventu, & non sinè externorum offensione possessa, in res magìs utiles commutari curet. (*o*)

o C. 7. D. 85.

Lites declinandæ.

4. Commendatur etiam universis, ut licèt aliquando necessaria, aut conveniens futura sit defensio possessionum, & redituum, etiam in judicio (*p*); tamen lites forenses pro rebus temporalibus fugiant Nostri omnes; & id curent Provinciales efficere. Ac primùm concordiâ, aut compromissione rem adnitantur componere. Quod si nulla ratione id possint assequi; tamen non intendat quisquam è Nostris litem ullam, absque consensu Præpositi Generalis, aut ejus, cui expresse suas vices ad hanc rem ille commiserit; nisì in re adeò necessaria, ut ejus responsum expectari nequeat: de quo tamen postea ipsum admoneat. Si autem Nostris lis intendatur, curent Provinciales primùm, vel à Parte, vel à Judice peti, vel id consequi per Principem, ut priùs possit consuli Generalis Præpositus, quàm liti respondere cogantur. Nam fieri poterit, ut Generalis Præpositus jubeat cedere Nostros liti, & potiùs detrimentum temporale pati, quàm litibus dare operam, etiam pro re alioqui debi-

p P. 4. c. 2. C.

debita. Quod si frustrà fuerit; curabunt diligenter, nisì de jure nostro manifestè constaret, ut aliqua transactione, vel concordiâ res tota componatur. Id si commodè fieri non valet; poterunt in judicio se defendere; cùm Provinciales habeant hanc potestatem ad Collegia defendenda, cum facultate alios in id substituendi, si expedierit. (*q*)

q C.2.D. 55. & Reg. Prov. 77. & R. Rect. 62. & Proc. Coll. 16. & Procur. Gen. 5.

Necessaria religiosè agitanda.

5. Qui tamen hanc curam susceperit, memor sit, ut magnam pacem interiùs, exteriúsque custodiat; & semper ad justam concordiam ipsum paratũ esse contrariæ parti innotescat. Immo nec ipse Procurator Collegij in Tribunalibus compareat, nisì quando aliqua necessitas plurimùm urgere Superiori videretur; sed per externos Procuratores nostra negotia in publicis judicijs peragantur. (*r*)

r Reg. Procur. Gen. 5.& Proc. Coll. 15. 16.

SECTIO III.

De Archivio & Contractibus.

1.

Archivium.

PRæterea diligenti cura custodietur Archivium, ubi conservanda Instrumenta originalia, & Tituli, quibus constant jura Collegij; ejúsque duæ claves diversæ erunt; quarum alteram Rector, alteram

s R. Proc. 19. ipse habebit Procurator (*s*); qui adnotabit in libro ibidem adservando, si quæ

t R. Proc. 22. Scripturæ extrahantur. (t)

Contractus quo modo celebrandi a Superiore.

2. In celebrandis contractibus nè nimiùm Rector suæ prudentiæ fidat, & in perpetuis Consultores priùs audiat. Quin in rebus majoris momenti ratificationem Præposito Generali reservet. (*u*). Quæ quidem reservatio eam vim habet; ut si contigerit contractus alienationum fieri Generalis confirmationi reservatos, antequam ipse informetur; dominium nihilominus, & possessio bonorum, super quibus contractus hujusmodi initi fuerint, penes Societatem remaneat, donec Generalis in Europa, in Indijs verò is, cui Generalis commiserit, consensum præstiterint (*x*). Procurator verò nihil circa locationes, & similia alicujus momenti negotia faciat; nisi ipsi à Superiore commissum sit (*y*). Advertendum autem juxta privilegia Societatis, per Superiores tantùm, absque alio suffragio decisivo Collegialium, contractuum celebrationes fieri (*z*); ùt docet praxis tradita à P. Claudio: ubi etiam habetur modus informandi Generalem circa alienationes faciendas (*a*). Exempla verò authentica contractuum ma-

u In. temp. pro Rect. §. 8.

x Greg. XIII. p. 172.

y R. Proc. 13.

z P. 9. c. 3. §. 7. & C. 1. D. 144. & Pius V. pag. 107.

a C. 3. D. 28. & Or. c. 20.

majoris momenti ad Generalem mittenda sunt. (*b*) *b* C. 1. D. 103. & R. Prov. 78. & R. Proc. 21.

3. Sed scripturas multiplicis generis potissimùm Procurator apud se habebit: & propterea cubiculum ipsius clavi obseretur (*c*). Habeat igitur 1. Distincta exemplaria Instrumentorum & Titulorum, quæ conservantur in Archivio (*d*). 2. Librum, in quo distinctè descripta omnia bona stabilia, seu quasi stabilia, ùt census, canones, loca montium, uno verbo jura omnia ad annuos reditus (*e*). 3. Librum, in quo notata sint tempora colligendorum proventuum, summa contractuum ad breve tempus, & fructus in dies percepti. 4. Distinctum Libellum eleemosynarum perceptarum (*f*). 5. Librum pro adnotandis, quæ unusquisque Novitiorum attulerit (*g*). 6. Librum in arca pecuniaria servandum, in quo illatæ, & acceptæ pecuniæ summa scribatur (*h*). 7. Librum rationum accepti & expensi per menses singulos (*i*). 8. Codicem, ubi nomina debitorum Collegij descripta sint (*l*). 9. Codicem, quò referantur motæ lites, & quæ circa eas contingunt (*m*). 10. Libellum, in quem referat quæcumque à Superiore ei mandata injunguntur. (*n*). Demum

Scripturæ & Libri apud Procuratorem.

c R. Proc. 22.

d R. Proc. 20. & Instr. temp. Proc. §. 1.

e R. Proc. 21. & Instr. temp. Proc. §. 1.

f R. Proc. 3.

g Ex. c. 4. §. 4. & P. 1. c. 4. §. 6. & R. M.N. 25. & R. Proc. 7.

h R. Proc. 5.

i R. Proc. 6. & In temp. Proc. §. 5.

l Instr. temp. Proc. §. 5.

m R. Proc. 14.

n R. Proc. 23.

o R. Proc. 24. Catalogum Benefactorum ; ut erga eos grati esse possimus. (*o*)

SECTIO IV.

De accipienda, reddendáque ratione administrationis.

1.

Provincialis in Visitatione quid inquiret.

LIbros verò Rationum seriò examinet Provincialis ; & si quidem Rector, & Procurator benè rem gesserint, suâ laude non careant ; si secus, impunè minimè ferant, vel publicâ pœnitentiâ inflictâ, vel etiam Generali admonito, ut ab officio eos suspendat, vel amoveat (*p*). Idem Provincialis statum Collegij diligenter examinet, & brevem ejus tam habitualis, quàm actualis relationem ad Generalem mittet, juxta Paradigma descriptum in sæpius citata Instructione (*q*). Habitationem, & omnem supellectilem, omnia denique diligenter inspiciat ; & rerum mobilium Inventarium conferri faciat cum Inventario in præcedenti visitatione à Visitatore, vel Provinciali scripto (*r*). Et singulis annis à Procuratore Provinciæ rationem exigat. (*s*)

p C. 7. D. 82. §. 8. & C. 8. D 15. & R. Prov. 79. & 85. & Instr. tēp. pro Prov. initio, & §. 15.

q Instr. temp. Prov. §. 16. 17. 18. 19.

r R. Prov. 85. & Instr. temp. Prov. §. ult.

s Instr. temp. Prov. §. 6.

Rector sæpius rationem exigat.

2. Porrò Rector singulis mensibus à Procuratore rationem accepti, & expensi, præ-

præsente Ministro, exigat; & ab eodem sibi debita & credita Collegij indicari curet. Et cùm in hoc penè sint omnia, examinet an plus consumptum sit, quàm usus ferat (*t*). Omnes pecuniarum summas, etiamsi conflatæ pretio rerum venditarum ab aliquo Officiali, curet tradi Procuratori, & in codicem referri; nec patiatur ab Officialibus quidquam vendi, inconsulto Ministro, aut ipso Procuratore. (*u*)

t R. Rect. 57. & Instr. temp. Rect. §. 9. & Proc. § 5. & R. Proc. 4.

u Instr. temp. Rect. §. 7.

Et Procurator.

3. Procurator autem Emptori pecunias ad quotidianos sumptus subministrabit; à quo singulis diebus expensarum rationem, à reliquis Officialibus tertio quoque mense exiget ex codice (*x*). Syngraphas solutionum ipse dabit, subscriptas à Rectore, aut à se, illius commissione (*y*).

x R. Proc. 8. & R. Empt. 2. & In. temp. Proc. §. 3.

y R. Proc. 2.

Iidem cùm defunguntur officio rationem reddant.

4. Præterea Superiores locales, & Procuratores, quando suo singuli defunguntur officio, coram Successore, & Ministro Domûs, aut Collegij, rationem domesticæ œconomiæ reddant; & suo chirographo signent, quantum acceperint, quantam Superiori rem tradant: eandémque rationem Successor sua manu confirmet (*z*). At non antequam intelligat, an tantundem sit creditorum, ac debitorum, quantum affirmatur. Horum verò com-

z C. 8. D. 60. §. 4. & In. temp. Rect. §. 8.

putorum exemplum tranſmittat ad Provincialem, conſervandum in Archivio. (*a*).

a Inſtr. temp. Rect. §. 1.

Provincialis etiam expenſarum ratio conſtet.

5. Ipſemet Provincialis redditurus ſui officij rationem (*b*), ut poſſit eam reddere de pecunijs ſibi undecunque traditis, curet per ſocium in codice accepti, atque expenſi rationes accuratè ſcribi. (*c*)

b C.5.D.64. §. 2. & Or. c. 9.

c Inſtr. temp. Prov. §.6.

SECTIO V.

De Medijs ad avertendam Collegiorum inopiam.

Nō ſupervacaneos admittere in Societatem.

1.

ILlud ſibi perſvadeat Provincialis, nulla re univerſim citiùs, ac certiùs everti bonum Collegiorum ſtatum, quàm ſi majores proventibus expenſæ fiant, vel ſumptus minimè neceſſarij permittantur (*d*). Numerus ergò in primis in poſterum admittendorum determinetur à P. Generali, conſiderato cujuſq; Provinciæ ſtatu temporali. Immo nulli in aliquibus Provincijs ad tempus admittantur, ſi id ſua Paternitas expediens fore judicabit (*e*). Ac nè Provincialis, neceſſitate deputandi quotannis Magiſtros inferiores, cogatur plures admittere: ſtudeat aliquot ſemper ſub finem ſtudiorum, & poſt peractum ter-

d Inſtr. temp. Prov. initio.

e C.7. D. 82. §. 2. & C.8. D.60. §.1. & In.temp. Prov. §. 1.

tertium Probationis annum, hisce scholis addicere, juxta suam Regulam R. St. 24. & 25. Cùm præsertim Con. 8. D. 8. declaraverit; hoc munus esse Societatis proprium, nec certo temporis spatio, nec certis personis circumscriptum(*f*). Quos verò Provincialis deprehenderit in sua Provincia supra numerum eorum, qui ex reditibus, & ordinarijs eleemosynis ali possunt, distribuet per Collegia & Domos, pro cujusque loci facultate. (*g*)

f Instr. temp. Prov. §. 2.

g C. 8. D. 60. §. 3.

Neque plures, præsertim Coadjutores, in Collegia, quàm ferri possint.

2. Idem servandum est in Collegijs, nè plures in singulis alantur, quàm per facultates ali possunt; immo pauciores (*h*). Coadjutores quartam partem in Collegijs, in Domibus verò Professis tertiam partem non excedant (*i*); & potiùs adhibeantur famuli, quàm præscriptus ille numerus excedatur. Interim verò, dum ad hanc Regulam veniatur, nulli Coadjutores admittantur. (*l*)

h C.2.D.27.R. Prov. 82. & C. 7. D.82. §. 1. & In. temp.Prov. §. 3.

i C.7. D. 82. §. 3. & C.8. D.60. § 2.

l C.8.D.60 §.2

Peregrinatio nec frequens, nec sumptuosa.

3. Nec personarum, sinè necessitate, mutationes fiant; superflua Domi nè habeantur; non equi, non famuli plures (*m*). Provincialis parcus sit in Peregrinationibus concedendis, præsertim non sinè rheda, vel equo obeundis: curabítque, ut Nostri, dum ex uno in aliud Collegium com-

m C. 7. D. 82. §. 7. & In. tēp. Prov. §. 7.

commigrant, pedestri itinere, vel in toto, vel in parte utantur (*n*). Expensas verò itinerum solvere erit ejus Provinciæ, aut Collegij, aut Domûs, in cujus bonum, & utilitatem cedit profectio (*o*). Taxam Viatici dari solitam demigranribus Provincialis recognoscat; eámque ab omnibus, & præsertim à Concionatoribus, observari curet. Si quid ex eo superat, voto Paupertatis tenemur Collegio, quò venimus, restituere (*p*)

n C.3. D. 37. & R. Prov. 115. & In. temp. Prov. §. 8.

o C.2. D.82. & R. Prov. 116.

p Instr. temp. Prov. §. 9.

Sumptus communes Provinciæ coërcendi.

4. Idem statuat, quid cuique Collegio, vel Domui contribuendum erit, ad sumptus communes Provinciæ (*q*). Ceterùm contributionibus imponendis Collegia nè gravet; nisi magna quædam, & insuperabilis necessitas juvandorum Seminariorum ad id cogeret; quin m gìs ex ijs, quæ in potestate sua habet, eorum indigentiam sublevet. (*r*).

q P.4. c.2. E.& R. Prov. 83. & C.2. D. 83.

r C.7. D.82. §. 7. & In. temp. Prov. §. 6.

Seminaria potissimùm juvanda.

5. Et quidem ad sustentanda Seminaria tentanda sunt omnia. Juventur autem, quantum fieri potest, vel ijs applicando Nostrorum legitimas, & alia Provincialis dispositioni permissa, vel contributione aliorum Collegiorum, vel aliâ ratione juxta Decr. 18. Con. 6. Nominatim verò exonerentur, submovendo Per-

ſonas, ad propria eorum miniſteria abſo- lutè non neceſſarias. (*s*) *s* C. 8. D. 60. §. 3.

6. In ijs quæ ad victum, veſtitum, & habitationem, & alia corpori neceſſaria pertinent, quamvis ſit, in quo probetur virtus, non deſit tamen, quo ſuſtentetur natura: ratio tamen omnium erit, ùt pauperibus accommodata (*t*). Speciatim verò in veſtitu Provincialis tria obſervari faciat. Primum, ut honeſtus ille ſit. Alterum, ut ad uſum communem & approbatum honeſtorum Sacerdotum ejus loci, in quo vivitur, accommodatus. Tertium, ut profeſſioni Paupertatis non repugnet (*u*). *Victus, veſtitus, &c. quales.* *t* Ex. c. 4. §. 26. & P. 3. c. 2. §. 3. & R. Præp. 61. & Rect. 58. *u* P. 6. c. 2. §. 15. & R. Prov. 84.

7. Quod autem, laudabili conſvetudine, in Noſtrorum victu, ac veſtitu, ceteríſque omnibus ad valetudinis conſervationem, & cultum pertinentibus, inductum eſt, non immutandum. Caveátque Rector diligenter, nè dum liberalis auram captat, frugi famam amittat: atque in excipiendis hoſpitibus, in tractatione externorum, in recreationibus extraordinarijs conſvetudines Provinciæ, de quibus in Ordin. Gen. c. 8. §. 7, exactè obſervari procuret (*x*). Nullum autem novum ædificium inchoët ſinè expreſſa Provincialis licentia, & urgenti neceſſitate (*y*). Procura- *Nihil in illis innovandum.* *x* Inſt. temp. Rect. §. 4. *y* Or. c. 2. § 9. & Inſtr. temp. Rect §. 3.

curator etiam ſuarum eſſe partium intelligat curare, ut in ſumptibus faciendis religioſa paupertas, ac bonæ conſvetudines ſerventur (z); & animadvertens aliqua non, ùt oportet, conſervari, aut expendi, Superiorem admoneat. (a)

z Inſtr. temp. Proc. 4.

a Re. Proc. 10.

Quæ Provincialis in hoc genere partes.

8. Provincialis, cui potiſſimùm hæc cura incumbit, debet in prima Congregatione Provinciali, adhibitis in conſilium Patribus antiquioribus, ac bono zelo præditis, diſpicere: an decurſu temporum aliquid contra conſvetudines Provinciæ, & Ordinationes irrepſerit, quod religioſam frugalitatem minùs deceat: ut id totum auctoritate, ſi opus ſit, P. Noſtri, ad antiquam ſimplicitatem revocetur (b). Quæ verò eleemoſynæ erogari debeant, ipſe Superioribus præſcribet. (c)

b Inſtr. temp. Prov. §. 7.

c R. Prov. 96.

Expenſæ ſint utiles.

9. Procurator etiam res neceſſarias ad victum opportunè comparet; nè has non perinde bonas, aut non æquo pretio cogatur comparare (d). At ſi quid ex annuis Collegij reditibus, aut pecunijs, quocumque nomine perceptis, ſuperſit: id totum in ære alieno diſſolvendo, vel augendis reditibus, non autem in ædificijs, ac ornatu minimè neceſſarijs inſumatur. (e)

d R. Proc. 9. & In. temp. Proc. §. 3.

e Inſtr. temp. Rect. §. 6.

10. Ca-

10. Cavendum Rectori præſcribitur, nè gravet Collegium ære alieno (*f*). Nec Provincialis ſinet in magna ſumma illud conflari (*g*). Ut autem in minori contrahatur, Superioribus non facilè annuet (*h*). At jam contracti cauſas in Viſitationibus diligenter inquirat: nec patiatur Superiores, quorum negligentiâ debita creverunt, ſinè pœnitentijs abire: moneátque Generalem de talibus, ſi rei gravitas id poſtulaverit, à munere amovendis (*i*). Idque ipſum P. N. ſummoperè commendatum, injunctúmque, ut in Provinciales animadvertat, ſi illorum culpâ aliquid ejuſmodi acciderit (*l*). Huc referri poteſt prohibitio admittendi ullum pecuniæ depoſitum, aliarum verò rerum non niſi cautiſſimè (*m*). Quod tamen pecuniarum depoſitum, ſi fortè aliquo raro caſu, neceſſarijs de cauſis Rector admittat; ſervet intactum, nec illo utatur, ex Inſtr. Temp. pro Rect. §. 5. ubi tamen ex Decreto 41. Congreg. 9. expungendum eſt, quod de mutuo dicitur.

Æs alienum ſummoperè vitandum.

f R. Rect. 57.
g R. Prov. 82.
h Inſtr. temp. Prov. §. 10.
i C. 7. D. 82. §. 8.
l C. 8. D. 15.
m R. Rect. 64.

CAPUT III.

De Personis sustentandis in Collegijs juxta varias Collegiorum formas.

SECTIO I.

Forma Collegiorum primò intenta.

1.

Collegia pro Scholasticis.

EXpositis, quæ ad materialia quodammodo Collegiorum pertinent tum fabricæ, tum redituum, explicandum occurrit ipsum formale; quod comprehendit Personas, quas in eis sustentari convenit. Igitur (ùt suprà cap. 1. sect. 1. indicabatur) Collegia primò assumuntur ad Scholasticorum Approbatorum Institutionem in perfectione vitæ, & literis; quas extra Collegia nostra addiscant in Universitatibus; quando illæ Societatis curæ non sunt comissæ. Cæterùm Scholasticos eos esse oporteret, qui bonorum morum, & ingeniorum indole spem facerent, quòd in probos simul, ac doctos viros essent evasuri. Hi autem, quò magìs ingeniosi, boníque moribus ornati, ac sani corpore, ad ferendos Studiorum labores fuerint, eò magìs idonei, & citiùs ad Collegia mitti, vel in eisdem admitti possunt (a). Et in

a P.4. Proœm. A. & c.3. § 1.2. & P.10. §.4.

in hac quidem Collegiorum forma pauci admodum, præter Scholasticos, reliqui sunt: adduntur enim Coadjutores aliqui, & hi quatenus ad ministeria sunt necessarij: non exclusis Sacerdotibus, qui Collegium juvare in spiritu, & ei præesse possint. (*b*)

b P. 4. c. 2. F. & c. 3. §. 2. & c. 5. D. & c. 10. §. 6. 7. & post. Dec. C. 2. in form. P. Laynez §. penult.

Professi & Coadjutores aliqui admittuntur.

2. Immo cum Collegia etiam externos in literis, & spiritu juvare possint; ùt infrà dicetur: consentaneum est Instituto Professos & Coadjutores formatos posse sustentari in ijs Collegijs, ubi operarij necessarij, aut utiles sunt: neque hoc est Societatem Professam ex Collegiorum reditibus juvari. Cavendum tamen, nè extra casus prædictos, & quasi in fraudem, ibi alantur (*c*). Quamquam si senio confecti, aut infirmitate gravati, nec ad operandum in vinea Domini idonei fuerint; absque aliquo conscientiæ scrupulo, de licentia Præpositi Generalis, possunt Collegiorum proventibus sustentari (*d*). Vide infrà, ubi de paupertate Professorum, Part. 3. c. 3. sect. 1. §. 5.

c C. 6. D. n.

d Jul. III. p. 77.

Et in supplementum Scholastici externi.

3. Ceterùm Scholasticorum Institutio adeò per se consideratur in Collegijs; ut, si non suppeteret justus numerus eorum, qui per propositum DEO in Socie-

tate serviendi se dedicaverunt; non repugnet Instituto, ex licentia Præpositi Generalis, & ad tempus, quod ei videbitur, alios pauperes Scholasticos, qui tale propositum non habeant, admittere; dum tamen ea præ se ferant DEI dona, quæ spem faciant ipsos aliquando in Societatem admitti posse. Quin aliquando admitti etiam possent filij divitum, aut nobilium, modò suis vivant sumptibus, & ijsdem donis sint prædito. Horum autem forma vivendi, quoad pietatem, & studia attinet, eadem esse debet, quæ nostrorum Scholasticorum, non autem ratio Vestitûs, & Habitatio. Quæ distinctio multò magìs servanda est, si quando pacta inita cum Fundatoribus, vel aliqua alia rara, & non levis momenti causa exigat, ut admittatur in Collegia nonnemo, qui propositum ingrediendi Societatem non habeat, etsi suppetat copia Nostrorum (e).

e P.4.c.3. B. & c.9. A. & C. 1. D. 126.

Quo pacto inducta Collegia sinè Scholasticis.

4. Sed cùm experientia docuisset, Collegia primariò expetita ad Scholarum pro Externis utilitatem, non instrui reditibus ad Scholasticorum nostrorum sustentationem; quare multiplicata passim esse Collegia, ubi Studentium nostrorum Seminaria actu non existerent; dubitatum

ali-

aliquando fuit, an licitè retineri possent? Et re diligenter examinatâ, statutum est; nullum subesse scrupulum: cùm perpetua praxis ab ipso S. Fundatoris tempore, quæ est optima legum interpres, securos nos reddere possit. Et nihilominus ad omnes difficultates tollendas, juxta privilegia, quæ habet Societas, dubia in suo Instituto declarandi, declaratum est; etiam Collegia, quæ non sunt Seminaria Nostrorum, sed scholæ tantùm in proximorum utilitatem, esse consentanea Instituto (*f*). Quia tamen curandum erat omninò, ut Collegia inchoata perficerentur; quò vel nostri Scholastici aliquot ibi ali, vel ex eorum contributione in aliquibus Seminarijs sustentari possent (*g*): visa est Societas suspendisse hanc obligationem; dum maluit nostros Scholasticos in majoribus Collegijs, quàm in minoribus institui, eò quòd in illis commodiùs & utiliùs instituerentur. (*h*)

f C. 6. D. 18.

g C. 6. D. 18.

h C. 8. D. 27.

SECTIO II.

Collegiorum forma secunda complectens Scholas publicas.

I.

Altera Collegiorum forma ex Constitutionibus.

FOrma Collegiorum in Constitutionibus altera designatur: quæ, præter pro-

profectum in literis nostrorum Scholasticorum, intendit etiam profectum in literis, & moribus Externorum; ad quem finem aperiuntur Scholæ publicæ. Et hoc quidem dupliciter præstari potest. 1. Ut in minoribus hujus generis Collegijs literæ Humaniores, ac lingvarum, & Doctrina Christiana, & si opus esset, lectio aliqua de Casibus conscientiæ prælegatur; si verò sit, qui commodè concionetur, aut confessiones audiat, id etiam ut fiat; sed de scientijs superioribus non agatur (*i*). 2. Ut in majoribus hujus generis Collegijs eadem charitatis ratio, quæ publicas Scholas, ad Externorum potissimùm ædificationem, svadet, extendi etiam possit ad Universitatum curam suscipiendam; ubi non literæ modò Humaniores, sed etiam scientiæ naturales, quatenus hæ disponunt ad Theologiam, & hanc tum Scholasticam, tum Positivam, tradantur (*l*). Et de his distinctiùs infrà Part. 5. c. 4.

i P. 4. c. 7. A. & B.

l P. 4. c. 11. 12. &c.

Ex S. Ignatio in Congregatione I.

2. Sed hæc, quæ à S. Fundatore in Constitutionibus tradita sunt, pluries postmodum, & enucleatiùs in Congregationibus Generalibus explicata. Nam in Congregatione prima confirmatum est Statutum S. Fundatoris; ut per decem an-

annos, à M. D. LIII. numerandos, nullum Collegium admitteretur; ubi non possent saltèm quatuordecim ex Nostris sustentari: cùm experientia docuisset infra hunc numerum, neque sufficienter Externis consuli posse; neque aliquod emolumentum percipi in alendis aliquot nostris Scholasticis. (*m*) *m C. 1. D. 7.*

3. P. Laynez formulam tradidit pro varijs Collegiorum modis, & Personarum numero. Nam 1. in Collegio, ubi tres ponuntur Præceptores literarum Humaniorum, quartus etiam esse debet, qui illis substitui possit, & tres Sacerdotes; in quibus unus Rector sit, reliqui duo utilitati serviant animarum. Ubi verò tales septem Operarij sint; convenit totidem saltèm ibi Scholares alere; ut illud perpetuum opus esse queat, succedentibus his in Sacerdotum ac Præceptorum locum; ubi non possent morte, aut alijs de causis officio suo fungi. Est etiam, præter hos, necessarius Minister unus, cum Coadjutoribus quinque. Minimum itaque Collegium viginti constabit ex Nostris; ultra quos providendum erit, unde alatur Corrector, qui de Societate non sit. 2. Si Collegium quinque Præ- *Ex P. Laynez in Congregatione II.*

ceptores habeat ad Humanas literas, Græcam, & Rhetoricam profitendam; ſubſtitutos alios duos habeat, neceſſe eſt, nec non quatuor, aut quinque Sacerdotes; ut, præter ſupradictos quinque Præceptores, eorum unus lectionem Caſuum conſcientiæ poſſit profiteri. Ubi verò is numerus Operariorum conceditur; ad operis perpetuitatem, totidem ſaltèm Scholaſtici inſtituendi erunt; adjunctóque Miniſtro, cum ſex Coadjutoribus, minimus numerus complebit triginta, extra Correctorem, in ſimilibus Collegijs. 3. Si Collegium, præter ſupradicta, Artium liberalium curſus volet ſuſcipere; ultra illum numerum Noſtrorum, viginti addendi erunt, partim Præceptores, partim Diſcipuli; ità ut omnes ſimul conficiant numerum quinquagenarium. 4. Si Societas alicujus Univerſitatis, aut Generalis ſtudij curam ſuſceptura eſſet, adjungerétque ſupradictis Scholaſticam Theologiam, & Sacram Scripturam; hujuſmodi onus admittere non debebit; niſi commodè provideatur, unde ſeptuaginta, aut ijs plures Collegæ poſſint ali. Et expediret, ut hic numerus adhuc augeretur; quò non tantùm opus hujuſmodi per-

perpetuò duraret; verùm etiam ex eo Collegio insignes aliqui Operarij possent excerpi ad commune bonum in his, & illis locis promovendum. (*n*) *n* Form. post Decr. C. 2.

4. P. Claudius formulam confecit acceptandorum Collegiorum paulò diversam; quam approbavit Con. 5. & sic habet. Deinceps nullum Collegium admittatur, in quo literæ Humaniores doceantur; nisi ea fundatione dotatum sit, ut saltèm triginta ex Nostris in eo ali possint. Quod si præterea tres Philosophiæ cursus addi Fundatores velint; ejusmodi sit, ut ex proprijs reditibus saltèm sexaginta ex Nostris sustentari queant. Ubi verò Societas alicujus Universitatis, aut Generalis studij curam susciperet; ac supradictis Scholasticam Theologiam, & Sacram Scripturam adjungeret; ità commodè prospectum esse debebit; ut minimùm centum è Nostris nutrire valeat. Excipiuntur autem Indicæ & Transalpinæ regiones; de quibus nihil adhuc certi præscribi è re visum fuit. (*o*) *Et P. Claudio in Cong. V.* *o* C. 5. D. 25. & 69. & Ord. c. 16.

5. Ceterùm, ad removendam Nostrorum offensionem, si quando in acceptandis Collegijs formula proximè adducta, ùt neque antea, ità deinceps non observetur, *Ex P. Carafa in Cong. VIII.*

pro hac saltèm conditione temporum statutum est, ùt sequitur.

Quandoquidem Collegia minora, ex formula in 5. Congr. decreta, subductis Scholaribus, qui ex Formula 2. Congr. in eisdem institui jubebantur, ut Præceptoribus, & Operarijs succedere possent ad Operis perpetuitatem, non plures ferè alere posse oportebat, quàm viginti: jámque singulæ Provinciæ habent majora Collegia, in quorum Seminarijs earumdem Scholares simul commodiùs, & utiliùs instituuntur; visum est Congregationi; non fore contra vetera decreta, neque contra bonum commune, si deinceps admittantur aliqua Collegia, in quibus viginti saltèm Socij degere, ac sustentari possint. Excipiuntur Indicæ & Transalpinæ regiones, de quibus nihil adhuc præscribendum videtur. (*p*)

p C. 8. D. 27.

CAPUT IV.

De Scholasticorum Spiritu in Collegijs conservando, atque augendo.

Quanti intersit Scholasticorum bona educatio.

BOna Scholasticorum Societatis educatio magni momenti semper visa est; cùm ex ijs posteà tum Professi, tum etiam

etiam Operarij fiant. Designandi sunt igitur illis, non solùm ij Superiores, qui eos in via Domini, & religiosa perfectione probè instruant; sed boni etiam Confessarij & Præfecti rerum spiritualium, qui suo munere benè & exactè fungantur. Quin etiam eos præceptores ut habeant, curandum est; qui non solùm doctrinæ studijs eos excolant, sed bono etiam exemplo ad virtutem incitent. (*a*)

a P.4. c.4. §.2. & In.7. §.1. & In. 17. initio.

SECTIO I.

De Scholasticorum tum Juniorum, tum omnium segregatione.

I.

Instituta Juniorum segregatio.

QUod præscriptum, servatúmque ab initio fuit, ut Novitij non promiscuè cum omnibus agerent, etiam quando ratione studiorum in Collegijs versabantur (*b*); id etiam cum Scholasticis approbatis, ubi ad Collegia venerint, curandum est. Nam cùm nihil sit, quod majori studio promovere Societas debeat; quàm ut in functionibus ad majorem DEI gloriam susceptis illum spiritûs fervorem conservare, ac indies augere Nostri studeant, quem initio hauserunt: cúmque magnus ex juniorum nostrorum Fratrum à reli-

b P.3. c.1. §.2. & Reg. Prov. 38.

reliquis ſeparatione fructus conſtet, ad eos in bona Novitiatûs educatione confirmandos; non modò omnium votis jam alicubi inducta ſeparatio approbata eſt; ſed etiamProvincialibus magnoperè commendatum, ut hunc Juniorum ſeorſum à ceteris habitandi, converſandi, & in omnibus, quoad fieri poterit, eoſdem ſegregandi morem invehi, & obſervari curent; rogatúſque P. Generalis, ut Inſtructionem aliquam, ad hujus rei faciliorem progreſſum, conficeret. (*c*)

c C. 6. D. 16.

Ejus locus & tempus.

2. Inſtructio autem poſtmodum confecta decernit multa circa locum, tempus, & regimen cum ijs ſervandum. Educandi igitur erunt in loco ſeparato; ad quem accedere nulli fas ſit, niſi priùs ab uno Rectore factâ poteſtate. Tempus autem certum hujus ſegregationis cùm difficilè ſit ſtatuere univerſis, propter diverſam tum ætatem, tum ſpiritualem indigentiam ſingulorum; tamen, ut minimũ, biennij ſpatium eſſe oportebit: quod protrahere Provincialis erit, rejecta quantumvis gravium Patrum interceſſione: neque ante expletum biennium, quamvis firmi, ac ſtabiles in Vocatione, ad docendum in Scholis educantur. (*d*)

d Ord. c. 13. §. 1. 2.

3. Ho-

3. Horum autem cura, & instructio, etsi tota à Rectore Collegij pendet; nihilominus per alios exercenda erit: quorum primus, quasi Præfectus spiritûs, in hoc ipso eos dirigat: alter, tanquam Minister, in regulari disciplina contineat; ac ijs necessaria provideat: (nam Ministro totius Collegij minimè visum est expedire illos subjicere; nisi fortè in illis corrigendis puniendísque; cùm aliquid extra definitum locum peccare intellexerit.) Quæ autem sint utriusque partes, accuratè præscribitur in eadem Instructione, quæ videnda. (*e*) *Regimen.* e Ord. c. 13.

4. Sed & cum antiquioribus Scholasticis aliqua etiam servanda norma in agendo cum alijs; omnibus enim edicitur 1. Si Magistros studiorum causâ convenire debent, horam certam à Superiore destinatam habeant, extra quam illorum cubicula, sinè peculiari facultate, non adeant (*f*). 2. Minimè permittendum est, ut Scholastici Patres antiquiores nimis familiares, ac veluti Patronos apud Superiores habeant. Et Seniores ipsi moneantur; ub ab hujusmodi patrocinijs, tam Scholasticorum, quàm aliorum è Nostris quorumcunque sibi temperent, juxta ea, quæ

Omnium Scholasticorum separatio aliqua à Senioribus.

f C.6. D.40. §. 5. & C. 7. 80. §. 18. & Reg. Schol. 13. & In. 17. §. 2. 3.

quæ de vitandis hujuſmodi interceſſionibus præſcripta ſunt (*g*). 3. Si humanam & politicam rationem agendi in aliquibus Superiores animadvertant, eorum conſilia præcidant; doceantúrque, dum juvenes ſunt, deteſtari tantum malum in Societate. (*h*)

g Inſt. 17. §. 3. & Or. c. 4. §. 12.

h Inſt. 13. c. 8.

Et ab Externis.

5. Vigilent etiam Superiores; nè aſſveſcant Scholaſtici nimis colloqui cum externis, aut amicis; & cum illis familiaritates habere; apud eos prandere; literas, & munera dare & accipere; niſi neceſſitas, aut recta ratio aliud ſvadeat. Propterea non vocentur ad januam, niſi de unius Rectoris expreſſa licentia; quam rarò admodum oportebit concedere: & invigilare, nè prolixa ſint eorum cum Externis colloquia: Niſi fortè in locis ubi ſunt Univerſitates, indulgendum pluſculum videatur; ut Provincialis, vel Rectoris judicio, aliquibus eorum virtute præſtantibus permittatur agere cum Auditoribus ſecularibus, ad eos in ſpiritu juvandos (*i*): cùm Scholaſticorum noſtrorum colloquia cum Externis eſſe debeant ſolùm de rebus ad litteras, vel profectum ſpiritûs pertinentibus. (*l*)

i C. 6. D. 40. §. 1. & Inſtr. 7. §. 2. & Inſtr. 17. §. 1. & 6.

l P. 4. c. 4. §. 6. & R. Schol. 9.

6. Præterea cùm ad publicas ſcholas

eun-

eundum erit, (nam alia loca, sinè facultate Superiorum, non petent) eant, & redeant invicem associati, cum ea modestia interiori, ac exteriori, quæ ad sui & aliorum ædificationem conveniat. Rectoris autem erit designare cuique Socium, qui hujusmodi esse debebit, ut uterque alterius operâ magìs proficere possit. (*m*)

Exire domo quatenus liceat.

m P.4.c.4.§.6. & F. & Reg. Schol. 8.

SECTIO II.

De Studio Orationis, Mortificationis, & aliarum virtutum Scholasticis præscripto.

I.

SEgregatis à libero cum hominibus commercio Scholasticis, eorum animi DEO uniendi sunt. Itaque præter Sacramenta Confessionis, ac Communionis, ad quæ octavo quoque die accedendum erit, & præter Missam, quam quotidie audient, horam unam impendent recitando Beatissimæ Virginis officio, ac examinandis bis quotidie suis conscientijs, cum alijs orationibus, pro cujusque devotione; usque ad prædictam horam explendam (*n*). Frequentiùs, quàm octavo quoque die communicare, nonnisi pecu-

Sacramentorū frequentia, & orandi forma.

n P.4. c.4.§.3.

lia-

liares ob caufas, & potiùs neceffitatis, quàm devotionis habitâ ratione, permittantur. Protrahere ultra octo dies non fine ratione etiam fpeciali licebit; propter quam etiam poffit aliquando Miffa intermitti: & hæc omnia Superioris prudentiæ relinquentur. Dum Miffa dicitur, quamdiu Sacerdos fubmifsè loquitur, ut populus non audiat, quæ is dicit: num Scholaftici poffint necne recitare partem precũ fuarum, ad quas horam habent defignatam, Majorum, vel Superiorum arbitrio id relinquetur; qui hominum, locorum, ingeniorum, & temporum habitâ ratione, quod ad majorem DEI gloriam videbitur, providebunt. (*o*)

o P. 4. c. 4. B. & R. Rect. 34.

Oratio mentalis mox inducta.

2. Cùm autem in quibufdam poffit augeri, ùt & minui præfcriptum orationis tempus (*p*): & in Scholafticis, qui ad dicendum divinum officium non tenentur, faciliùs hæc ratio commutari poffit, ut loco precum B. Virginis, meditationes & alia exercitia fuccedant, (dum tamen hora in illis compleatur) habitâ ratione veræ devotionis ipforum, vel Fundatoris, & aliarum circumftantiarum (*q*); approbata poftmodum eft praxis, ex delegatione Cong. Gen. introducta à S. Francifco Bor-

p P. 4. c. 4. A. B. & C. 6. A.

q P. 4. c. 4. B.

Borgia; ut per unam horam, præter tempus duplicis examinis, omnes, atque adeò etiam Scholaſtici, orent (*r*). De Roſario autem, vel Officio B. Virginis quotidie recitando, viſum eſt, id cujuſque devotioni, ac Præfecti rerum ſpiritualium prudentiæ relinquendum eſſe. (*ſ*)

r C.2. D.29. & C.4. D.5.

ſ C.6. D.40. §.4.

Mortificationes & alia exercitia pietatis.

3. Quoad mortificationes attinet; poterunt interdum mitti, ut oſtiatim petant eleemoſynam; aut inſerviant hoſpitali; aut comitentur emptorem; aut in plateis concionentur, Chriſtianámque doctrinam doceant; prout magìs in Domino expedire videbitur, habitâ ratione ædificationis, & ſpiritualis utilitatis Noſtrorum (*t*). Proderit etiam ad Scholaſticorum ſpiritualem profectum, veterem mortificationum conſvetudinem tempore Vacationum excitare, propoſitis in hunc finem in tabella mortificationum capitibus. Quin etiam expedire omninò videtur, ut qui in ſpiritu nimis relaxati videntur, quò in eis ſpiritualis fervor excitetur, ad has mortificationes & exercitia etiam ſpiritualia ſvaviter, omninò tamen inducantur. Immo verò hi, quando opus eſſe judicabitur, à ſtudijs ad tempus, vel etiam ſimpliciter amovendi ſunt, ut meliùs in ſpiritu profi-

t Ex.c.4. §.27. & P.4.c.2. §.6. & P.6.c.2.§.10. & R. Rect. 29.

u Instr. 7. §. 4. ciant; & in virtutibus solidentur (u).

Horum tamen moderatus sit usus.

4. Ceterùm post Probationem cùm studijs vacant, ùt est cavendum, nè fervore studiorum intepescat solidarum virtutum, ac religiosæ vitæ amor; ità mortificationibus, orationibus, ac meditationibus prolixis eo tempore non adeò multum loci tribuetur. Quandoquidem literis dare operam, quæ sincera cum intentione divini servitij addiscuntur, & quodammodo totum hominem requirunt, non minùs quàm in illis versari tempore studiorum, immo magìs DEO ac Domino nostro gratum erit. (x)

x P. 4. c. 4. §. 2. & c. 6. §. 2. & R. Schol. 2.

In studijs literarum intentio recta.

5. Quare animi puritatem custodire, & rectam in studijs intentionem habere Scholastici nostri conentur; nihil aliud in his, quàm Divinam gloriam, & animarum fructum quærentes. Ad hunc enim scopum studia Societatis diriguntur: & in suis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant, à DEO crebrò petant. (y)

y P. 4. c. 6. §. 1. & R. Schol. 1.

Et omnimoda indifferentia.

6. Ad cujus Intentionis puritatem conservandam satagant Superiores, ut Scholastici nostri eam indifferentiam assequantur, juxta Reg. 31. Summarij; ut scilicet à Superioribus se regi sinant, nec sint soliciti, quid peractis studijs, & tertio Probatio-

tionis anno ſint facturi (z). Et quidem ſi aliqui in hac religioſa indifferentia, immo & reliquis etiam Virtutum officijs parùm ſe probant Societati; circumſpectè quoad illorum ſtudia agendum eſt; ità ut alijs occupationibus nonnunquam illa interrumpantur; differantur certè: nè ijſdem abſolutis plus ſibi tribuant, quàm Societas illis deferendum cenſeat. Simúlque dum eis ſtudia differuntur, apertè de ſuis imperfectionibus monendi ſunt. (a)

z In. 7. §. 5.

a Cl. c. 6. §. 4.

SECTIO III.

De Renovatione Votorum.

1.

INter maximè propria adjumenta pietatis Scholaſticorum eſt Renovatio Votorum: licèt eadem ſit communis alijs, poſt emiſſa Vota, qui vel nunquam ſtudia auſpicaturi ſint, vel abſolverint; dummodò & vota emiſerint, & nondum in gradum Coadjutoris formati, aut Profeſſi cooptati fuerint. Ad devotionis igitur augmentum, & ad excitandam, quâ DEO obſtricti ſunt, obligationis memoriam, & ad majorem ſtudentium in ſua Vocatione confirmationem, bis annis ſingulis circa feſta Reſurrectionis, ac Nativitatis,

Cur, & quando habenda.

 ſim-

simplicia Vota renovare congruum erit: & si videretur Rectori cum Superioris facultate, commodius fore alijs in Festis solemnibus, id fieri posset (*b*). Quare declarata est Præpositi Generalis potestas in universum festa illa mutandi; quod traditio universalis à tempore ipsius S. IGNATII usu, & consvetudine roborata confirmaverat. (*c*)

b P.4.c.4. §.5. & D. & P. 5. c.4 §.6. & H. & C. 4. D. 55. R. Præp. 24. Rect. 23.

c C. 2. D. 64.

Quos effectus habeat.

2. De effectu autem, seu vi hujus Renovationis decretum est; Vitia, quæ fortè contigerint in prima nuncupatione Votorum, ob defectus ætatis, biennij, alióśque similes, cessantibus ejusmodi defectibus, qualibet consvetâ Renovatione votorum emendari. Et quod in Constitutionibus dicitur Part. 5. c. 4. §. 6. *Renovare vota non esse obligatione nova se obstringere, sed ejus, qua obstricti sunt, recordari, atque eandem confirmare*, intelligendum est, & hactenus intellectum; quando obligatio priori supervenit obligationi; non verò quando nullam invenit obligationem. (*d*).

d C.8. D.22. & C. 12. D. 13.

Quomodo peragenda.

3. Ut autem majori cum fructu devotionis Renovatio peragatur, ante illam instituatur Vacatio per triduum, ità ut cessetur ab alijs occupationibus, etiam lite-

literarijs, præterquam à lectionibus ordinarijs, ubi eæ habentur, sive matutino, sive etiam vespertino tempore. Et ideo ubi commodè fieri poterit, eligendum tempus, in quo præcedant aliquæ vacationes, sicut vacationes Natalitiæ, & per illud triduum omnes, qui vota renovaturi sunt, etiamsi non Scholastici, exerceant se in rebus spiritualibus, juxta Instructionem. (*e*)

e C.6.D.29. §. 1.& C.7. D.77.

Ea de re distinctior Instructio.

4. Hæc autem Instructio duo capita complectitur. Primum, ut ad colloquia, vel negotia cum Externis ad januam, vel ad recreationem cum Domesticis illo triduo non admittantur. Alterum est; quòd cùm finis sit harum feriarum spiritualium, ut ex occasione Renovationis Votorum, unusquisque sedulò incumbat in omnimodam suimet reformationem, per Examen & Confessionem generalem, séque ipsum introspiciat; operæ pretium erit, aliquot horas meditationi, & orationi, præter pij alicujus libelli lectionem, impensè vacare: atque in eum finem usui esse poterunt eæ meditationes, quas Superior, vel Præfectus spiritûs fini, quem intendit Societas, profuturas judicaverint. (*f*).

f Instr. 17. §. 7.

Confessarij extraordinarij hoc tempore.

5. Cùm autem ad excipiendas prædictas Confessiones generales, aliquo tempore ante Renovationem, debeant à Provinciali, si adsit, extraordinarij Confessarij designari (*g*): hi ab eo tempore usque ad diem Renovationis Votorum inclusivè possunt Confessiones Nostrorum, qui ibi sunt, tum generales, tum particulares, ac tam eorum qui Vota non renovant, quàm qui renovant, audire; quoties eis placuerit, per totum illud tempus, ad illos accedere. (*h*)

g R. Prov. 131. & Præp. 23. Reg. 22.

h C. 12. D. 16.

Inter adjumenta præcipua, quibus Societas Scholasticorum pietati consulit, censenda omninò est tertia Probatio. Sed quia hæc post studia confecta peragitur; ejus tractatio postremo hujus Partis loco reddetur.

SECTIO IV.

De Promotione ad Ordines sacros.

CUm hoc studiorum tempore suscipiantur plerumque Ordines sacri; hìc de illis agendum est, quatenus suscipiuntur, & obligationes aliquas inducunt: nam de exercitio eorundem relatè ad juvandos Proximos ex professo infrà dicetur

Part.

Part. 5. c. 1. De Ordinibus minoribus nihil in noſtro Jure præſcribitur; ſed conſvetudo tenet, ut Scholaſtici poſt emiſſa Vota Biennij ad illos promoveantur.

1. Si omnia impedimenta removeri convenit, quæ à ſtudijs animum avocant: ità ut vel ipſæ devotiones, & mortificationes nimiæ, & ſinè ordine ſuſceptæ, prohibeantur: multò magìs interdicuntur curæ, & exteriores occupationes; quæ vel domi, vel foris, in functionibus erga proximos aſſumuntur. Ea de cauſa in ijs, qui ad ſacros Ordines promoti non ſunt, congruum eſt, ſi promotio differatur; donec ad finem ſtudiorum accedant. Eſt enim conſultum, quò alijs poſtea utiliores cum doctrina, quam didicerint, ſe præbeant, hujuſmodi exercitia, licèt pia, donec ſtudia ſint abſoluta, differri: quandoquidem non deerunt alij, qui ea interim exerceant. Neceſſitatis tamen ſæpè occurrentis ratione, diſpenſari aliquando opus eſt(*i*). Quodſi qui ob ætatem, aliáſq; ob cauſas, cùm ad tertium probationis annum mittuntur, Ordines nondum ſuſceperint; hos, niſi fortè ſacris initiati jam eſſent, eo tempore promoveri, Provincialis non permittet. (*l*)

Sub finem ſtudiorum Ordines ſuſcipiendi, & quare.

i P. 4. c. 6. §. 3. & C. & Or. c. 3. §. 7. & In. 1. §. 1. tit. 1.

l Or. c. 3. Tit. 1. §. 7.

Quinam promovendi.

2. Scholastici igitur nostri ordinariè circa finem studiorum promovendi videntur. Quia tamen Sacerdotes fieri non expedit eos, qui non benè in spiritu profecerint (cùm post Sacerdotium longè difficiliùs, si opus fuerit, à Societate dimittantur) cavendum est omninò, nè deinceps, qui in spiritu, & religiosis virtutibus non benè profecerunt, aut in vocatione stabiles, & firmi non sunt, ad Sacerdotium promoveantur; etiamsi suæ bonæ existimationis jacturam, nisi ordinentur, objiciant. Quare servanda est à Provincialibus Instructio de Ordinandis, quæ est inter Ord. Gen. cap. 7. & in Consultationibus, quæ de Promovendis ad Ordines fiunt, quæ in ea Instructione præscribuntur, diligenter examinentur; & illud præcipuè accuratè discutiatur, quod ad profectum spiritualem Promovendorum attinet. Cavendum verò, nè, spe futuræ emendationis, adhibeatur hoc medium promotionis ad illos in spiritu juvandos, nisi aliundè constet emendatio.

Præterea Promovendus sit eâ ætate, quam in singulis sacris Ordinibus requirit Concilium Tridentinum: naturali judicio, & prudentia valeat: lingvam latinam tene-

teneat; & benè legere, ac pronunciare sciat: saltèm in casibus conscientiæ diligenter versatus sit, & in ratione Missæ dicendæ benè instructus. Insuper oportet, ut consveta Societatis Vota emiserit; & quinquennium saltèm in Societate exegerit. (*m*)

m In. 1. §. 1. & Instr. 3. §. 1. & Or. c. 7.

A quo præsentandi.

3. Hæc omnia Provincialis, consilio suorum Consultorum adhibito, perpendet; quæ si invenerit, per se, vel per alios, præsentare suos poterit, ut promoveantur ad omnes Sacros Ordines; & ubi promoti fuerint. 1. Certiorem faciat Generalem. 2. In Librum ad id paratum referat Promotorum nomina. 3. Monebit suos Consultores, ut ad Generalem scribant, utrùm Instructio de Ordinandis superiùs citata exactè servata fuerit. (*n*)

n R. Prov. 61. & Or. c. 7. & c. 8. §. ult. & Inst. 1. §. 1.

Nō ordinantur in Sacris titulo Patrimonij, Beneficij, aut Professionis Religiosæ.

4. Est autem peculiariter notandum Nostros, qui tria Vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ in Societate emiserunt, etiam ante solemnem Professionem emissam, de licentia Præpositi Generalis (quam & dare poterunt Provinciales) ad sacros etiam Presbyteratûs Ordines promoveri posse; dummodò aliàs idonei sint; non obstantibus quibuscumque alijs Constitutionibus Apostolicis, & in specie B.

Pij V. qui Decretum Concilij Tridentini, quo vetantur ordinari Sacerdotes absque titulo beneficij, aut patrimonij, ad Clericos regulares non professos extendit (*o*). Quæ quidem Ordinatio non Professorum, & non habentium neque titulum Beneficij, nec Patrimonij, nulli videtur esse iniqua; cùm nos utamur jure nostro; & sic ordinati cesserint suo juri: ordinantur enim ad titulum voluntariæ paupertatis. Quare si eos expelli contingat à Societate; tamen non tenebuntur Episcopi illis alimenta præstare (*p*). A qua etiam obligatione est immunis Societas; nè, qui ab ea sunt dimissi, ferant pretium improbitatis, aut levitatis suæ. Cùm præterea sumptus maximos in ijs alendis Novitiatûs, ac studiorum tempore, fecerit; & ipsorum quisque adeò instructus naturæ, doctrinæque donis discedat; ut facilè honestam vitæ conditionem tueri possit, si modò homo frugi esse velit. (*q*)

o Greg. XIII. p. 136. & Greg. XIV. p. 283.

p C. 2. D. 77.

q C. 7. D. 3.

A quocumque Antistite ordinari possunt, nō servatis interstitijs, &c.

5. Concessum etiam est; ut, quibuscumque Præpositus Generalis maluerit, Catholicis Antistitibus ordinandos Socios præsentare valeat: ipsíque Antistites præsentatos hujusmodi, absque omni obligatione ipsorum Ordinandorum, promove-

re

re possint (*r*). Quin & omnibus Antistitibus præceptum est; nè ab hujusmodi promovendis, qui licentiam à Præposito Generali, vel ab eo delegatis habuerint, requirant, vel exigant quædam, quæ in proximè citandis literis Apostolicis referuntur; sed ipsos, etiam absque ullâ functione in Ordinibus ipsis, interstitiorúmque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officijs, & cærimonijs Ecclesiasticis, idoneitate, proprij Ordinarij licentia, & alijs, in alijs requisitis, ad minores, ac etiam extra tempora à jure statuta, tribúsque Dominicis, vel alijs festis diebus, etiam continuis, ad sacros, etiam Presbyteratûs Ordines promoveant; ac si illi omnibus requisitis præditi essent. Præsentis autem Gratiæ communicatio omnibus alijs, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiosè participant, omninò prohibetur. (*s*)

r Paul. III. p. 43. &c.

s Greg. XIII. p. 212. &c.

SECTIO V.

De Obligationibus circa Missam & Horas Canonicas.

1.

IN Missa dicenda, ut, præter intelligentiam, & devotionem internam, decentem

In Missa Decentia, & Ritus Romanus.

tem

tem etiam Noſtri habeant exteriorem modum, ad audientium ædificationem, inſtituantur. Ad quem finem, in faciendo Sacro, nec multùm ſemihoram excedant, nec ità breves ſint, ut illam non expleant. Quare nullus publicè Miſſam dicere debet, donec coram aliquo, vel pluribus Domeſticis, privatim eam dicat; ut in modo dicendi conveniat cum alijs de Societate: quæ cærimonijs eiſdem utatur: & in his uſum Romanum, ùt magìs univerſalem, & quem peculiari quadam ratione Sedes Apoſtolica amplexa eſt, ſequatur. (*t*)

t Ex. c. 5. §. 7. & P. 4. c. 8. §. 2 & P. 8. c. 1. §. 8. & C. 1. D. 93. & C. 9. D. 19. & R. Sac. 4. & R. Præf. Eccl. 13. & In. 13. §. 5.

Officia particularia non petenda.

2. Propterea cùm poſtulatum aliquando fuiſſet, ut, ad majorem erga venerabile Sacramentum Euchariſtiæ devotionem exercendam, peteretur à Summo Pontifice; ut in Societate ſingulis quintis ferijs non impeditis, Miſſa de illo celebraretur, & Officium proprium recitaretur; viſum eſt nihil omninò petendum eſſe: magìs autem curandum, ut Societas in hujuſmodi ritibus Romanæ Eccleſiæ conſvetudini conformaretur, quemadmodum ſemper feciſſet. (*u*)

u C. 5. D. 72.

Quoto die, aut hora celebrandum.

3. Quoad tempus autem attinet ſacrificij celebrandi, 1. Miſſæ celebratio ſinè cau-

causis legitimis ultra octo dies non differenda (*x*); immo crebrior etiam esse debet (*y*). Pro qua majori frequentia communis in Societate Sacerdotum pietas, quasi annuente S. Legislatore sacrificium quotidianum amplexa est. 2. Inde fit Sacerdotibus ità vivendum esse; ut quotidie celebrare possint: ad ídque conducet, sæpius in hebdomada confiteri (*z*). Qui verò in summo Altari sacra facturi sunt, simul atque admoniti fuerint; ad vestes Sacerdotales induendas se conferant; ut in tempore exire de Sacristia possint (*a*). 3. Presbyteri Societatis, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causâ possunt celebrare per horam ante Auroram, & infra horam post meridiem; atque id de licentia Generalis, aut ab eo delegati (*b*). Communicatur autem hæc facultas omnibus Superioribus, & quibus ipsi commiserint. (*c*)

x P.6.c.3. §.2.
y Ex. c.4. §.25.
z R. Sac. 3.
a R. Sac. 5.
b Greg. XIII. p. 189.
c Comp. V. Missa §. 3.

Pro quibus ordinariè Sacrum faciendum.

4. Quoad applicationem verò sacrificij pertinet; plures Missæ dicendæ, juxta intentionem præscriptam à Regula, ùt videre est in catalogo impresso ante Reg. Sacerd. pag. 181. Et quidem singulis annis unum sacrum faciendum pro nostra Societate. Alterum die ubique determi-

nata

nata pro Fundatore proprij Collegij, vel
d P.4. c.1. §.2. & C. 3. D. 41. Domûs, & Benefactoribus vivis, & defunctis (d). Tertium die 27. Sept. in gratiarum actionem natæ, confirmatæque tum primùm Societatis, próque felici
e C. 7. D. 54. ejusdem successu (e). Quartum eo die, qui à Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum primus occurrit, non impeditus: & quidem paratu, & Missa emortuali, pro ijsdem scilicet Defunctis
f C. 13. D. 8. in Societate. (f)

Singulis mensibus quatuor Sacra fient.
g P. 10. §. 1. & Cat. Miss. 1. Pro nostra Societate (g). 2. Pro Fundatore proprij Collegij, vel Domûs, & Be-
h P.4. c. 1. §.2. & Cat. Miss. nefactoribus vivis & defunctis (h). 3. Pro Indijs & Gentium conversione. 4. Pro regionibus Septemtrionalibus & Hæreticorum reductione. Singulis hebdomadis 1. pro illis de Societate, qui extra Pro-
i P.6. c. 4. §.4. & C. 3. D. 40. & C. 13. D.8. vinciam aliquando sunt mortui, semel Sacrificium à quolibet offeratur (i). 2. Pro nostra Societate, à designatis per Superiorem; ità ut duo offerant, si fuerint plures
l P. 10. §. 1. & Cat. Miss. quàm decem Sacerdotes; tria, si fuerint plures quàm viginti (l): & ità deinceps in singulis decadibus, si numerus crescat. 3. Pro Benefactoribus vivis, & defunctis proprij Collegij, vel Domûs, unus, aut plu-

plures celebrabunt, pro numero Sacerdotum, juxta prædictum ordinem (*m*). 4. Designatus à Superiore faciet Sacrum pro Fundatore proprij Collegij, vel Domûs,& Benefactoribus vivis & defunctis (*n*). Quæ Sacra pro Fundatoribus præscripta facienda erunt,etiam in Domibus,& Collegijs, quæ saltèm viginti ex nostris alere possunt; etiam si non habeant proprium Fundatorem; pro ijs nempe qui eorum Fundationem notabiliter adjuverunt (*o*). 5. Unusquisque Sacerdos sacrum unum faciet ad intentionem P. Generalis, vel Vicarij. (*p*)

m P.7.c.4.§.4. & Cat.

n P.4.c.1.§.1. & Cat.

o P.4.c.1.E.& Cat. §.10.

p Cat. §.20 & C.10.D.8. & C.12.D.56.§.4.

5. Sacra verò extraordinaria sunt. 1. Cùm primùm Societas in alicujus Collegij, aut Domûs Professæ possessionem venerit, singuli Sacerdotes ter Sacrum facient pro superstite Fundatore ipsius, ac Benefactoribus; totidémque ad eandem intentionem, cùm vitâ functus fuerit (*q*). Pro Communitatibus verò, quæ non moriuntur, totidem Sacra fiant, pro viventibus & defunctis earum (*r*). 2. In Domo vel Collegio, ubi quis de Societate decesserit, singuli Sacerdotes pro eo tria sacra, in alijs verò Provinciæ locis duo sacra faciant (*s*). Pro ijs, qui in itinere Indico mo-

Extraordinariè.

q P.4.c.1.§.4. & C.3.D.41.& C.§.11.12.14.

r P.4.c.1.D.E. & Cat.§.13.& 15.

s C.3.D.40.& Cat.§.16.

moriuntur, in duabus Provincijs eadem ſuffragia fiunt. At qui in Europa, extra ſuam Provinciam, peregrè decedunt, in propinquiori Domo, & in ea tum Provincia, tum Domo, ad quam mittebantur, tanquam in ijs obijſſent, ſuffragia obtineant (*t*). Quæ autem Sacra dicenda ſint in gratiam Noſtrorum, qui aliquibus muneribus perfuncti deceſſerint, ſuis uniuscujuſque gradûs locis dicetur. Adverte, quot ſacra pro alijs dicenda Sacerdotibus præſcripta ſunt, totidem, ex citato Catalogo, Coronas B. V. recitandas eſſe pro ijſdem à non Sacerdotibus.

t Or. c. 2. §. 3.

Horæ Canonicæ privatim recitandæ.

6. At circa Horas Canonicas, quarum obligatio ſubſequitur ſuſceptionem Ordinis ſacri, habet peculiare Societas, ut non teneatur illas recitare in Choro (*u*). Et ratio hujus Privilegij eſt; quia occupationes, quæ ad animarum auxilium aſſumuntur, magni momenti ſunt, ac noſtri Inſtituti propriæ, & valde frequentes: cùm alioqui noſtra habitatio tam ſit in hoc, vel in illo loco incerta; ut propterea Horis Canonicis, & alijs Officijs decantandis vacare non poſſit. Jllis autem, quos ad ea audienda devotio moverit, abundè ſuppetet, ubi ſibi ipſis ſatisfaciant (*x*): at

u Paul. III. p. 14. & Jul. III. p. 67. & Greg. XIII p. 136.

x P. 6. c. 3. §. 4.

at de cantu commodiùs infrà dicetur P. 5. c. 1. sect. 7. Cæterùm etsi non tenemur comuniter, & in Choro Divinum Officium recitare; jubemur tamen adniti attentè, devotè, & opportuno tempore recitare. (*y*)

y Reg. Sac. 2.

CAPUT V.

De Nostrorum Scholarium Studijs.

PRæcipua hujus Partis tractatio hoc capite comprehenditur; quo Scholasticorum Societatis studia exponenda sunt. Horum enim potissimùm gratiâ Collegia instituta fuisse initio hujus Partis indicatum est. De Scholis autem, quatenus ad Externorum utilitatem suscipiuntur, dicetur P. 5. c. 4. cùm de medijs, quibus Societas Proximos juvat, disserendum erit.

SECTIO I.

De Studijs Literarum Humaniorum capessendis.

1.

CUm doctrinæ, quæ in hac Societate addiscitur, hic scopus sit, suis & proximorum animis, DEI favore aspirante, prodesse: hæc erit in universum, & in particu-

Vtilitas harum literarum.

ticularibus perſonis menſura; ex qua, quibus facultatibus addiſcendis Noſtri incumbere, & quouſque in eis progredi debeant, ſtatuatur. Et quia doctrina, & uſus ſacræ doctrinæ (his præſertim temporibus) exigit literarum Humaniorum, ac Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ lingvæ cognitionem; illas oportebit addiſcere. Aliarum præterea lingvarum, ùt ſunt Chaldaica, Arabica, & Indica, ubi neceſſariæ, vel utiles ad dictum finem viderentur, poſſent Præceptores conſtitui; cùm ſcilicet in aliquo Collegio, vel Univerſitate eò ſpectaretur, ut homines ad Saracenos, Turcas, vel Indos juvandos præpararentur: & ſic de alijs dicendum, quæ eſſe poſſent alijs in regionibus, ob ſimiles cauſas, utiliores. Sub literis verò humanioribus Rhetorica, Poëſis, & Hiſtoria ſunt intelligendæ. (*a*)

a P.4. c.5. §.1. A. & c.6. §.4. & c.12. §.2. A. B. & R. Prov. 50. 51.

Linguæ Latinæ ſtudium & uſus.

2. Omnes igitur Scholaſtici, antequam ad alia ſtudia majora tranſeant, priùs in lingva Latina ſolidum jaciant fundamentum (*b*). Et ut ejus uſum facilem acquirant; præcipuè literarum Humaniorum ſtudioſi, quin etiam reliqui omnes Scholaſtici, latinè loquantur (*c*): à qua lege non eximantur, niſi vacationum dies, &

b P.4. c.6. §.4. & R. Prov. 50.

c P.4. c.6. §.13. c.13 §.3. & R. Sch. 10.

& recreationis horæ; nisi fortè in aliquibus regionibus Provinciali videretur, his etiam temporibus, facilè posse hunc latinè loquendi usum retineri (*d*). Nomine autem vacationum, non generales studiorum Feriæ intelligendæ sunt, sed hebdomadariæ tantùm: eorúmque dierum spatium, quibus commorabuntur in villis (*e*). Faciendum quoque, ut Nostri, qui nondum studia absolverunt, literas, cùm ad Nostros scribunt, scribant latinè. (*f*)

d St. R. Rect. 8. & In. 20. §. 4.

e In. 20. §. 4.

f St. R. Rect. 8.

Hebrææ, Græcæ, atque Indicæ cura.

3. Circa Hebrææ Græcæque lingvæ studia, quædam notantur in Constit. P. 4. c. 6. §. 5. & D. quæ opportuniùs referentur infrà Part. 5. cap. 4. ubi & de Sacræ Scripturæ studio: cùm præsertim studium harum lingvarum, præter Latinam, Philosophiæ, & Theologiæ anteponi, an postponi debeat, judicium Superiori permittatur (*g*). Lingvæ verò Græcæ exercitatio speciatim injungitur in publica oratione habenda (*h*); Ejusdémque promovendæ cura enixè commendata est P. Generali; atque imperata reliquis Superioribus: cùm in Græcis literis tantùm sit adjumenti ad omnes, quas profitemur, disciplinas capessendas, atque tradendas; tantum luminis ad sacrorum voluminum

g P. 4. c. 13. §. 4.

h P. 4. c. 6. §. 13. & St. R. Rect. 11.

explanationem; tantum præsidij ad hæreses expugnandas; tantum nostræ Societatis decoris & ornamenti, simúlque gloriæ Christi, & Ecclesiæ Catholicæ (*i*). Et quoniam lingvarum Indicarum peritia summoperè necessaria est ad salutem Indorum procurandam: ejus etiam studium omnibus eas regiones incolentibus seriò commendatur; atque ad illud juvandum Instructio à Patre Generali conficienda fuit. (*l*)

i C. 8. D. 16.

l C. 5. D. 67.

Rhetoricæ studia quàm diuturna.

4. Licèt autem cursus temporis ad Humanitatis, & Rhetoricæ studium definitus esse nequeat; & ad Superiorem pertineat expendere, quantum in his literis quemlibet hærere oporteat: Nostros tamen non ante ad Philosophiam mittat Provincialis, quàm biennium in Rhetorica consumpserint: nisi ratio ætatis, aut aptitudinis, aut aliquid aliud obstare in Domino judicetur. Quod si aliqui indole ingenij, ad magnos progressus in his potissimùm studijs faciendos, præditi sint; videndum etiam, an operæ pretium sit triennium impendere. (*m*)

m P. 4. c. 5. §. 2. & c. 15. § 1. & St. R. Prov. 18.

Humanitatis studia commendatissima.

5. Quàm acriter verò in hæc studia incumbendum sit, non semel significatum. 1. Provinciales curare debent Humaniorum

rum literarum ſtudia magni fieri; & eorum, qui eas profitentur, peculiarem curam haberi: & nè in his Profeſſores idonei deſint, illorum Seminaria inſtituere & conſervare (*n*). 2. Ex Deputatione Congreg. 6. pro ſtudijs, confecta eſt Inſtructio; ubi monentur Superiores non modò ſervare diligenter, quæ pluribus Regulis ibidem citatis præſcribuntur, ſed reipſa oſtendere ſibi cordi eſſe hæc ſtudia, atque eos, qui ea non vulgariter callent: tum non ſolùm admittere in Societatem, qui probè ab his ſtudijs inſtructi acceſſerint; ſed etiam ad hæc ſtudia illos potiſſimùm addicere, qui, præter vim ingenij, aliarum ſcientiarum præſidia, ac lucem habuerint: ut quamplurimi in his literis nobiliores fiant: in quibus difficiliùs fortaſsè fuerit, vel unum quempiam invenire, quàm non paucos in alijs ſcientijs (*o*). 3. Congregatio 7. rogata, ut Humaniorum literarum ſtudium quàm commendatiſſimum haberet, cenſuit monendos Superiores; ut eò majoribus animis, conatúque in hanc rem incumberent, quò plus fructûs, utilitatis, gloriæque DEI, ex hoc tam Societati proprio literarum ſtudio meritò ſperari poteſt. Quam etiam rem cenſuit P. No-

n C. 7. D. 26. & R. Prov. 50.

o Inſtr. 20.

ſtro commendandam, ut pro ſuo in ſtudium hoc ſingulari affectu, quàm commendatiſſimum habere dignaretur (*p*). Ad fovenda porrò & hæc, & lingvarum ſtudia facit, quod in eorum gratiam ſtatutum eſt; ut ſupplere poſſint defectum eminentioris ſcientiæ, ad Profeſſionem requiſitæ: quod infrà ſect. 10. §. 12. explicabitur.

p C. 7. D. 92.

SECTIO II.

De Exercitationibus peculiaribus Scholarium Societatis in Humaniori literatura.

EXercitationes autem ad literas Humaniores addiſcendas pleræque inferiùs indicabuntur Part. 5. cap. 4. cùm de publicis Scholis agetur. Hìc ſpeciatim referendæ, quæ Noſtris inſtituendis præſcriptæ ſunt.

Quis Magiſter.

1. Si Noſtri Rhetores ſeu Humaniſtæ, vel ad publicas non accedunt prælectiones, vel accedunt quidem, is tamen, qui Scholæ præeſt, non poteſt oneri Externorum, Noſtrorúmque inſtruendorum ſufficere; Noſtros alteri cuipiam idoneo Rector committat, à quo domi privatim, diligenter exerceantur. (*q*)

q St. R. Rect. 10.

2. Rector etiam videat, ut interdum aliquæ à nostris Rhetoricis Orationes, aut Poëmata Latinè, vel Græcè, tum in mensa habeantur, tum in aula de re aliqua, ad ædificationem Domesticorum, & Externorum pertinente, quâ ad perfectiora in Domino animentur (*r*). Bis insuper, aut ter in anno, cùm aliqua celebritas, ùt Renovationis studiorum, aut Votorum agitur, Philosophi etiam, ac Theologi carminum aliquid condant, affigántque (*s*). Iisdémque Præfectus studiorum librum aliquem, ad Humanitatis studia pertinentem, distribuat; moneátque, ut interdum legere non omittant. (*t*) *Declamationes & Carmina.* *r* P.4. c.6. §.13. & St. R. Rect. 11. *s* St.R. Rect.8. *t* St.R.Præf.30

3. Præterea, qui literis Humanioribus vacant, sua etiam stata tempora ad conferendum, & disputandum de ijs, quæ pertinent ad studia illa, coram aliquo, qui eosdem dirigere possit, habebunt: & Dominicis, vel alijs constitutis diebus, alternatim, vel suæ facultatis positiones à prandio tuebuntur; vel se in componenda soluta oratione, aut carmine exercebunt: sive id ex tempore, proposito ibidem themate, ad explorandam promptitudinem, fiat; sive domi composita, de re priùs proposita, publicè legantur. (*u*). De his au- *Disceptationes.* *u* P.4.C.6. §.12. & c. 13. §.3. & St. R. Rect. 12.

tem, si quid propter circumstantias mutari oporteat, judicium Rectoris esto, facultate à suo Superiore, saltèm in genere, accepta. (x)

x P. 4. c. 6. K.

SECTIO III.

Quæ studia Superiorum Facultatum & quàm diuturna.

1.

Utilitas horum studiorum.

CUm Societatis studiorum scopus sit, Proximos ad cognitionem, & amorem DEI juvare, ùt dictum est; cúmque ad eum finem, medium magìs proprium sit facultas Theologiæ; in hanc potissimùm Scholastici nostri incumbent. Et quia ad eandem Scientiæ naturales maximè disponunt ingenia, quâ diligentiâ par est, hæ quoque addiscendæ. (y)

y P. 4. Procem. & c. 5. §. 1. & c. 12. §. 1. & 3.

Philosophiæ cursus.

2. Nomine autem Scientiarum naturalium hìc comprehendimus Logicam, Physicam, Metaphysicam, Ethicam, & Mathematicam (z). Quas quidem scientias Nostri non addiscent minori spatio, quàm trium annorum (a). Immo neque in gratiam Coadjutorum spiritualium breviores cursus Artium, vel Theologiæ instituendi sunt: sed illi studio Humaniorum literarum contenti, casus conscientiæ audire

z P. 4. c. 5. §. 1. & c. 6. § 4. & c. 12. C & c. 14. §. 3. & c. 15. §. 2.

a P. 4. c. 15. §. 2. & St. R. Prov. 37.

re possunt (*b*). Iis potiùs, qui actus Scholasticos celebrare debent, & gradum magisterij suscipere, ultra triennium medius annus repetendæ Philosophiæ concedendus est. (*c*) *b* C. 2. D. 69. *c* P. 4. c. 6. §. 16. & c. 15. §. 2.

3. Prædictum autem triennij spatium ità Philosophiæ potissimùm impendendum est; ut secundo tantùm anno Philosophi omnes, tribus circiter horæ quadrantibus mathematicam prælectionem audiant. Et si qui præterea sint idonei, & propensi ad hæc studia, privatis post cursum lectionibus exerceantur (*d*). Ethica verò Metaphysicis explicanda est quotidie, per tres quadrantes, aut semihoram. (*e*) *Mathematicæ, atque Ethicæ studia.* *d* St. R. Prov. 20. *e* St. R. Prof. Mor. 2.

4. In Theologiæ verò cursu quadriennium explendum est (*f*); quam duo, aut tres Magistri prælegent; ex quibus tertius, ex professo, explicabit Theologiam moralem; quam Nostri biennio saltèm audiant (*g*): altero verò biennio Scripturam Sacram. *Theologiæ cursus.* *f* P. 4. c. 15. §. 3. & P. 5. c. 2. §. 2. & C. 13. D. 15. & St. R. Prov. 9. §. 1. *g* C. 7. D. 33. §. 7. & St. R. Pro. 9. §. 1.

5. Ad cujus intellectum, lingvæ illæ, in quibus scripta, vel versa fuerit priùs, aut posteriùs, ùt Superiori videbitur, disci poterunt. Sed in hoc lingvarum studio Nostri eò spectent; ut versionem ab Ec- *Scripturæ Sacræ & Hebraicæ linguæ.*

clesia approbatam defendant: & propterea ad illas non debent accedere, nisi multâ doctrinâ, aut magna humilitate fulti (*b*). At speciatim de lingva Hebraea statutum est, ut ejus lectionem omnes Theologi audiant, secundo ferè vel tertio anno; ijs solùm exemptis, qui ad eam inepti penitùs censerentur. (*i*)

b P.4. c. 6. §.5. & D. & c.13. §. 4. & St.R.Pro. 6. & 8. & Rc. Pr. Heb. 2.

i St. R. Prov. 8.

Iuris Canonici.

6. Caeterùm si hoc studiorum tempore in Collegijs non fuisset otium ad Concilia, Decreta, Doctores Sanctos, & res alias morales legendas; postquam ex eis egressi fuerint, unusquisque privato studio, cum approbatione Superiorum, id posset efficere; praesertim si in doctrina Scholastica solida jecerit fundamenta (*l*). Sed de Theologiae positivae studijs inferiùs agetur sect. 6.

l P.4. c.5. B. & In. 4. §. 2.

SECTIO IV.

Exercitationes Scholasticae Scholarium Societatis.

1.

Repetitiones ordinariae.

HActenus quae ad materiam, tempúsque studiorum superiorum. Jam quae in ijsdem facultatibus ad exercitationes nostrorũ Scholasticorum proprias, nec cum Externis communes pertinent,

nent, exponenda sunt. Inter has primo loco veniunt Lectionum Philosophicarum & Theologicarum Repetitiones; quæ domi fient quotidie, præter Sabbata, vacationes, & dies festos, horâ unâ designandâ; qua repetatur à Nostris, & disputetur. Præmoneatur itaque unus, aut alter, ad repetendum memoriter, non plùs, quàm per quadrantem: postea argumentetur unus item, aut alter, totidem respondentibus: si quid verò temporis supersit, dubia proponantur. Ut autem id supersit, Magister argumentandi formam severè tueatur; & cùm novi nihil affertur, præcidat argumentum. (*m*)

m P.4.c.6. §.8. & H. & I.& c. 13. §. 3.& D. & St. R. Comm. sup. 12.

Repetitiones extraordinariæ.

2. Præter has ordinarias Repetitiones, Philosophiæ studiosi Ethicæ Repetitiones, saltèm decimo quinto quoque die habeant; quo tempore Rector statuerit: etiamsi, eam ob causam, una esset Metaphysica Repetitio prætermittenda (*n*). Pro Theologis verò, qui audiunt Lectionem Sacræ Scripturæ, fiant ejusdem Repetitiones semel in Hebdomada, & interdum etiam in Refectorio (*o*). At pro ijs, qui student lingvæ Hebrææ, habenda est ejusdem Repetitio, saltèm diebus vacationum. (*p*)

n R.Pr. Mor.3.

o R. Prof. Sac. Script. 19.

p St.R.Prov.8.

3. Cùm

Disputationes. 3. Cùm perutilis sit (præsertim Artium ac Theologiæ Scholasticæ studiosis) disputandi usus; intersint Scholastici ordinarijs Scholarum, ad quas accedunt, (licèt non sint sub cura Societatis) disputationibus, & singulare sui specimen in doctrina præbere, modestè tamen, curent (q). In Sabbato, alióve, quem Academiæ consvetudo exigit, die, habeantur disputationes in Scholis, per duas horas. Quod si quam in hebdomadam duo festi dies, vel cum festo uno hebdomadaria vacatio incidat, non disputetur; sed legatur Sabbato: id verò si tribus continuaretur hebdomadis, una interponatur disputatio. (r)

q P.4. c.6 §.10. & c. 13. §. 3. & R. Schol. 7.

r P.4. c.6.§.10. & c. 13 §. 3. & St. R.Com.Pr. 14.

Studium privatum. 4. Singuli verò in audiendis lectionibus sint assidui, & in eis prævidendis diligentes, & postquam eas audierint, repetendis: ijs, quæ non intellexerint, interrogandis; alijs verò, quæ oportuerit, adnotandis: quò, in posterum, defectui memoriæ consulatur: eadémque, majori cũ ordine digesta, postmodum referant in libros papyraceos (s). Habeant propterea suum privatum studium, & quietum: in quo possent, si Rectori videretur, Commentarium aliquem videre. Quamdiu

s P.4. c.6. § 8. & I. & M. & c. 13 §. 3. & D. & R. Sch. 45.

autem

autem audiunt, ferè unus, & is quidem selectus, esse deberet (*t*). Et spectabit ad Præfectum studiorum curare, nè Scholastici libris, aut utilibus careant, multóque minùs necessarijs, aut abundent inutilibus; Rectórque jubebit Bibliothecarium, in librorum distributione, ab ejusdem Præfecti præscripto non discedere. (*u*)

t P.4. c.6. M.

u P.4. c. 6. §.7. &G.& R.Præf. Bibl. 10. & St. R. Rect. 17. & St. R. Præf.29. 30.

5. Bibliotheca præterea communis, si fieri potest, in Collegijs habeatur; cui amplificandæ aliquem reditum annuum, sive ex bonis ipsius Collegij, sive aliunde, Provincialis attribuet; quem in alios usus convertere nulla ratione liceat. Clavis autem Bibliothecæ illis, qui juxta Rectoris judicium habere debebunt, tradatur. In libris verò necessarijs, quos singuli privatim habent, nec scribere, nec notam ullam imprimere debent. Constétque eorum ratio ei, qui Bibliothecæ Præfectus est. Non sint in Collegio libri lascivi, aut vani. Bibliothecæ Præfectus habeat librum, in quo ea omnia, quæ in suo Collegio publicè exhibentur, judicio Superioris selecta, diligenter scribantur. Conclusiones verò singulorum annorũ simul consutas in Bibliotheca asservet. Reliqua, ab hujusmodi Præfecto servanda, peti possunt ab ejusdem Regulis pag. 230. (*x*).

Bibliotheca cõmunis ejúsque Præfectus.

x P.4. c.6. §.7. & G.& P.3.c.1. M. & St. Rc. Prov. 33. & St. R.Rect. 16. & R. Præf. Bibl.

SE-

SECTIO V.

De Examine nostrorum Scholarium, studiorum tempore.

1.

De omnium studijs constare Superioribus debet.

UT etiam Scholastici magìs in studijs promoveantur, juverit interdum mittere ad Præpositum Provincialem, vel Generalem aliquod studiorum suorum specimen: vel saltèm eis referre, quantum singuli profecerint. Conferet etiam in memoriam illis reducere, quòd studijs absolutis, in omnibus facultatibus, quibus operam dederint, sunt examinandi. (y)

y P.4. c.6. L.& c. 9. §. 3. & R. Prov. 59. & R. Rect. 44.

Quoties examinandi, & quæ doctrina exigendæ.

2. Sed examinum ratio exactior, usúsque frequentior postmodum inductus est. Tam igitur qui Philosophiæ, quàm qui Theologiæ dant operam, singuli, sub anni cujusque finem, seriò examinandi, Rectore præsente, & ipso Provinciali, si possit: nullíque à primo ad secundum annum, & sic de cæteris, gradum faciant, Philosophi quidem si mediocritatem non attigerint; hi verò ad Theologiam, & Theologi ad suos consequentes annos, qui mediocritatem non excesserint; nimirum, ut eas facultates cum satisfactione tueri possint.

Exceptio.

3. Excipe, nisi præclara ad gubernandum,

dum, aut concionandum talenta in mediocri quopiam aliud viderentur exigere; nullâ Provinciali diſpenſandi cum quoquam facultate relictâ; ubi de mediocritate doctrinæ judicio Examinatorum non conſtat, & de excellentia talenti judicio Conſultorum, & aliorum gravium virorum (z). In hac autem tota re, quia magni momenti in Domino judicanda eſt, & conſideratè admodum tranſigenda, ſervet in primis Provincialis regulas officij ſui, & potiſſimùm rationem habeat virtutis(a). Eodem etiam examine probandi ſunt, qui vel totum curſum Philoſophiæ, aut ejus partem, vel partem etiam aliquam Theologiæ, antequam in Societatem ingrederentur, audiverunt; ut idem de illis ſtatuatur: niſi mallent, quod emenſi ſunt, illorum ſtudiorum iter remetiri: quod tamen, juſtas ob cauſas, Superior negare poterit. (b)

z C.7.D.33.§.1. & 2. & C.8.D. 37.§.5.

a St. R. Prov. 19.§.2. & 8.9.

b C.7.D.33.§. 1.2. & C 11.D. 24.§.4. & St. R. Prov. 19.

4. Spatium verò temporis horum examinum non idem ſemper, & ubique eſt. Metaphyſici, & à tertio ad quartũ Theologiæ annum gradum facturi, unius horæ ſpatio examinandi ſunt (c). In reliquis tum Philoſophiæ, tum Theologiæ annis dimidiâ minimùm horâ ſubeatur examen:

Spatium & materia Examinum.

c C.11.D.24. §.1. & ult. & St. R. Præf. 23.

&

& Provinciæ, quæ ex longo jam uſu plus ei temporis tribuunt, conſvetudinem ſuam retineant (*d*). Initium examinandi Metaphyſicos ſtatim poſt ferias Paſchatis fiat, vel etiam ante, ſi multitudo cogat Examinandorum (*e*). Reliqui ſub finem anni: cùm examinis annui materia ſit ea omnis, quæ à Magiſtris toto anni currentis ſpatio tradita fuerit; ijs exceptis, quæ ſub ipſum examinis tempus decurruntur, Præfecti ſtudiorum judicio deſignandis: ſive de cætero Theſes ad examen exhibeantur, ſive non. (*f*)

d C. 11. D. 24. §. 2.

e St. R. Præf. 23

f C. 11. D. 24. §. 3.

Examinatores & Iudices.

5. Examinatores Metaphyſicorum debent eſſe tres, aut etiam plures. Examinabunt autem ſemper Præfectus, & Præceptor proprius; quibus à Rectore addetur tertius ex reliquis Magiſtris, vel alius; qui rectè id facere poſſe judicetur. Cum his tribus aderunt præterea duo ſaltèm alij Profeſſores à Rectore item eligendi; qui viciſſim etiam mutari poterunt: vel ſi id fieri non poſſit; alij valdè idonei, qui cum tribus Examinatoribus ſuffragium ſcripto ferant; ità ut ſint minimùm quinque ſecreta ſuffragia. (*g*)

g C. 8. D. 37. §. 6. & St. R. Præf. 20.

Suffragiorum certitudo, & numerus ne.

6. Horum tria neceſſaria ſunt, ut ad Theologiam Scholaſticam Metaphyſici ad-

admittantur (*h*). Auditores autem Theologiæ, ut à secundo ad tertium, & à tertio ad quartum annum pergere possint, debent habere quatuor Examinatorum tria suffragia clara, & minimè dubia. Nam ut à primo ad secundum transeant, duo sufficient (*i*). Hi porrò suffragatores judicium ferre debent, non comparativè solùm ad alios, qui fortè ulteriùs progressi sunt in studijs, sed absolutè pro eo progressu, & capacitate, quæ à Decretis in singulos annos requiruntur. (*l*)

cessariò ad progrediendum in literis.

h C. 8. D. 37. §. 6.

i C. 8. D. 37. §. 3.

l C. 12. D. 22. §. 4.

7. Universi autem Examinatores, qui suffragium ferunt de promovendis ad ulteriora studia, sive ad publicos actus admittendis, sicuti & Rectores, qui suffragantium vota excipiunt, licèt non adstringendi sint juramento ad secretum; ùt aliquando petitum est: tamen intelligant ea de re perquam seriò deliberatum esse, commendatúmque P. N. ut efficacibus remedijs servari curet secretum hujusmodi, & executioni mandari Superiorum diligentem inquisitionem in evulgationum auctores puniendos, pro rei gravitate, ac culpæ magnitudine, etiam usque ad muneris privationem. (*m*).

Secretum Superioribus reliquisque suffragatoribus impositum.

m C. 7. D. 23. & C. 10. D. 6. & St. R. Prov. 19. §. 6.

8. Demum ad publicos Actus Theolo-

Provincialis auctoritas in Scholasticorum studia.

gorum habendos, licèt Magistrorum & Præfecti studiorum judicia sufficere videantur: tamen Provincialis, justas ob causas, alium idoneum Judicem potest adjungere (*n*). Et prætcrea quoniam in hujusmodi examine, & judicio ingeniorum solent haud raro discrepantes esse sententiæ: penes Provincialem erit, re benè perpensâ, perspectísque suffragijs, auditísque suis Consultoribus, id decernere, quod in Domino judicaverit expedire, ad majorem DEI gloriam, & commune Societatis bonum. Quod si judicarit non esse quempiam ulteriùs illis studijs applicandum: id scriptum constet in libro ad hoc designato; ubi & notabit Examinatorum judicium, & quod de reliquis etiam constitutum est. (*o*)

Optimi expediendi.

9. Idem Provincialis ex singulis Philosophiæ cursibus seligat aliquos eximios, quos Theologiæ applicet: nè ingenia, & valetudinem atterant in habendis inferioribus Scholis: quod ferè cum illis etiam curandum, qui rara ad concionandum talenta præ se ferunt. (*p*)

n In. 20. p. 2. §. 5.

o St. R. Prov. 29. §. 6. 7. & R. Prov. 49.

p St. R. Prov. 26. 27.

SECTIO VI.

De Studijs Casuum Conscientiæ.

1.

AT qui in studiorum decursu deprehensi fuerint inepti ad Philosophiam, aut Theologiam; vel etiam propter ætatem, aut alias causas sperari non potest, fore ut magnum facturi sint progressum; in studijs, quibus vacare poterunt, occupentur, & ferè in ijs quæ ad doctrinam confessionibus utilem pertinent; vel ad docendum in classibus inferioribus, juxta Provincialis arbitrium. (*q*) *Quinam hisce studijs tantùm addicendi sint.*

q P.4. c.5. §.2. & D. & c. 8. §. 4. & D. & R. Prov. 56. & St. R. Prov. 19. §. 4. & Instr. 4. §. 2.

2. Propterea Provincialis duos in eo Collegio, ubi est pro Nostris Seminarium casuum conscientiæ, Professores constituat, qui universas ejus generis materias inter se divisas biennio explicent, vel unum, qui binas quotidie lectiones habeat. (*r*) *Qui Magistri præficiendi.*

r St. R. Prov. 12.

3. Et quia scopus, ad quem studia universa Societatis diriguntur, est procurare salutem animarum: congruum erit; ut omnes Scholastici, nedum qui studijs superioribus impares sunt, sub horum finem incipiant assvescere ad arma spiritualia in proximorum auxilium tractanda (*s*). *Omnes his studijs informandi.*

s P.4. c.8. §.1. & c. 10. §. 10.

Quare ubi tres erunt pro Theologiæ Scholasticæ Auditoribus Professores, tertia lectio erit moralis Theologiæ : in qua ex professo, sed succinctè explicentur materiæ morales, quæ ab ordinarijs Professoribus vel omitti, vel leviter perstringi solent. Quam quidem lectionem biennio saltèm Nostri audiant (*t*). At illi Scholastici, quibus non licet inchoare, vel ultra primum annum prosequi cursum Theologiæ scholasticæ, non promoveantur ad Sacerdotium; nisi in schola quapiam Theologiæ Moralis tam diu exercitati, donec saltèm biennio (etiam longiori tempore, ubi mos Provinciæ tulerit) Theologiæ ex professo studuerint. Sed neque hi, neque alij Nostri ad Sacerdotium promoveantur: nisi saltèm mediæ horæ spatio singuli fuerint examinati; idque à quatuor Examinatoribus, quoad fieri poterit, Theologiæ Moralis benè peritis: & Examinatorum saltèm trium judicio, quod scripto exhiberi oportebit, tantam habeant doctrinam: ut confessiones fructuosè audire possint : in quo graviter oneratur Examinatorum conscientia. Præterea si quem contigerit ex gravi causa, probata Præposito Generali, ad Sacerdotium promo-

t C.7. D. 33. §. 7. & St.R. Pro. 9. §. 1.

moveri, adhuc immaturum Tribunali Pœnitentiæ; is ad audiendas confessiones non exponatur, nisi expleto tempore ordinario in schola Theologica, ac dein examinatus, & probatus, ùt suprà. Qui verò ad Societatem admittuntur Sacerdotes, hi priusquam exponantur ad audiendas confessiones, examen idem subire teneantur; ijs solis exceptis, quos C. 7. D. 96. statuit sinè examine admittendos esse ad Professionem quatuor Votorum.(*u*) *u* C. 13. D. 16.

Collatio casuũ conscientiæ.

4. Præterea pro Nostris Theologiæ Auditoribus semel in hebdomada fiat privata Casuum conscientiæ collatio, aliquo Præside per Provincialem constituto; qui prudenter, ac tutò possit hanc Provinciam sustinere. In domibus verò Professis Sacerdotes nostri conveniant ad hujusmodi collationem bis in hebdomada; in reliquis Collegijs bis, aut semel. Ab his autem omnibus collationibus, præter Theologiam, ac Philosophiam actu profitentes, & eos, quos eximendos Provincialis judicaverit, nulli eximantur; immò Superior ipse, non nisi raro, & graves ob causas absit; in eximendis verò, non nisi invaletudinis, vel gravis causæ ratio est habenda (*x*). Methodus autem in hisce casuum

x P. 3. c. 1, X. & C. 9. D. 8. & C. 13. D. 17. & R. Prov. 13. 14. 15. & R. Præp. 57. & In. 20. §. 6.

collationibus ſervanda præſcribitur in St. Reg. Prof. caſuum conſcientiæ, §. 7. 8. 9. 10.

Quæ ſcripto conſignanda.

5. Præter id ſtudium conveniet compendium aliquod caſuum, & cenſurarum habere; & ſimul formulas, quæ minùs uſitatæ ſunt aliquarum abſolutionum; ac brevem interrogandi methodum de peccatis, & eorum remedijs. (*y*)

y P. 4. C. 8. D.

SECTIO VII.

De Exercitatione ad Ministeria.

1.

Magiſtri inferiores inſtruendi.

IN Collegijs etiam, unde Magiſtri claſſium inferiorum educi ſolent, Rector deligat unum docendi peritiſſimum; ad quem, ſub finem ſtudiorum, ter in hebdomada, per horam, conveniant proximè futuri Præceptores, ad novum Magiſterium inſtituendi. (*z*)

z St. R. Prov. 30. & R. Rect. 9.

Conciones domeſticæ, & Toni.

2. At in concionibus, & ſacris lectionibus eo modo proponendis, qui ædificationi populi conveniat, Scholaſtici noſtri ſe exerceant Domi, aut in Monaſterijs: ſtudeántque, ad id munus obeundum, lingvam populo vernaculam bene addiſcere: & res etiam alias vidiſſe oportet; quæ ad hoc officium utiliores futuræ ſunt;

eáſque in compendium redegiſſe utiliùs fuerit. Quare Dominicis diebus & feſtis, ſi commodè fieri poteſt, & alijs etiam, ſi Superiori videbitur, ſint aliqui pro multitudine Scholarium à Superiore delecti; qui inter cœnandum, pro lectione, concionem habeant: quibus ad ſe parandum bidui ferè ſpatium, pro Superioris arbitrio, dandum erit. Exerceantur etiam, pro more Societatis, diebus ſaltèm Dominicis, in Tonis, ſeu ratione concionandi; de ijs crebrò tractantes; quæ ad ſui abnegationem, & in virtutibus profectum, & fraternam charitatem ſpectant. Utilitas autem major erit, ſi quadrante horæ circiter præmoneantur, themate illis aſſignato. (*a*).

a P. 3. c. 1. §. 5. & 21. & P. 4. c. 8. §. 3. & B. C. & C. 7. D. 80. §. 6. 7. & R. Rect. 54. & R. 56. & R. com. 10. & In. 2. §. 3. & 5.

In illis, qui potissimùm & quo pacto exercendi.

3. Ut autem ad munus tanti momenti, & ex præcipuis, quæ Societas exercet, perquam inſtructiſſimi Noſtri accedant; peculiaris Inſtructio confecta eſt, quæ eſt inter Inſtructiones ſecunda (*b*). Hujus ea pars hìc referetur, quæ ad inſtituendos Concionatores facit: reliqua ad jam Inſtructos dirigendos ſpectans alio loco exponenda. Igitur qui talento ad concionandum ſunt prædití, & in humilitate, & cæteris virtutibus benè fundati, hoc ipſo

b C. 2. D. 62.

ſtudiorum tempore inſtituantur; & nullo pacto concionibus aliorum deſcribendis ſinantur tempus terere (*c*). In concionibus domeſticis, de quibus ſuprà, non quæ ad Religioſos ſpectant tantummodo tractentur, ſed etiam illa, quæ ad populi ædificationem faciunt; & quaſi ad ſeculares ſermo dirigatur. (*d*)

c In. 2. §. 1. & 7.

d In. 2. §. 2.

Præfectus concionum, & ejus munus.

4. Ad hunc finem in præcipuis Seminarijs, aliquis bene exercitatus è Noſtris Concionator conſtituendus eſt Præfectus concionum: cujus munus erit, thema concionaturis deſignare, & viam, quà illud bene tractent. Poſt ſingulas conciones liberè, & amanter eoſdem privatim moneat (*e*). Præfectus etiam in Tonis idem præſtabit; excepto quòd correctio, ſeu commendatio, antequam è ſuggeſtu abeant, præſtanda eſt (*f*). Non ſunt autem omnes ad eundem concionandi modum adigendi; ſed communia documenta proprio cujuſque modo, & facultati attemperanda. (*g*)

e P. 4. c. 8. C. & In. 2. §. 3. 4.

f In. 2. §. 5.

g In. 2. §. 6.

Poſt ſtudia tēpus ad parandas conciones tribuendum.

5. Qui concionandi talentum habuerint, ſi poſt abſoluta ſtudia Scholaſtica duos annos ad ea repetenda juxta Reg. 52. Provincialis poſuerint, poſt tertium annum probationis, antequam concionandi mu-

munus ſuſcipiant, privato ſtudio Sacræ Scripturæ, & legendis Patribus, ac ſanctæ meditationi, ſaltèm per annum, vacent. At per biennium id præſtent, qui prædictæ repetitioni non fuerint addicti. (*h*)

h Inſtr. 2. §. 7.

Sacramẽta miniſtrare, & exercitia tradere doceantur.

6. In miniſterio etiam exerceantur Confeſſionis, (ùt ex parte dictum eſt) & Communionis; & non ſolùm quoad ipſorum, ſed etiam quoad pœnitentium, & communicantium officium pertinet, perſpectum habere, ac exequi curent. Ad exercitia etiam alijs tradenda aſſveſcant; ſtudium pariter congruum in modo tradendæ doctrinæ Chriſtianæ adhibeant: curandúmque eſt; ut quæ ad bene moriendum proximis conferunt, percipiantur. (*i*)

i P. 4. c. 8. §. 4. 5. 6. 7. & D. E. F. G. & c. 10. §. 10. & c. 13. D. 16. & R. Rect. 67.

Omnia demum Societatis miniſteria exercere juxta Superioris prudentiam.

7. In univerſum loquendo edoceri eos convenit, quem modum tenere oporteat hujus Societatis Operarios; qui in tam varijs mundi regionibus, cúmque tam diverſis hominum generibus verſari debent. Et quamvìs hoc ſola unctio S. Spiritûs, & ea prudentia, quam communicare ſolet Dominus illis, qui in Divina ſua Majeſtate confidunt, docere poſſit: via ſaltèm quibuſdam documentis, quæ juvent, & ad effectum Divinæ gratiæ diſponant, aperiri

l P.4. c. 8. §. 8. & P.10. §. 3.

riri poteſt (*l*). Videat tamen Rector quos ex Collegialibus, & ad quem uſque limitem, in his occupari conveniat; cùm ſub finem ſtudiorum, pleraque ex dictis exercenda ſint. (*m*)

m P.4. c. 6. §.3. & C. & c.8. §.1. & c. 10. §. 10.

SECTIO VIII.

De Actibus publicis, tum Philoſophicis, tum Theologicis.

1.

Actus Philoſophorum.

PUblici Actus, ſeu Diſputationes, ſub finem ſtudiorum, tum Philoſophiæ, tum Theologiæ habendi ſunt à Noſtris; ad quos pro dignitate tuendos ſe ſtrenuè comparare debent (*n*). Ad diſputationes Philoſophorum deligantur pauci, & egregiè inſtructi, qui locum implere poſſint: hi autem ſeligendi ſunt per Examinatores, & Judices, de quibus ſuprà ſect. 5. §. 5. Tempus harum diſputationum erit totum ſcholarum vel manè, vel à prandio: numerum autem, & conditionem argumentantium pariter, & auditorum vide locis hìc citatis. (*o*)

n P 4.c.6.§.17. & c. 15. B.

o St. R. Præf. 19. 20. 24. 25.

Actus Theologici particulares.

2. Actus Theologici, alij dicuntur Particulares, ſive parvi, alij Generales, ſive magni, denominatione ducta à materia, & ſpatio etiam diſputandi contractiore,

am-

amplioréve. Ad actus hujusmodi habendos requiruntur Examinatorum suffragia tria clara, & minimè dubia, quæ Scholastici, ad actum cum satisfactione habendum, capacitatem speciatim enuncient. (*p*). Habentur autem anno Theologici studij quarto, aut (si æquo pauciores sint Theologi quarti anni) tertio, externis invitatis, cum aliquo apparatu (*q*). Materias actuum particularium Præfectus studiorum cum Magistris distribuet; cavebítque nè nimis frequenter, sed per intervalla quædam, habeantur; ac duabus horis & dimidiata minimùm circumscribantur; & argumententur ferè non pauciores, quàm tres; quorum unus sit ùt plurimùm Doctor. (*r*)

p C. 11. D. 24. §. 5.

q St. R. Præf. 7.

r St. R. Præf. 8.

Actus Theologici generales.

3. Generales Actus universam ferè Theologiam comprehendant; & antemeridianum ac pomeridianum tempus occupent: vel certè ad quaternas, aut quinas horas producantur; ubi non nisi manè, vel à prandio disputari moris est. Horum actuum Conclusiones possunt esse communes omnibus eodem anno defensuris; & publicis typis excudi. Eorum, qui sunt hos actus habituri, unus in ultimam, si commodè potest, reservetur hebdo-

domadam, quâ ſtudia finienda ſunt; alter in eam, quâ Scholæ rurſus aperiendæ. Reliqua à citatis Regulis peti poſſunt. (s)

s St. R. Præf. à 9. uſque ad 15.

In his ſecretum & ſelectus.

4. Si quis, habiturus actum magnum, ab argumentaturis argumentum proponendum, vel concluſionem impugnandam inquiſiverit; is, nullâ habitâ ratione judicij ex actûs ſucceſſu conſecuti, ad examen, more aliorum, pro profeſſione ſubeundum, omnino revocetur. Qui verò in actu parvo id feciſſet, excidet omni ſpe actûs magni; & complices hujus dedecoris puniantur: & oneratur conſcientia Judicum, ſi cognitâ fraude, ex ſolo tamen ſucceſſu judicium ferant. Ad hæc commendata eſt P. N. contractio numeri Theologicorum actuum; & moderatio interlocutionum, quas Magiſtri plus æquo actibus immiſcent (t). Quatenus autem horum actuum, & examinum, quæ loco actuum habentur, judicium referatur ad Profeſſionem quatuor votorum, dicetur infrà ſect. 10.

t C. 11. D. 24. §. 6.

SECTIO IX.

De ijs, qui per biennium privato ſtudio Theologiam recolunt; & promoventur ad Gradus Scholaſticos.

1. In-

1.

INstitutio eorum,qui privatim repetunt Theologiam, à Ratione studiorum pag. 153. petenda est. hìc tantùm ea delibantur, quæ in Constitutionibus, aliísque regulis præscribuntur. Quod dictum est de actibus publicis Theologorum habendis sub finem quarti anni, non comprehendit eos, quibus biennium præterea, ad recolenda ea studia, conceditur (*u*). Debet enim Provincialis, initio quarti anni, consultis Rectore, Præfecto, Magistris, & suis Consultoribus, designare aliquos; qui, & probatæ virtutis in primis sint, & ingenio polleant, ut absolutis studijs Philosophiæ & Theologiæ, ad ea repetenda, privatum, & quietum studium habeant; & Sacræ Scripturæ se dedant; & plus etiam studij, quàm reliqui consveverint, in Hebraicis ponant. (*x*)

Selecti, & studia eorum, qui repetunt.

u St.R. Præf.7.

x P.4.c.6.D. & §.14. 16. 17. & R. Prov. 52. & St. R. Prov. 8. & 10. & St. R. Præf. 7. & St. R. Rect. 24.

2. Hi verò in disputationibus publicis rationem suorum studiorum reddant: & cùm Nostri vocantur ab Externis ad disputandum, ijdem potissimùm mittendi erunt (*y*). Quibus, & privati studij occupationibus ut meliùs vacare possint, Rector eos, quàm minimè poterit, distinebit habendis concionibus, ídque consulto Pro-

Eorundem disputationes. & munera.

y R. Prov. 52. & St. R. Præf. 26.

z St.R.Rect.5. Provinciali (*z*). Ex his verò, ubi Regionis mos est, poterunt aliqui, facta à Generali potestate, ad Gradus Doctoratûs, vel Magisterij promoveri. (*a*)

a St. R. Prov. 10.

Facultas Gradus literarios conferendi.

3. Possunt enim nostri Scholastici, studiorum suorum cursu absoluto, & rigoroso examine præcedente, à quovis ex Rectoribus Collegiorum, adhibitis duobus vel tribus Magistris, ad quoscumque gradus Baccalaureatûs, Magisterij, Licentiaturæ, ac Doctoratûs promoveri: & sic promoti gaudent omnibus facultatibus; quibus fruuntur reliqui, pariter insigniti in alijs Universitatibus (*b*). Quam facultatem promovendi ad Gradus literarios, per prædictos Pontifices concessam Rectoribus, & Præfectus studiorum habet (*c*). Nullus tamen ex Nostris ad Philosophiæ, vel Theologiæ gradus promovendus est, sinè facultate Præpositi Generalis; nec ob alium finem, quàm ut possint Proximis esse utiliores. (*d*)

b Jul.III. p.76. & Pius IV. p. 88.

c Greg. XIII. p. 190.

d P.4.c.6.§.17. & R. Prov.62. & Rect. 42. & St. R. Prov.10.

Servanda cum Promovendis, Promotisque.

4. Ad gradus verò hujusmodi promovebuntur, qui per diligentem examinationem inveniuntur apti ad eam scientiam prælegendam. Sumptus in illis vitandi: nec loca certa, quamvìs reliquis, qui gradus accipiant, dari soleant, ipsi admittant (*e*); nec

e P.4.c.6. §.17. & c.15. §. 4.

nec Doctoris, vel Magistri nomine, ratione Gradûs, inter se utantur (*f*). Et quamquam non sit absurdum, si Doctores Nostri quædam insignia serica in Actibus publicis alicubi ferrent; tamen curandum, ut non ad id obligentur; & quid generatim expediat, P. N. statuere debet (*g*).

f R. Prov. 64.

g C. 1. D. 331.

SECTIO X.

De Examine eorum, qui sua Studia absolverunt.

1.

HOc examen, licèt ad Professionem instituatur, quæ protrahi multoties debet longè ultra studiorum finem; attamen, ut Scholasticis faciliùs contingat, instituendum est, antequam illi ad tertiam Probationem mittantur, & sub finem anni 4. Theologiæ. (*h*)

Hujus Examinis tempus.

h St. R. Prov. 19. §. 10. & Or. c. 18. p. 1. §. 3.

2. Certum in primis est, non esse examinandos hoc, de quo loquimur, examine eos, qui Philosophiæ, ac Theologiæ studia non absolverunt (*i*). 2. Excipiendi omnes, qui pro dignitate has facultates professi sunt, aut profitentur; vel qui actum generalem manè, & vesperi in Theologia habuerint; si designatis in id Patribus satisfecerint, ùt infrà §. 10. explica-

Qui examinandi.

i P. 5. c. 2. §. 2.

l Or. c.18. p. 3. §. 6.

plicabitur (*l*). 3. Doctores Theologiæ Societatem ingressi, si de eorum eximia eruditione nulla dubitatio sit, pariter non sunt examinandi; secus verò, si sint dubij (*m*). Reliqui omnes, modò ultrò jus ad Professionem quatuor Votorum non abdicent, examinantur.

m C. 7. D. 96.

Qui examinatores.

3. Porrò Examinatores, ut idoneam ferre sententiam possint, ordinariè esse debent publici Professores harum facultatum; vel certè, qui omnium judicio sunt in illis bene versati: numero quatuor deligi debent ad id munus à P. N. (*n*) & quoad fieri potest, non sint eorum, qui examinantur, Præceptores. In locum horum, si eos deesse contingeret, erit Provincialis alios, pro tempore, subrogare. (*o*)

n P.5. c.2. §. 2. & C. 7. D. 33. §. 4. & Or. c. 18. p. 3. §. 2.

o C.7. D.33. §.5.

Materia examinis.

4. Materia hujus examinis erit petenda, tum ex cursu Philosophico, tum ex Theologico; ità ut qui examinandus est, defendere debeat quatuor assertiones ex quatuor partibus Summæ Theologicæ; tres verò ex Philosophia, Logica scilicet, Physica, & Metaphysica; quarum unaquæque tria membra habeat; & quibus præcipuæ difficultates, & materiæ cursuum comprehendantur (*p*). Theses autem hujusmodi assignandæ sunt à Superiore

p P.5. c.2. §. 2. & C.7. D.33. §. 3. & C. 4. D. 14. & Or. c. 18. p. 3. § 3. & Instr. 19. §. 3. & St. Rc. Prov. 19. §. 10.

riore cum Præfecto; & præscribendi quatuor menses, ultra quos examen non differatur. Quod si intra præfinitum hoc tempus non fiat examen: conclusiones ab ijsdem mutandæ erunt: & singuli, licèt non necessariò, à singulis, tam in Philosophia, quàm in Theologia examinandi erunt; quando de utraque theses habent. (q)

q C. 8. D. 37. §. 4. & In. 19. §. 3.

Forma ejusdem.

5. Forma examinis est; ut fiat coram Provinciali, aut saltèm Rectore Collegij, in quo fit. Examinatores soli interesse debent: qui planè intelligant sui muneris esse, seriam, & non perfunctoriam operam navare; ut verè fiat periculum, an doctrina tanta sit, quanta in Constitutionibus requiritur: & duarum saltèm horarum spatium in examine insumatur. (r)

r C. 7. D. 33. §. 3. & Or. c. 18. p. 3. §. 4. & In. 19. §. 1. & St. Re: Prov. 19. §. 10.

Gradus Doctrinæ requisitus.

6. Sed quod commendatissimum Examinatoribus Societas voluit, est sincerum judicium, de eo doctrinæ gradu, quem tenent promovendi ad Professionem quatuor Votorum. Sæpius enim plura in hunc finem statuta sunt. Meminisse igitur debent Examinatores oportere in Professis quatuor Votorum inesse doctrinam, diligentissimis probationibus exploratam, & planè selectam (s). De cujus doctrinæ gra-

s Ex. c. 1. §. 8. & 10. & P. 5. c. 2. §. 2. & P. 10. §. 7. & Paul III. p. 14 & Jul. III. p. 67. & Or. c. 18. p. 3. §. 1.

gradu ut certiori quadam menſura conſtaret, decretum eſt; eam eſſe, quæ neceſſaria eſt ad Philoſophiam ac Theologiam cum ſatisfactione docendam (*t*); & quidem in ijs locis, in quibus eſt idoneorum auditorum, ac diſputantium concurſus (*u*). Hæc autem aptitudo non expendenda eſt relativè ad alios, antè ad Gradum Profeſſionis quatuor votorum promotos; ſed abſolutè, nec habita ſolùm ingenij, ſed etiam doctrinæ præſentis ratione. (*x*)

t C.7.D.33.§.3.

u C.8.D.37.§.2.

x C.12.D.22.§.1.

Iuramentum præſtandum ab Examinatoribus.

7. Quò autem Examinatorum, in hoc ferendo judicio, vigilantia excitaretur magìs; & eorum integritas meliùs Societati approbaretur, ſtatutum eſt; neminem ad Examinatoris hujuſmodi munus admittendum, quin priùs attentè legerit Decreta proximè expoſita Congr. ſeptimæ, octavæ, & duodecimæ, & juramentum coram Superiore genuflexus emiſerit; in quo fidelitatem ſuam in ferenda ſententia, & in ea non vulganda promittat: cujus juramenti formulam habes in C. 12. D. 22. §. 2. ubi etiam formula traditur judicij ferendi (*y*). Debent etiam Examinatores, cùm quis deſignatam doctrinæ menſuram non aſſequitur, ſed mediocri-

y C.12.D.22.§.2. & St. Re. Prov.19. §.11.

critatem attingit, suo id suffragio distinctè declarare. (z)

z C. 8. D. 37. §. 1.

Suffragia Examinatorũ quibus tradenda.

8. Id autem suffragium de doctrina tantùm, literis separatis, singuli Examinatores, re Domino commendata, non autem in consultatione prolatâ sententiâ suâ, Provinciali dent. Præterea idem judicium ad Præpositum Generalem mittent, addentes si quid significandum occurrat; quod Provinciali aperiendum non censuerint. Ad eundem Generalem suum etiam judicium Provincialis, aut qui ejus loco examini præfuit, mittet. Sed ad Provincialem literæ soli inscribantur: qui quidem in librum ad id designatum suffragiorum numerum, die & anno annotatis, tacitis Examinatorum nominibus, referet; ea secreti cautione, ut nè Socius quidem in secreti cognitionem veniat: eandémque ob causam Examinatorum etiam literas mox comburet. (a)

a C. 7. D. 97 St. R. Prov. 19. §. 12. & Or. c. 8. p. 3. §. 5. & In. 19. §. 2.

Quæ certitudo & numerus suffragiorum requiratur.

9. Si quis verò non tulerit quatuor Examinatorum tria suffragia clara, & minimè dubia (nam dubium pro nullo habendũ) (b) is non censeatur habere doctrinam necessariam ad Professionem quatuor Votorum (c). Et huic quidem poterit P. Generalis secundum examen concedere; ra-

b C. 7. D. 33. §. 4.

c C. 8. D. 37. §. 3.

rò tamen, & cùm dubium aliquod de aptitudine intercessit, gravibúsque de causis; aut vix unquam, nisi is, cui hoc concederetur, retulerit in primo examine duo pro se suffragia: ac si fortè distinctos à prioribus Examinatores esse necesse fuerit; sint etiam illi omni exceptione majores, & jurati, & ab ipso Præposito Generali designati. Tertium verò examen nunquam est concedendum. (*d*)

d C.7. D.32. & C.12. D.22. §.3.

Idem servandũ à Iudicibus Actûs magni.

10. Quod dictum est de Examinatoribus, comprehendit etiam Judices designatos ad ferendum judicium de ijs; qui loco examinis habent actus magnos Theologiæ. De his tamen, qui indistincti à prioribus esse solent, est præterea decretum; ut si ex audita disputatione nequeant formare judicium certum de sufficientia doctrinæ, sive ob nimias interlocutiones Professorum, sive ob argumentantium defectum (quæ incommoda diligenter prævertenda essent) tum Provincialis substituat unum, aut alterum, ex ijs, qui fortè disputationibus interfuerunt (si nactus idoneos fuerit) ut Jurati, Judicum loco, suffragium ferant: si verò vel hi desint, vel nec ipsi satis certam sententiam proferant, quamprimùm examen adhibe-

hibeatur (*e*). Ad quod etiam omnino revocandus, qui habiturus Actum magnum ab argumentaturis conclusionem impugnandam inquisiverit: neque enim huic Disputationis, quantumvìs eximiæ, judicium favere debet. (*f*)

e C. 10. D. 13.

f C. 11. D. 24. §. 6.

Mitiùs agendū cum Doctoribus Theologiæ.

11. Temperata verò aliquantulum est eximiæ conditio doctrinæ in Theologicis disciplinis, in gratiam eorum, qui in celebri aliqua Universitate donati fuerint gradu Doctoris in Theologia; hi enim, si mediocritatem doctrinæ excedere, prævio communi examine, deprehensi fuerint; promoveri poterunt ad Professionem quatuor Votorum; secus verò, si mediocritatem non excedant. (*g*)

g C. 11. D. 14. & C. 7. D. 96. & St. R. Prov. 19. §. 14.

Et cum insignibus in studijs Humanitatis, aut Linguarū.

12. Sufficit & in Theologicis mediocritas, quæ satis sit infidelium, & hæreticorum conversioni, in viris literatura humaniore insignibus; & qui plures annos in ijsdem docendis cum laude strenuè laboraverint. Idque extenditur etiam ad Nostros, qui apud Indos utiliter laborantes, eorum lingvis cum fructu addiscendis operam dederunt. De peritia autem sufficienti lingvarum Indicarum Examinatores jurati suffragium ferant (*h*). Quæ tamen ità permissa sunt judicio P. Generalis;

h C. 8. D. 40.

ralis; ut non communiter, ac facilè cum omnibus diſpenſetur (*i*). Eodem privilegio gaudent, qui judicio Provincialis & Conſultorum excellunt in lingva Græca, cum ſufficienti notitia Hebraicæ. (*l*)

i C. 6. D. 15.

l C. 9. D. 32.

Et maximè aptis ad gubernandum, aut concionandum.

13. Similiter indulgetur mediocritas Scientiæ Theologicæ ijs; qui habent alia egregia DEI dona, qualia ſunt ad gubernandum, vel ad concionandum illuſtria talenta; quorum nec vulgaria, nec levia experimenta ſunto. Horum autem donorum judicium ultimum penes Præpoſitum Generalem eſto. (*m*)

m P. 5. c. 2. B. & C. 7. D. 13. §. 3. & C. 13. D. 19.

Et in Iure Canonico verſatis.

14. At qui in Jure Canonico doctrinam ſufficientem habent; & viri alioqui ſunt adeò inſignes, ut judicio Generalis, quod ſtudio Theologico deeſt, inde compenſari videretur; ad Profeſſionem quatuor Votorum admitti poſſunt; & examinandi in Theologicis non ſunt. (*n*)

n P. 5. c. 2. B. & C. 7. D. 96. & St. R. Prov. 19. §. 14.

Excellentia Talenti ſupplentis Doctrinam juramento cōſtet.

15. Demum hìc duo advertenda, quæ ad compeſcendum nimium uſum proximè adductarum conceſſionum ſtatuta ſunt. 1. Exigendum eſſe juramentum ab ijs, qui judicaturi ſunt de excellentia Talenti; quod ſupplere poteſt defectum doctrinæ, ad Profeſſionem requiſitæ; ut par omnium hac in parte conditio ſit, non ob-

ſtan-

ſtante contrario Decreto III. Congr. XI. Ejus autem Juramenti formula de talento gubernandi, & concionandi traditur Dec. 19. Congr. 13. 2. Non omnes, quibus teſtimonium prædictum adſtipulatur, eſſe promovendos; ſed ſervandas Conſtitutiones, & Decreta; quæ totam rem volunt pendere à P. N. neque hujuſmodi promotiones communiter, & facilè ab ipſo concedendas. (*o*) • C. 12. D. 24. & C. 13. D. 19.

CAPUT VI.

De Scholaſticorum valetudine conſervanda.

EXplicatis, quæ ad noſtrorum Scholaſticorum animos tum pietate, tum literis informandos ſpectant; de eorum tuenda valetudine perſtringenda ſunt aliqua; omiſſis ijs, quæ hoc ipſo in genere ad univerſos pertinent; & P. 4. c. 8. referentur.

Studendi labor ſit moderatus.

1. Nè igitur Scholaſtici literario labori ſuccumbant; eorum ſanitatem curabit Rector, animadvertendo; ut temporibus valetudini corporis incommodis non ſtudeant; ut ſomno quantum temporis ſatis eſt, tribuant; & in laboribus mentis mo-

a P.4. c.4. §.1. & c. 10. §.5. & R. Rect. 38. & 49. & 55.

b R. Schol. 11.

dum ſervent (*a*). Quare vetantur ultra duas horas, legendo, aut ſcribendo, labori incumbere; quin ſtudium intermittant, aliquo temporis intervallo. (*b*)

Domeſtica miniſteria obeunda à Coadjutoribus.

c P.4. c. 6. §.3. & B.St.R.Pro. 32.

2. Coadjutores in Collegijs conſtituentur à Provinciali, ad Scholaſticos ſublevandos, quot neceſſarij ſunt; nè Magiſtrorum, & diſcipulorum operâ Rector uti cogatur, ad munera domeſtica: quamquam adjuvari illos ab his, aliquâ horâ, nihil prohibet. (*c*)

Vacatio hebdomadaria.

d P.4. c.13. §.5. & F & R. Rect. 40.

3. Peculiare etiam Scholaſticorum noſtrorum valetudini inſtitutum eſt levamentum in Ruſticatione hebdomadaria; ad quam, die communis vacationis à ſtudijs, exceptis diebus feſtis, & Quadrageſimæ, emittuntur (*d*). Quod ſi, per cœli injurias, aliáſve cauſas, neque ad prædium, neque deambulatum ire licuerit; manè ad recreationem non pulſetur, ſed vacetur ſtudijs: poſt meridiem verò, peracta recreatione ordinaria poſt prandium, & interpoſita mora aliqua, detur ſignum ad recreationem per horas tres: ſed clamores, & ludi ſtrepitoſi omnino caveantur (*e*). Cùm verò in hujuſmodi prædio cœnatur; meridie per unam, aut alteram horam Scholaſtici partim ſtudeant; partim

e C.6.D.40. §. 9. & Qz. c. 2. §. 15.

ora-

orationem matutinam perficiant. Quo tempore nulli fas sit, vel ludere, vel confabulari. (*f*)

f C. 6. D. 40. §. 7. & Or. c. 2. §. 15.

Vacatio Autumnalis.

4. Additur etiam productior remissio, semel in anno, tempore Vacationum generalium. Detinentur enim in prædio, aut Villa, per plures dies, non tamen ultrà quindecim. Nè autem, dum vires corporis reparantur, ardor spiritûs extingvatur; 1. hæc secessio in Villam minimè permittenda, nisi peraccommodæ sint ædes habitationi, obseratæ fores, & Superior adsit custos religiosæ disciplinæ. 2. Spiritualia exercitia Examinum, & Orationis minimè prætermittenda. 3. Nullus eo tempore Externorum villas, licèt propinquorum, adeat; nisi graves ob causas aliter Provinciali videatur. 4. Genus exercitij, aut ludi prudenti considerationi Provincialis relinquitur; qui accommodatam suæ Provinciæ directionem conficiet. (*g*)

g C. 6. D. 40. §. 8. & Or. c. 14.

CAPUT VII.

De tertio Probationis Anno.

SECTIO I.

De Personis, & loco tertiæ Probationis.

1.

Ad quos pertineat hæc Probatio.

POstrema cura, quæ formandis nostris Scholasticis adhibetur, est tertius Probationis annus. Ad hunc peragendum illi mittuntur, post literarum studia in Societate transacta, antequam ad Gradum Professorum, vel Coadjutorum formatorum admittantur. Et quamquam Provincialis differre interdum ex gravi causa poterit, monito Generali; cum nullo tamen omnino dispensabit (*a*). Jlli tantùm qui Societatem absolutis studijs inierunt, non obligantur (*b*). At cum reliquis detur opera à Provinciali, ut maturè, ac simul omnes, qui ejusdem anni sunt, quoad ejus fieri poterit, ad Probationem conveniant. (*c*)

a Ex. c. 1. §. 12. & c. 4. §. 16. & c. 6. §. 8. & P. 5. c. 1. §. 3. & c. 2. §. 1. & Grego. XIII. p. 226. & R. Prov. 68. & R. M. N. 58. & Or. c. 3. Tit. 1. §. 1. & Tit. 3. §. 1. & 4.

b C. 8. D. 9.

c Or. c. 3. Tit. 1. §. 6.

Quid illa sit.

2. Hæc autem tertia Probatio (nam sic appellatur ad distinctionem primæ, & secundæ, quæ à Novitijs transiguntur) est schola affectûs; ubi Scholasticos exerceri convenit in Devotionis, & Humilitatis exercitijs: ut si qua fortasse in re harum virtutum fervor, per literarum occupationem, intepuerit, recalescat. (*d*).

d P. 5. c. 2. §. 1. & Greg. XIII. p. 226. & Or. Tit. 3. §. 2.

Ubi transigenda.

3. Domus tertiæ Probationis, juxta Constitutiones, potest dotari annuis proventibus (*e*). Et conari debent Provincia-

e C. 7. D. 31.

ciales; ut peculiaris in qualibet Provincia constituatur: quæ si desit; tertia Probatio fiet in Domo communis Probationis, in loco tamen à Novitijs separato (*f*). Ad conflandum autem numerum idoneum sic probandorum, Provinciales possunt conjungere unà plures è vicinis Provincijs, in loco, qui commodissimus videatur (*g*). Demum, si locus aptior non haberetur, possent etiam, assignari Domus Professæ, aut Collegia; servatis tamen Noviciatûs regulis. (*h*)

f Or. c. 3. Tit. 1. §. 4.

g Or. c. 3. Tit. 1. §. 5.

h R. Prov. 68.

Instructor qualis.

4. Provincialis etiam erit, illis Instructorem deligere; qui auctoritate valeat; & aliàs gubernârit; cujusmodi foret Provincialis, officio suo defunctus; aut similis quispiam alius, quem magni facturi sint; & à quo regi se faciliùs patiantur (*i*). Instructor verò adniti ante omnia debet, ut gravissimi muneris memor, tum seriò ipse, ac diligenter in officium incumbat, tum eos excitet, qui in hac Probatione exercendi sunt; ut magno studio, & alacritate illam suscipiant. (*l*)

i Or. c. 3. Tit. 1. §. 2.

l Or. c. 3. Tit. 2. §. 1.

Ejus jura.

5. Idem erit ordinarius eorum Confessarius, cum potestate absolvendi à reservatis: pœnitentias ex devotione concedere poterit; non autem imponere, ob vio-

la-

latam diſciplinam ; cujus exigendæ cura eſt penes Rectorem, & Miniſtrum. Habebit tamen ſigillum, & facultatem ad diſpiciendum, an eorum literæ mitti, reddíve debeant. (*m*)

m Or. c. 3. Tit. 2. §. 10. 11.

SECTIO II.

De modo tertiam Probationem tranſigendi.

I.

Diſtractiones avertendæ.

IAm, ut qui probantur, intentum à Societate finem aſſequantur; debent 1. diſtractiones ſubterfugere tum epiſtolarum otioſarum (*n*), tum colloquiorum cum Noſtris aliunde venientium, aut Externorum, abſque facultate Inſtructoris. Et univerſim expedit, ut cum ijs tantùm agant, quos Superior cuilibet aſſignabit (*o*). Cùm verò loquendum eſt, audientes ædificent (*p*). At extra horas recreationis ſilentium ſervabunt; deſignatámque ſtationem non deſerent, per domum vagantes (*q*): & à ſtudijs omninò abſtinebunt (*r*). Propterea non diſtinendi concionibus; quamquam Miſſiones aliquæ unius, vel alterius menſis non interdicuntur, & prævia aliqua ad Confeſſiones audiendas Inſtructio (*s*). Si qui verò an-

n Or. c. 3. Tit. 2. §. 11.

o Or. c. 3. Tit. 3. §. 10. 11.

p Or. c. 3. Tit. 3. §. 14.

q Or. c. 3. Tit. 3. §. 16.

r Or. c. 3. Tit. 3. §. 7.

s Or. c. 3. Tit. 3. §. 7.

antea, ùt moris eſt, Ordines non ſuſceperint; hoc tempore ad eos non promovebuntur; niſi fortè ſacris initiati jam fuerint. (*t*)

t Or. c. 3. Tit. 1. §. 7.

Meditatio & Lectio ſpiritualis.

2. Intimam familiaritatem cum DEO, potiſſimùm hoc anno acquirant. Præter conſvetum Novitijs Orationis tempus, illud quiſque habebit, quod ſua cuique devotio, probante Inſtructore, ſubminiſtrabit (*u*). Habeant diſtincta ſpatia meditationis, orationis vocalis, & lectionis ſpiritualis; ad quam non deſit copia piorum librorum, & SS. Patrum juxta Indicem inſertum huic Ordinationi. (*x*)

u Or. c. 3. Tit. 3. §. 6.

x Or. c. 3. Tit. 3. §. 7. 8. 9. & Tit. 2. §. 9.

Exhortationes, & Conferētiæ.

3. Exhortationes, & Conferentiæ ſint ad eorum captum accommodatæ (*y*). Pro explicatione DoctrinæChriſtianæ utilior, & congruentior erit alia quæpiam exercitatio, apta illorum ſtatui; ùt de tradendis exercitijs ſpiritualibus, & modo juvandi animas; de Inſtituto, quatenus refertur ad acquirendas virtutes, & auxilium proximorum; de cerimonijs Miſſæ, ex S. Bonaventura (*z*). Non abs re etiam fuerit, ſi practicas interdum de aliqua virtute exhortationes habere jubeantur; non tamen meditatò, ſed ex abundantia cordis ſui. (*a*)

y Or. c. 3. Tit. 2. §. 3.

z Or. c. 3. Tit. 2. §. 4.

a Or. c. 3. Tit. 2. §. 5.

4. Ce-

Experimenta sex Novitioru͂.

4. Ceterùm quantum ad rationem Probationis attinet, iſdem omnino probationibus, quibus Novitij, exercendi ſunt; hoc eſt ſex experimentis Societatis, & alijs ſimilibus, quæ ad perfectam ſui abnegationem conferant; ſumpto exordio à ſpiritualibus exercitijs, per integrum menſem. Ad Magiſtri autem prudentiam pertinet, pro ratione virium cujuſque, ac diſpoſitione omnia temperare. (*b*)

b Or. c. 3. Tit. 2. §. 2. & 6. & 8. & Tit. 3. §. 5. & 12.

Diſciplina & Fervor.

5. Legent ordine ſuo ad menſam: in exhortationibus, & conferentijs aſſidui erunt: in omnibus denique communibus exercitijs eam diligentiam adhibebunt; quâ Novitios non æquare modò, ſed vincere ſtudeant (*c*). Cùm enim hæc ultima ſit Probatio; meritò unuſquiſque ſolicitus eſſe debet; ut ad quam initio perfectionem vocatus eſt, ad eam in hac demum Probatione acquirendam omni ope deſudet; & Societati is tandem à ſuis fructus conſtet; quem illa poſt tot labores, & ſumptus, jure ſuo, exigit, & expectat (*d*). Caveant verò, nè ullâ ratione ſcire ſatagant, quid ipſis, peracto tertio anno, futurum ſit: ſed cum indifferentia, obedientiæ nutum præſtolentur. (*e*)

c Or. c. 3. Tit. 3. §. 13.

d Or. c. 3. Tit. 3. §. 4.

e Or. c. 3. Tit. 3. §. 15. & In. 7. §. 5.

6. Hæc autem faciliùs contingent; ſi

Pro-

Provincialis, aut Rector Collegij mittendos ad tertiam Probationem admonebit de ijs; quæ studiorum tempore observata in illis fuerint, informato pariter de ijsdem Instructore (*f*). In ipso verò ingressu hujus Probationis generatim interrogandi; num firmi in proposito vitæ religiosæ perstent (*g*). Non quasi liberum illis sit, post emissa vota, recedere: sed ut Societati constet; num Scholasticus eam firmitatem retineat; quæ est conditio necessaria, ut ad ulteriora vota admittatur (*h*). Examinentur etiam particulatim, sexto quoque mense, eodem examine, quod Novitijs proponitur: reddántque rationem vitæ suæ ab eo tempore, quo ad studia missi sunt (*i*). Provincialis crebrò illos visitet, moneat, consoletur; advigilans, ut si qui in hac Probatione non proficiunt, maturè illos educat, alibi probandos, & iterum remittendos. Adnotabit præterea in Libro, quomodo singuli se gesserint. (*l*). Frequentiùs etiam illos interrogabit Instructor; & Provincialem de illorum statu certiorem faciet: pleniorem verò informationem sub anni finem ad eundem mittet; idémque ut faciant Rector, & Minister admonebuntur. (*m*)

Admonendi & examinandi.

f Or. c. 3. Tit. 1. §. 3.

g Ex. c. 7. §. 7. & R.M.N. 85.

h C. 9. D. 39.

i Ex. c. 4. §. 39. & c. 7. §. 8. & R. M. N. 86. 87.

l Or. c. 3. Tit. 1. §. 8.

m Or. c. 3. Tit. 1. §. 9. & Tit. 2. §. 13.

7. Sua

Eorum valetudo custodienda.

7. Sua etiam, dum animus excolitur, tuendæ valetudini impendenda cura. Quare ad vineam, aut prædium, recreationis causâ, mitti poterunt singulis mensibus, vel etiam sæpius, si Provinciali videbitur. Et singulis hebdomadis die una à solitis exercitijs vacent; in qua aliquid honestæ recreationis poterunt sumere domi, vel foris. Extra tempora porrò quotidianæ recreationis concedi eis poterit, ut in horto aliquâ diei horâ deambulent, sed singuli seorsim, & silentio (*n*). At exercitia corporalia valde moderata sint, & non qualia Novitiorum; eadémque ad mortificationem potiùs, mentaliúmque avocationem, quàm ad defatigationem apposita. Omnia tamen in ministerio culinæ, & ceteris corporalibus exercitationibus præstabunt, quæ Novitij solent; seu tempus spectetur, quo singula præstanda sunt, sive occupationis spatium, quo explenda est. In his verò sic se à Præfecto dirigi sinent, sicut ipsimet Novitij. Vilia etiam indumenta, & aliæ id genus mortificationes prætermitti non debent (*o*).

n Or. c. 3. Tit. 2. §. 12. & Tit. 3. §. 16. & R. M. N. 622.

o Or. c. 3. Tit. 2. §. 6. & Tit. 3. §. 12.

PARS

PARS III.

De Professis, & Coadjutoribus formatis.

CAPUT I.

De Virtute, & alijs ad Professionem requisitis.

SECTIO I.

Præmittuntur aliqua de distinctione Graduum Societatis.

1.

QUi in Societate, quantum satis est, probati fuerint, admitti debent modo magìs interno, ùt membra unius, ac ejusdem corporis Societatis (*a*). Societas enim 1. ùt ejus nomen latissimè accipitur, omnes qui sub obedientia Præpositi Generalis vivunt, complectitur; quo in numero etiam Novitij censentur. 2. Pressiori significatione Scholasticos approbatos,

Quatuor Sociorum Gradus.

a P. 5. c. 1. §. 1.

tos, præter Professos, & Coadjutores formatos continet. 3. Magìs etiam propriâ acceptione, Professos,& Coadjutores formatos dumtaxat significat. 4. Maximè omnium limitata, sed & germana significatione, cùm Societatem dicimus, Professos quatuor Votorum tantummodò intelligimus; quòd hi nempe præcipua membra sint in Societate, non quòd alia etiam non numerentur (*b*). Præterea nonnulli ad solemnem Professionem trium Votorum tantùm admittuntur. (*c*)

b Ex. c. 1. §. 7. 8. 9. 10. P. 5. c. 1. A.

c Jul. III. p. 68. & Ex. c. 1. D. & P. 5. c. 2. § 3. & C. & c. 3. §. 5. 6.

Proponuntur tractanda.

2. Cùm igitur actum jam sit de Novitijs, & Scholasticis; nunc de his admittendis in corpus Societatis dicendum est: sive Gradus Professorum, sive Coadjutorum formatorum suscipiatur. Et quoniam in Constitutionibus Professi nomen, absolutè prolatum, significat Professos quatuor votorum: de his primò agendum est. De doctrina quidem ad hunc Gradum requisita tractatum est suprà Part. 2. c. 5. sect. 10. Quare hìc desideratur tantùm exacta tractatio de virtute, & alijs prærequisitis; & quo pacto informationes ad Generalem mitti debeant: quorum pleraque servanda etiam, ubi de admittendis ad reliquos gradus Professionis

trium

trium Votorum, sive Coadjutorum spiritualium agitur.

SECTIO II.

Conditiones admittendorum ad Professionem.

1.

ILli igitur ad Professionem idonei habebuntur, qui Sacerdotio initiati, & quorum vita diuturnis, ac diligentibus probationibus perspecta valdè, & approbata sit; & de quibus certa spes sit, eos viros spirituales futuros, & adeò progressos in via Domini nostri, ut per eam currere possint. (*d*)

Sacerdotii & Virtutis praestantia.

d Jul. III. p. 67. & Greg. XIV. p. 281. & Ex. c. 1. §. 8. & P. 5. c. 2. §. 1. & 2.

2. Quae praestantia virtutis, seu mediocritatis in ea excessus, ut faciliùs dignoscatur, explicatum est in eo consistere; ut regulariter, & ùt plurimùm operentur secundùm exigentiam virtutis; speretúrque idem facturos in difficilioribus si quae occurrerint (*e*); & in informationibus mittendis ad P. Generalem exprimendum est, an quis profecerit quantum requirit Decretum 6. Cong. 9. (*f*)

Declaratio requisitae Virtutis.

e C. 9. D. 6.

f C. 12. D. 56. §. 6.

3. Tempus nullum certum determinatum est, quo quis ad Professionem est promovendus; cùm dependeat à Socie-

Tempus positivum nullum certum.

tate, & Præposito Generali, quando judicaverint sibi plenè à Promovendo esse in Domino satisfactum. Et hanc potestatem prorogandi Gradum Professionis, immo & Coadjutorum formatorum, ùt rem maximè necessariam ad conservanda substantialia Instituti, retinendam esse gravissimis sententijs pluries definitum est (*g*).

g Greg. XIV. p.282. & Ex. c. 1. § 12. & P 5. c.2. § 2. & 4. & C.5. D.36. 37.

Tempus verò negativum definitum est.

4. Contrà designatum est tempus, intra quod non liceat admittere ad Professionem. Et olim quidem, sinè circumspecta dispensatione Generalis, nemo promovendus erat ætate 25. annis minore (*h*). Jam consvetudo à Generalibus introducta approbata est, citra novam tamen obligationem; & multò minùs necessitatem, ad valorem Professionis, si secus fiat, ut expectandus sit 33. annus expletus (*i*). Perstat igitur adhuc facultas Generali concessa à Constitutionibus dispensandi, ut etiam non expleto Novitiatûs biennio, nedùm 25. ætatis anno admitti quis possit ad Professionem (*l*). Quoad annos verò Religiosæ vitæ attinet; jure ordinario, qui studia sua ante ingressum in Societatem, impenso in ijs septennio, absolverunt, ante 10. annum currentem

h P.1. c.3. K.

i C. 8. D. 17. & 33.

l P. 1. c. 3. K. & C. 5. D. 13. & 63.

tem non proponendi Generali; nec ante 17. qui eadem ſtudia omnia in Societate peregerunt. At qui ſtudia Philoſophiæ, aut Theologiæ, partim ante ingreſſum in Societatem, partim poſtea decurrerint, intra duos prædictos terminos citiùs, aut tardiùs proponantur; pro ratione annorum integrorum, quibus ante ingreſſum illis ſtudijs operam dederunt (*m*). Ità ſcilicet, ut qui ante ingreſſum ſolo biennio Philoſophiæ ſtuduerint, non niſi anno 15. currente proponendi ſint: & ſi qui minori tempore, quàm ſeptennij, Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudia confecerint; non niſi anno undecimo, aut duodecimo currente, pro ratione annorum, qui triennio Philoſophiæ, aut Quadriennio Theologiæ defuerint. (*n*)

m Ex. c. 1 §. 12. & P. 5 c. 2. §. 2. & C. 9. D. 42.

n C. 13. D. 9.

5. Si qui verò, inſtructi reliquis doctrinæ, & virtutis conditionibus, deſignata tempora impleverint: eorum propoſitio non differenda à Provincialibus; etiamſi alij Religione antiquiores, propter non abſoluta ſtudia, remotiorem aliquam ſtationem, aut alia impedimenta ex parte ipſorum, non ſunt expediti; neque hi poſtmodum licèt tardiùs promoti in locum ſuæ antiquitatis reſtituendi (*o*).

Non differenda à Provincialibus propoſitio Promovendorū.

o C. 9. D. 42. & C. 11. D. 31 & C. 12. D. 11 & Or. c. 18. p. 1. §. 2. & p. 4. §. 1. 2. 3.

Ceterùm Provincialibus commendatur; ut qui pares sunt vocatione, & studijs, simul ad gradum proponantur (*p*). Quod si aliquos promovendos non censeant, licèt jam legitimo tempore in Societate vixerint; causas moræ ad Generalem scribant. (*q*)

p C. 7. D. 75. & C. 9. D. 42.

q Or. c. 18. p. 1. §. 7.

Solemnes dies Professioni emittendæ.

6. Dies verò constituti promotionibus ad gradum Professorum, & Coadjutorum formatorum sunt Purificatæ, & Assumptæ Deiparæ solemnes; sic tamen, ut non sint conditio necessaria ad Professionis valorem; immo nec adeò religiosè servandi, ut Provincialis alios sufficere non possit: quando præstitutis diebus aliquis citra culpam, & gravem ob causam, casúmque fortuitum promoveri non potuit (*r*). Locus Professioni emittendæ Roma tantùm primò concessus (*s*); sed quilibet postmodum permissus est. (*t*)

r C. 12. D. 9. & C. 13. D. 20.

s Paul. III. p. 31.

t Paul. III. p. 52.

CAPUT II.

De Potestate & forma admittendi ad Professionem.

SECTIO I.

Quis ad Professionem admittere queat, & quâ præviâ informatione debeat.

I. Quod

1.

QVod jam proximè indicatum est, potestas decernendi, ut aliquis promoveri possit ad Professionem, est penes Præpositum Generalem privativè. Quam facultatem tamen in remotissimis regionibus, quales sunt Indicæ, potest Generalis communicare Provincialibus: non autem id facilè dabit in propinquioribus, & solùm ei, cui perinde fidat, ac sibi ipsi (*a*). Vicarius etiam Generalis, subrogatus in locum defuncti, potest promovere ad Gradus, æquè ac Generalis. (*b*)

Potestas ordinaria est penes Præpositum Generalem, & Vicarium.

a P.5.c.1. §.2. & c.2. §.1. & A. & P.9. c.3. §.1. & A.

b C.12. D.10.

2. Admittere verò, hoc est, excipere ipsam Professionem, præter ipsum Generalem, ex ejus commissione, ordinariè solent Provinciales, Superiores locales, Visitatores. Possunt ex eadem commissione, & alij viri insignes; etiamsi è Societate non sint, ùt Episcopus, vel Persona in dignitate Ecclesiastica constituta; & hi quidem, cùm nullus ex Societatis Professis præsto erit (*c*). Licèt autem Provinciales ad excipiendam Professionem soleant subdelegare alios è Nostris, præsertim Superiores: facultas tamen, quam ad hoc habent à Generali, non extenditur ad externos Prælatos. (*d*)

Quis excipere Professionem possit.

c P.5. c.1. B.

d C.8. D.34.

N4 3. Cùm

Præmittenda Informatio ad Generalem.

3. Cùm igitur ſtatuere, quinam legitimas conditiones adepti ſint, ut ad Profeſſionem promoveri poſſint, ad Generalem ordinariè ſpectet; propterea priùs ipſe nominatim certior fieri debet de eorum dotibus (*e*). In qua informatione, ut fideliter & exactè procedatur, confecta eſt Inſtructio; quæ nihil humanæ diligentiæ deſiderari hoc in genere patitur; éſtque inter Ord. Gen. cap. 18. à qua non facilè recedendum. (*f*)

e P.5. c.2. A.& P. 9. c. 3. A. & C. 7. D. 6.

f C. 7. D. 99.

Quomodo Informatio conficienda.

4. Summa verò ejus Inſtructionis hæc eſt. Provincialis, præter informationem, quam in Viſitatione Collegiorum de Promovendis accipere debet, quatuor ſeliget Patres, (neque enim plures eſſe debent) (*g*) qui unumquemque proponendum, meliùs noverint, daturos de eo informationes, juxta ſubjecta in eadem Inſtructione capita. Ex his quatuor Informationibus, vel voce, vel ſcripto traditis, ſua ſingulis promovendis reſpondens informatio à Provinciali conficienda eſt; quam cum ſuis Conſultoribus communicet, atque examinet; judiciúmque illorum ſingulis informationum capitibus apponat. Sed præterea tam ipſe, quàm Conſultores, diſtinctis literis ad Præpoſitum Ge-

g C. 9. D. 37.

Generalem ſcribent ſententiam ſuam: cui per eaſdem ſignificabunt, an Promovendus excedat mediocritatem virtutis, juxta explicationem Decreti 6. Cong. 9. In his autem omnibus non ſolùm diligentia & prudentia, ſed etiam ſecretum, quod oportet, adhibendum erit. Habes in Inſtructione prædicta Paradigmata conficiendarum informationum; tum earum, quæ ad Provincialem, tum quæ ad Generalem mittuntur. Is verò cum Aſſiſtentibus eas expendet; ſtatuétque de Promovendis, quod in Domino judicaverit. Literæ autem Generalis de Promovendis conſervandæ à Provinciali ſunt certo aliquo in libro, quoad executioni mandatæ ſint.

5. Antequam Profeſſionem quis emittat, debet relinquere bona ſua; niſi id priùs præſtiterit; ac pauperibus, niſi aliud recta ratio dictaverit, diſtribuere (*h*); & Superiori domûs, circiter triginta dies antequam Profiteatur, rationem conſcientiæ reddet (*i*). Oſtiatim etiam, per triduum, mendicabit (*l*); ac demum Exercitia ſpiritualia, ſpatio unius hebdomadæ, peraget. (*m*) *Præmittenda ab eo, qui promovendus eſt.*

h Ex. c. 4 §. 21

i Ex. c. 4. §. 38.

l Ex. c. 4. §. 27.

m Ex. c. 4. §. 41.

6. Si verò aliquibus propter illorum de-

Quid agendum cum dilatis. defectus, retardanda promotio videatur; hi scripto monendi sunt, cum declaratione defectuum: quod ubi Provincialis præstiterit, Generali significabit (*n*). Quæ autem obligatio sit acceptandi gradum, quem P. Generalis designaverit, expositum est suprà Part. 1. cap. 6. sect. 7. ubi de promissione ingrediendi Societatem, quam tribus votis post biennium adjungimus, actum est. Ad amoliendas porrò difficultates, quæ subinde oriri possent in Gradibus acceptandis, plura traduntur in Instr. ad Super. c. 6.

n Or. c. 18. p. 4. §. 5.

SECTIO II.

Quid servandum in ipsamet Professione.

I.

Forma profitentium. FOrma verò, quâ aliquis ad Professionem admittit, est, ut Præpositus Generalis, vel qui, accepta ab eo facultate, ad Professionem admittit; postquam publicè Missæ sacrificium obtulerit; in Ecclesia, coram Domesticis, & alijs externis, cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento ad eum, qui Professionem est emissurus, se convertat. Is autem, absolutâ generali Confessione, & verbis, quæ ante Communionem dici solent, voce altâ Votum suum

ſuum ſcriptum (quod aliquot ante dies oportet, ut conſideraverit) leget; cujus formulam pro quatuor Votorum Profeſſis vide in Conſtitutionibus Part. 5. c. 3. §. 3. pro triũ verò Votorum Profeſſis ibid. §. 6. adjecto utrobiq; quod præſcripſit Con. 12. Dec. 56. §. 7. Poſt hæc ſumet Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum (*o*). Neque aliæ his cerimoniæ addendæ. (*p*)

o P. 5. c. 3. §. 2. & 4. & R. Pr. §. 70.

p C. 1. D. 36.

Quid in ea eſſentiale, quid non.

2. Particularia, quæ ſunt expoſita, decent quidem; & cùm fieri poteſt, obſervanda ſunt; non tamen ùt neceſſaria. Fieri enim poſſet; ut Sacerdos non eſſet, vel Miſſam celebrare non poſſet; qui, ex ordinatione Præpoſiti Generalis Profeſſionem admittit. Jllud autem eſſentiale eſt, ut publicè Votum legatur, coram ijs de Societate & Externis, qui adfuerint; atque ut tanquam ſolemne, & emittatur, & admittatur. (*q*)

q P. 5. c. 3. A.

Vota poſt eam ſimplicia.

3. Poſt emiſſam Profeſſionem emittuntur alia Vota ſimplicia, etiam à Profeſſis trium Votorum (*r*). Quorum ſimplicium Votorum formula deſcripta à Cong. 1. Dec. 102. & recognita à Cong. 3. D. 46. legitur in fine Part. 10. & ultimæ Conſtitutionum. Materia eſt 1. non relaxare Conſtitutiones circa Paupertatem. 2. Non am-

r P. 10. A. & C. 4. D. 54. & R. Prov. 70. 71.

ambire Dignitatem intra, vel extra Societatem. 3. Non consentire Dignitati admittendæ extra Societatem citra præceptum. 4. Delatio ambientium. 5. Promotum extra Societatem audire consilia Generalis, & exequi; si ea meliora credantur.

Omnia scripto consignanda, & conservanda.

4. His peractis scribetur ejus nomen, qui Professionem emisit; & illius, in cujus manibus emisit; adnotato die, mense, & anno, tam in libro, qui apud Provincialem, quàm in alio, qui apud Superiorem localem, in hunc usum, servari debet. Et præterea exemplum emissæ Professionis, & aliorum quinque Votorum, nomine emittentis subscripto, ad Generalem, per Provincialem, quamprimùm transmittetur. (s)

s P. 5. c. 3. §. 4. & R. Prov. 72. 73. & Præp. 12. & Rect. 11.

CAPUT III.

Explicantur effectus Professionis, & aliorum Votorum, quæ à Professis emittuntur.

SECTIO I.

De effectibus Professionis in Genere, & speciatim Voti Paupertatis.

PRætermissis obligationibus, quæ resultant etiam ex Votis Scholarium,

at-

atque adeò superiùs expositæ sunt, Part. 1. cap. 5. sect. 4. &c. hìc exponentur peculiares effectus horum Votorum, tum solemnium, tum simplicium.

1. Et primò per hæc Vota Religiosæ Professionis, quæ solemnia sunt, constituuntur nostri Professi in eo statu: in quo per traditionem perfectam ex parte ipsorum, & parem acceptationem, ex parte Religionis, censentur esse quicunque Religiosi Professi (*a*). Et licèt in quibusdam casibus etiam Professi, cujuscumque gradûs, & dignitatis sint in Societate, dimitti possint; præmissâ tamen maturâ deliberatione, & quatenus id convenire Divino obsequio, & communi bono existimaretur, deveniendum cum illis est ad hoc remedium: ut si contumax, aut incorrigibilis aliquis ex illis esset. Quamquam aliæ etiam causæ esse possint; quas eò graviores esse convenit, quò arctiori vinculo, nempe arctissimo, Professi corpori Societatis conjuncti sunt. (*b*)

Professorum unio summa cũ Societate, a qua tamen, dimitti possunt.

a P.5. c.1. A. & Greg. XIII. p. 228.

b P.2. c.1. §.1. & A. & C. & c.3. A. & P. 9. c 3. §.1 & c.4. §.7. & Greg XIII. p. 209.

2. Ex ijsdem quatuor Votorum Professis constant potissimùm Comitia nostra: in quibus hi sedent ante reliquos, in alijs Gradibus constitutos: servato inter se ordine, juxta antiquitatem suæ Professionis (*c*).

Ordo sedendi in Congregationibus.

c For. C. Gen. §. 60. & Con. Prov. §. 15.

At

At si duo conveniant, qui talem Professionem emiserint eâdem die; ei deferenda est ordinis prærogativa; qui priùs explevit annos Religionis ad hujusmodi Professionem requisitos. Si ambo eos expleverint eodem die; præferatur ille, qui diutiùs in Societate vixit. Si ambo ad Tirocinium venerint eodem die; præferatur major natu. Si demum ambo etiam sint nati eodem die; sorti res committatur à Provinciali, ejúsque Consultoribus. (*d*)

d C. 13. D. 10.

Redduntur incapaces Dominij & Hæreditatis tum Professi, tum Societas ratione ipsorum.

3. Voto Paupertatis, non solùm (quod de jure communi est) Professi excidunt ab omni rerum possessione, & dominio: & sunt ipsi incapaces hæreditariæ successionis, verùm etiam Domus, Ecclesiæ, & Collegia, eorum ratione. Sic enim omnibus litibus, & controversijs præcisis, charitas cum omnibus, ad DEI gloriam, meliùs conservabitur (*e*). Immo cùm ex Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 3. de Regul. jus acquisitum videretur Professis Societatis, & eorum Domibus, possidendi bona immobilia in communi; renunciatum est, nomine Societatis, huic juri; si quod acquisitum esset (*f*). Declaratum porrò fuerat, non adversaturum huic Constitutioni, aut ejus fini; si quis obtine-

e P. 6. c. 2. §. 12. & Paul. III. 13. & Jul III. 65. & Greg. XIII. 328.

f C. 2. D. 33.

neret facultatem à Sede Apostolica, ut ipse, vel Domus, in qua professus esset, jus succedendi in hæreditate haberet, expendenda tamen in usus non suos, & maximè pios. Sed quò magìs puræ & sanctæ paupertati consuleretur, hæc declaratio ex libro Constitutionum expuncta est (*g*).

g C. 1. D. 38.

4. Quamvìs igitur habeat Societas Collegia, & Domos Probationis, reditibus dotatas, ad Scholasticorum sustentationem; non possunt tamen hujusmodi reditus in usum alium expendi. Nec Domus Professorum, nec aliquis eorum, aut etiam Coadjutorum formatorum ijsdem uti poterit; aut ordinarium Rectoris officium in Collegijs Professi habebunt: sed vivere debent ex eleemosynis in Domibus, cùm aliquò non mittuntur. (*h*)

Sed sustentari debent ex eleemosynis.

h Ex. c. 1. §. 4. & P. 4. c. 2. §. 5. & F. & c. 10. §. 1. & 3. & A. & C. D. P. 6. c. 2. §. 3. & P. 10 §. 5. & Paul. III. p. 14. & Jul. III. p. 6. & R. Prov. 74. & R. Præp. 65. & Rect. 61.

5. Hoc tamen non prohibet; quin ubi magna Collegiorum necessitas, vel magna utilitas intercedit, possint Professi, & Coadjutores formati in Collegijs diu habitare: ùt propter gubernationem studiorum, lectionem in scholis, Confessiones, Conciones, & munia alia; in quibus sublevari scholasticos oporteret; vel ad visitanda, & dirigenda Collegia; aut cùm, ex facultate Præpositi Generalis, scribendi gratiâ ali-

Aliquando tamen poterunt ex Collegiorum reditibus vivere.

aliquis eò ſe reciperet. Neque interdicta etiam diſcreta charitas erga Profeſſos iter agentes; quos hoſpitio, & viatico etiam juvare Collegia tutò poſſunt. Quin & in aliqua ſua Villa excipere infirmos, vel ſanos ob honeſtam recreationem; dummodo, quamdiu ſunt in Domibus, expenſis Collegij non alantur (*i*). Conceſſum etiam eſt Præpoſito Generali; ut ſenio confecti, aut infirmitate gravati, & ad operandum non idonei, etiamſi Profeſſi ſint, de ejus licentia, poſſint habitare in Collegijs, & eorum reditibus ſuſtentari (*l*): ùt dictum eſt ſuprà Part. 2. c. 3. ſect. 1. §. 2.

i P. 4. c. 2. F. & P. 6. c. 2. C. D. & C. 6. D. 18.

l Jul. III. p. 77.

SECTIO II.

De Obedientia Profeſſorum, & Obligatione docendæ Doctrinæ Chriſtianæ.

1.

Profeſſi ſubſunt Regulis communibus.

VI obedientiæ, quam vovent Profeſſi Religionis Prælatis, ad diſtinctionem ejus, quam promittunt Summo Pontifici ad Miſſiones, cùm opinari quis potuerit ex Conſt. Part. 6. cap. 3. §. 1. & 3. Profeſſos non obligari regulis communibus domeſticæ diſciplinæ, utpote ea virtute præditos; quæ hujuſmodi præſidijs non indigeret: declaratum eſt oppoſitum; ſcili-

scilicet ab omnibus sive Professis, sive Coadjutoribus formatis Regulas communes Societatis observandas esse: neque id repugnare citatæ Constitutioni. (*m*)

m C.3. D.21. & C. 4. D. 22.

Nec eximuntur universaliter à Superioribus non Professis.

2. Præterea cùm in Const. Part. 8. c. 3. A. & Con. 1. D. 42. dicitur Professis quatuor votorum præesse non posse eos, qui eodem gradu Professi non sunt; sermo est de præsidentia in Domibus Professis, vel integris Provincijs; ubi Subditi communiter Professi sunt quatuor votorum: alioqui non Professi (modò Sacerdotes sint) præesse Professis possunt: atq; hi ad obedientiam illis præstandam tenentur. (*n*).

n C. 3. D. 21.

Quatenus ad Catechesim teneantur.

3. Quod verò in formula Professionis additur post promissam obedientiam: *Et secundùm eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem, juxta formam vivendi in literis Apostolicis Soc. JESU, & in ejus Constitutionibus contentam*; non inducit aliam obligationem, quàm reliqua spiritualia exercitia, quæ ad auxilium proximorum adhibentur. Mentio autem de pueris docendis, ea de causa fit; ut sancta hæc exercitatio peculiari modo sit commendata: & quia faciliùs oblivioni tradi poterat, quàm alia magìs speciosa; cujusmodi est prædicatio &c. (*o*)

o P. 5. c. 3. B.

Hujus Voti executio.

4. Ut ergo tam sanctum exercititum in desvetudinem non abeat; præter eam curam, quam P. Generalis suscipere debet, ut Nostris familiare sit; quivis Professus, & Coadjutor spiritualis formatus, post susceptum Gradum, intrà annum per 40. dies, vel continuos, vel interpolatos, teneatur Doctrinam Christianam pueros, atque rudes personas docere: quod ex praxi S. Fundatoris derivatum est (*p*).

p Paul. III. p. 12. & C. 1. D. 138 & C. 2. D. 58. & R. Prov. 71.

SECTIO III.

De quarto Missionum Voto.

1.

Quid sit hoc Votum, & cui emittatur.

SEd qui quatuor Votorum Professi fiunt, tribus illis solemnibus substantialibus votis quartum, similiter solemne, addunt speciale, Summo Pontifici obedientiæ, circa Missiones, præstandæ. Nam licèt fide orthodoxâ indubitatum sit; omnes Christi fideles Christi Vicario subesse: ob devotionem tamen majorem ad Obedientiam Sedis Apostolicæ, & ob certiorem Spiritûs Sancti in Missionibus ipsis directionem, humilitatem, mortificationem, ac voluntatum abnegationem, id Votum emittitur. (*q*)

q Ex. c. 1. §. 5. & P. 5. c. 3. §. 3. & P. 7. c. 1. & Paul. III. p. 11. & Jul. III. p. 63. & Gregor. XIII. p. 228.

2. Quod quidem Missionum Votum, cùm

cùm in formula Professionis referatur ad literas Apostolicas, & Constitutiones; comprehendit etiam aliquas circumstantias in ijsdem expressas, atque adeò pariter eo voto promissas. Hæ autem sunt 1. ut neque directè neque indirectè per se, vel per alium singuli possint curare quidquam cum Romano Pontifice, ut mittantur potiùs in hanc partem, quàm in aliam. 2. Ut parendum sit, sive miserit ad Turcas, sive ad quoscumque alios infideles, in Indijs etiam versantes; sive ad quoscumque hæreticos, seu schismaticos, seu etiam ad quosvis fideles. 3. Ut sinè ullà excusatione, aut tergiversatione, illico, quantum in illis fuerit, proficiscantur. 4. Ut nullum viaticum petere possint; parati omnino ire pedites, vel equites, cum pecunijs, vel sinè illis; ùt sua Sanctitas judicaverit, spectato tantummodo majore DEI obsequio. Quare exploranda erit Summi Pontificis voluntas, de modo itineris conficiendi, & manendi in loco Missionis. (*r*)

Aliquæ circumstantiæ voto promissæ.

r Paul. III. p. 11. & Jul. III. p. 63 & Greg. XIII. p. 128. & Ex. c. 1 §. 5. & P. 5 c. 3. §. 3. & C. & P. 6. c. 2. §. 3. & S. & P. 7. c. 1. §. 1. 2. 3. & B.

3. Et ea quidem spectant ad essentialem materiam Voti. Adduntur aliqua ad ejus executionem juvandam 1. Ad præcidendam omnem ambitionis occasionem, nec Generalis pro se ipso, absque So-

Servanda ex Constitutionibus.

cietatis consilio, nec quisquam alius pro se, vel pro alio, cum Romano Pontifice de hujusmodi Missionibus curare debet (*s*). 2. Non opponitur promissæ indifferentiæ, si Generalis, ubi aliquis minùs idoneus mitteretur, id Pontifici repræsentet (*t*). 3. Petenda instructio scripta, quò exactiùs injuncta expeditio impleri possit; aut certè verbo tenus mens summi Pontificis intelligatur (*u*). 4. Ubi tempus limitatum non fuerit, in locis particularibus, trimestris statio sufficiat: & Præpositus Generalis poterit sic à Pontifice missos, nulla limitatione temporis, si id expedire Divinæ gloriæ judicaverit, revocare (*x*). 5. Excursiones aliquæ breves ad vicina loca non interdicuntur; modò præscriptæ Missioni non incommodent (*y*). 6. Præpositus Generalis novum Christi Vicarium, intra annum ab ejus creatione, doceat de hoc peculiari Societatis Voto. (*z*).

s Paul. III. p. 12. & Jul. III. p. 64. & P. . c. 1. §. 2.

t P. 7. c. 1. C.

u P. 7. c. 1. §. 5. H. G.

x P. 7. c. 1. § 6. & P 9. c. 1. G. & Paul. III. p. 38.

y P. 7. c. 1. §. 7.

z P. 7. c. 1. §. 8. & R. Secr. 18.

SECTIO IV.

Explicantur Vota simplicia, quæ emittuntur statim post Professionem.

I.

Votum Paupertatis non relaxanda.

STatim ab emissa Professione, sive quatuor, sive trium votorum, ad tuendam Pau-

Paupertatem, & eliminandam Ambitionem, Professus omnis nonnulla alia simplicia Vota emittit. Eorum formula legitur in fine Constitutionum. (*a*)

a P. 6. c. 2. §. 1. & A. & P. 10. §. 6. & Gre. XIII. p. 228. & C. 1. D. 102. & C. 4. D. 54. & R. Pr. 71.

Primum Votum est: *Nunquam se acturum, vel consensurum; ut quæ ordinata sunt in Constitutionibus circa Paupertatem, immutentur: nisi quando, ex causa justa rerum exigentium, videretur Paupertas restringenda magis.* Hæc autem immutatio contingeret, si relaxatio fieret ad reditus admittendos, præterquam ad Collegia, & Domos Probationum dotandas: & quidem ad similia Paupertatis jura relaxanda Professus, nec in Congregatione Generali, nec per seipsum tentare poterit, vel pati à quoquam quidquam tentari (*b*). Hoc Votum, & tertium proximè referendum, est dispensabile à solo Papa. (*c*)

b P. 6. c. 2. §. 1. & A.

c Paul. V. An. 1618. 31. Jan. & Urb. VIII. An. 1632. 25. Ms.

2. Secundum est: *Nunquam se acturum, vel prætensurum, nè indirectè quidem, ut in aliquam Prælationem, vel Dignitatem in Societate eligatur, vel promoveatur.* Ubi notandum est Prælaturam, & Dignitatem in Societate pro Synonymis habendas, & neutram Assistentibus convenire. Distingvuntur autem extra Societatem; & earum seorsim ambitus cavetur Voto

Non ambiendi in Societate.

 mox

mox exponendo. Si quis autem hujuſmodi ambitus convictus eſſet, incapax Prælationis cujuslibet habeatur. (*d*)

d C. 7. D. 44. & P. 10. § 6.

Non ambiendi extra Societatem.

3 Tertium eſt, *nunquam ſe acturum prætenſurúmve, extra Societatem Prælationem aliquam, vel Dignitatem; nec conſenſurum in ſui electionem, quantum in ſe fuerit; niſi coactum Obedientiâ ejus, qui præcipere poteſt ſub pœna peccati.* Ratio utriuſque Voti eſt, ut Ambitio, mater in quavis Republica omnium malorum, ſubmoveatur; poſtremi autem, nè Societas hominibus, ſibi ad propoſitum finem maximè neceſſarijs, privetur (*e*). Præterea declaratum eſt; hoc ipſo voto comprehendi multò magìs Prælationes, ſeu Dignitates ſeculares quaſcùmque; ac quæcumque officia, quorum Officiales Juriſdictionem Eccleſiaſticam, vel Laicalem, ſeu quomodolibet extra ipſam Societatem exercent (*f*). Demum per quamcumque dimiſſionem à Societate non extingvitur obligatio hujus Voti. (*g*)

e P. 10. §. 6.

f Urban. VIII. 1632 25. Jan. Ms.

g Urb. VIII. in Bulla An. 1635. 31. Maij.

Deferendi ambientes.

4 Quartum eſt; *Si quem ſciverit aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere; promittit illum, rémque totam ſe manifeſtaturum Societati, vel Præpoſito ejus* (*h*). Cùm autem videri poſſet, in formu-

h P. 10. § 6.

mula ex Constitutionibus petita, hoc Votum obligare ad deferendos tantummodo ambientes Prælationem in Societate; immutatio aliqua facta est; ut complecteretur etiam ambitum Prælationis extra Societatem (*i*). Et rursus declaratum, ex eadem obligationem oriri denunciandi, etiam non Professos, ambientes (*l*).

i C. 3. D. 46.

l C. 9. D. 13.

Audiendi consilia, & exequendi.

5. Quintum est. *Si quando acciderit, ut hac ratione in Præsidem alicujus Ecclesiæ promoveatur; pro cura, quam de animæ suæ salute, ac recta muneris sibi impositi administratione gerere debet; se eo loco, ac numero habiturum Societatis Præpositum Generalem; ut nunquam consilium audire detrectet; quod vel ipse per se, vel quivis alius de Societate, quem ad id ipse sibi substituerit, dare sibi dignabitur. Consilijs verò hujusmodi ita se pariturum semper esse promittit; si ea meliora esse, quàm quæ sibi in mentem venerint, judicabit.* Hoc autem Votum idcirco præscriptum est; quia cùm initio Societatis multo conatu (cui etiam aliquando resisti non potuerat) Nostri ad Episcopatus exquirerentur; hac ratione ipsis eligendis consultum credebatur, non quòd illis aliquis de Societate Superioris loco constitueretur. Liberum tamen So-

cietati est, onus præbendi consilij recusare, vel assumere: id enim fiet, ubi multùm referre ad DEI obsequium eadem judicabit. (*m*)

m P. 10. §. 6. & A.

CAPUT IV.

De Professis trium Votorum.

SECTIO I.

De ijs, qui ad hanc Professionem admitti possunt: & de Admissione.

I.

Quinam ex Constitutionibus.

PRæter hos hactenus descriptos Professos, nonnulli admitti possunt ad Professionem trium tantùm Votorum solemnium (omisso nempe quarto de Missionibus) rarò tamen, & non sinè causis peculiaribus alicujus momenti: quales sunt ipsorum devotio; personarum qualitas; ùt qui benè meriti sunt, & valdè devoti; quamvìs minori doctrinâ, & concionandi aptitudine præditi, quàm nostrum Institutum in Professis quatuor Votorum requirat. Ordinariè tamen sufficientiam in literis, quæ saltèm ad Confessionis munus bene obeundum satìs sit, habeant oportet, aut alia egregia DEI dona: ex quibus quod studio Theologiæ deest, compensari potest. (*n*)

n Jul. III. p. 68. & Ex. c. 1. D. & P. 5. c. 2. §. 3. & B. & C.

2. Ad-

2. Adnumerantur his, qui non attingentes in Theologicis mediocritatem, insignes fuerint in literis humanioribus; & plures annos in ijsdem docendis strenuè laboraverint: & qui utiliter, apud Indos operam navantes, eorum lingvis cum fructu addiscendis operam dederint: ità tamen, ut non communiter, ac facilè cum omnibus dispensetur (*o*). Admittendi præterea ad hunc Gradum, prævio tamen consensu P. N. qui jure Majoratûs in Hispania gaudent: si qualitas Majoratûs ejusmodi fuerit; ut firmitati illius abdicationis per sacrum Ordinem caveri non possit. Sed hujusmodi homines, sinè facultate P. Generalis in Societatem non recipiantur: iisq; donis ornati sint; ut spem magnam præbeant, se post biennium probationis fore tales; quales nostræ Constitutiones requirunt; ut ad Professionem trium Votorum admitti queant. (*p*)

Alij ex decretis Congregationum.

o C. 6. D. 15.

p C. 5. D. 18.

3. Alioqui Tempus ordinarium emittendæ hujus Professionis non erit ante septem annos; quibus Promovendi fuerint noti in Societate; & certam sui talenti, ac virtutum satisfactionem non mediocrem in ea præbuerint. (*q*)

Tempus præ-requisitum.

q P. 5. c. 2. §. 3.

SECTIO II.

De Obligationibus, & Jure horum Professorum.

1.

Effectus hujus Professionis.

DE effectibus, qui resultant ex hac Professione, & Votis simplicibus ei superadditis, nihil hìc peculiare addendũ: cùm ijdem omninò sint, atque explicati proximè in Professis quatuor Votorum; demendúmque solùm, quod ad Missiones Pontificias pertinet; cùm vi peculiaris Voti ad illas non obligentur Professi trium Votorum.

Quatenus reliquis Professis præesse poßint.

2. Ceterùm non possunt ordinariè præesse Professis quatuor Votorum; ità ut supremum in Domibus Professis, aut Provincijs regimen exerceant: quamvìs mortuo Præposito, nec nominato Superiore Domus Professæ, ejus curam suscipere debet Minister, licèt non Professus quatuor Votorum; & à reliquis etiam Prælaturis non excluduntur. (*r*)

r P. 8. c. 3. A. & C. 1. D. 42. & C. 3. D. 21. & C. 8. D. 20.

Iura in Congregationibus.

3. Non habent autem vocem activam, aut passivam in electione Generalis, & Assistentium. Possunt tamen utroque suffragio frui ad reliqua in ipsa Congregatione Generali tractanda (*s*). In quam, vel etiam

s P. 8. c. 3. A.

etiam in Provincialem ingressi, quocumque titulo, sedere debent, & sententiam dicere post Professos quatuor Votorum, & ante reliquos. (t)

t Form. Cong. Gen. § 60. & Con. Prov. §. 15.

CAPUT V.

De Coadjutoribus tam Spiritualibus, quàm Temporalibus formatis.

SECTIO I.

Quinam formandi hoc Gradu.

1.

Explicato supremo Professorum Gradu, descendendum est ad alium proximè inferiorem Coadjutorum; ad quem admissi, Coadjutores formati dicuntur: Coadjutores quidem, quia vel in spiritualibus, vel in temporalibus ministerijs Societatem adjuvant: Formati verò, quia habent ultimam formam, & terminum sui Religiosi statûs. (a)

Cur dicantur Coadjutores formati.

a Paul. III. p. 30. & Gre. XIII. p. 227. & Ex. c. 1. §. 9. & c. 6. §. 1.

2. Ut quis igitur in Coadjutorem formatum admittatur, oportet Societati esse satisfactum de ejus vita, déq; bono exemplo, & talentis ad eam juvandam (b): & de ipsis æquè, ac de Professis, tanquam certum ducitur viros spirituales futuros; &

Quinam formandi.

b P. 5. c. 2. §. 4.

& qui ſic in via Chriſti Domini profecerint, ut per eam currere poſſint. (*c*)

c P. 6. c.3. §. 1.

Quoto anno.

3. Tempus hoſce proponendi ad Gradum diſpar olim fuit inter Coadjutores ſpirituales, ac temporales: nam illi citiùs proponebantur (*d*). Jam verò pro utriſque conſvetudo pridem introducta retinenda eſt; ut non promoveantur ante trigeſimum expletum ætatis annum, & decimum ingreſſûs in Societatem. Id tamen commendatum eſt P. N. citra novam obligationem, aut neceſſitatem ad valorem Votorum (*e*). Ceterùm is etiam Gradus poterit, cùm Generali, aut ab eo delegato viſum fuerit, prorogari. (*f*)

d Or. c.18. P.1. §.5.& p.2. §.11.

e C. 12. D. 14. & Ord. c.18. p. 2. §. 11.

f Ex. c. 1. §.12. & P. 5.c.2. §.4. & Greg. XIV. p. 281.

Quid ſpeciale in Coadjutoribus ſpiritualibus prærequiratur.

4. Quæ verò præſtanda ſunt per Superiores in exquirendis, mittendíſque informationibus ad Generalem, indicavimus ſuprà cap. 2. ſect. 1. Hìc tantùm addere oportet 1. In Coadjutoribus ſpiritualibus, ùt non requiritur eximia illa doctrina, quam in Profeſſis quatuor Votorum expetimus; ità ipſi in ſuo genere ſelecti eſſe debent, & literis ſufficienter ornati, ad juvandam Societatem in rebus ſpiritualibus; ſcilicet in audiendis confeſſionibus, in exhortationibus, Doctrina Chriſtiana, & literis edocendis (*g*). Quare Scholaſtici

g Paul. III. p. 30. & Ex. c. 6. §.1. 2. & Or. c. 18. p.1. §. 5. & P.8. c. 1. §. 2.

in Collegijs, instituendi ad hunc Gradum, post humaniorum literarum studium, & compendium Dialectices, Casus conscientiæ audire tantùm debent (*h*); & post hæc studia tertiamProbationem peragent, antequam formentur (*i*). A qua Probatione eximuntur, qui studijs in Societate operam non dederunt (*l*). Omnes verò suscepturi hunc Gradum Sacerdotes sint. (*m*).

h P.4.c.5. D.& C.2. D.69. & C. 33. D. 16.

i Ex. c. 4. §. 16. & R. Prov. 68. & Or. c.3. tit.1. §. 1.

l C. 8. D. 9.

m Paul. III. p. 30. & Ex. c. 6. §. 1.

Quid in Temporalibus,

5. In Informationibus pro Coadjutoribus temporalibus formandis omittenda plura sunt, quæ ad Sacerdotes pertinent: & præter tria prima capita interrogationum sufficit attingere, quæ ex Parte 1. cap. 2. §. 2. Constitut. designantur: an scilicet sint bonæ conscientiæ, quieti, tractabiles, amatores virtutis, sorte Marthæ in Societate contenti, & similia congruentia eorum statui. (*n*)

n Or. c.18. p.2. §. 11.

Non licet detrectare Gradum.

6. Neutris autem, vel Spiritualibus, vel Temporalibus Coadjutoribus licet recusare oblatum Gradum (*o*): ùt distinctiùs expositum est, cùm de promissione illa ingrediendi Societatem ageretur, Part. 1. c.6. sect.7. §. 2.

o C.5.D.50.§.1. & G 7.D.32.& Cl. c.6. §.9.

SECTIO

SECTIO II.

De Admissione, & consequentibus ad illam.

1.

Præstanda in ipsa Admissione.

PRoximis verò diebus ante susceptionem Gradûs Coadjutoris eadem præstanda, quæ superiùs Professioni præmittenda expositum est; reddenda scilicet conscientiæ ratio, mendicandum ostiatim, & per octiduum spiritualia Exercitia obeunda. Vide sup. cap. 2. sect. 2. Tum constitutâ die, (de qua suprà c. 1. sect. 2. §. 6. sufficienter dictum est) qui in Coadjutores formatos admittuntur; in Ecclesia, vel sacello Domûs, aut alio decenti loco, coram Domesticis & Externis, qui aderunt, in manibus ejus, qui admissurus sit, Votum suum emittent, legentes formulam; quæ eadem est pro utraque Coadjutorum classe: modò detrahas, pro Coadjutoribus Temporalibus, clausulam de puerorum Institutione; quam Coadjutores Spirituales usurpant æquè, ac Professi (*p*). Citato Constitutionum loco habes Formulam. Quam si aliquis ex Coadjutoribus temporalibus non queat legere, satìs fuerit si prælegentem alium pronunciando sequatur. (*q*)

p P.5. c. 4. §. 1. 2. 3.

q P. 5. c. 4. C.

2. Li-

2. Licèt autem in admissione Coadjutorum servandæ sint externæ cerimoniæ Professionis; & utraque Vota publica sint; & in manibus alicujus fieri dicantur: Coadjutorum tamen Vota simplicia sunt, non solemnia: quandoquidem intentio emittentis, & admittentis hæc est, juxta traditam à Sede Apostolica facultatem (*r*).

Hæc Vota, licèt publica, nō sunt solemnia.

r Jul. III. p. 68. & P. 5. c. 4. §. A. & A.

3. Unde etiam fit, Coadjutorum Vota, quoad perpetuitatem attinet, esse conditionata; quatenus licèt, quod in se est, ipsi se obligent in perpetuum; nihilominus tacita conditio insit; quamdiu Societas eos tenere volet. Nec est injustum, si Societas libertatem ad eos dimittendos, quando non faciunt, quod debent, retineat: quandoquidem illi, si id accidat, soluti manent: & alioqui faciliùs est aliquem ab eo, quod debet, deficere; quàm Societatem, vel ejus Præpositum Generalem: quorum tantùm erit posse dimittere; nec id sinè causis justissimis fieri debebit (*s*); graviores autem causæ contingere debent, ut Coadjutores formati dimittantur (*t*); quod suprà indicatum est Part. 1. cap. 6. sect. 4. & iterum infrà explicabitur, ubi de dimittendis, scilicet Part. 4. cap. 7. sect. 1. §. 2.

Sunt aliquatenus conditionata.

s Ex. c. 6. §. 8. & A. & P. 5. c. 4. B. & Jul. III. p. 68. & Greg. XIII. p. 226. & Gre. XIV p. 284.

t P. 2. c. 1. §. 5. & A.

4. Per

Reddunt incapaces Dominij, & successionis.

4. Per eadem tamen vota Coadjutores formati, perinde ac de Professis diximus, redduntur incapaces dominij retinendi, aut acquirendi, etiam per hæreditariam successionem; immo nec ratione ipsorum, Domus, Ecclesiæ, aut Collegia ulla succedere possunt. (*u*)

u P.6. c.2. §.11. 12.& H.&Gre. XIII. p. 228.

Nonnullæ Formatorum obligationes & jura.

5. Præterea ijdem, æquè ac Professi, excluduntur à Collegijs, Domibúsque Probationis, nè sustententur reditibus eorum, exceptis casibus; de quibus suprà cap. 3. sect. 1. (*x*), constituétque Provincialis, ut Coadjutores spirituales formati in Domibus Professis, quantum fieri potest, commorentur (*y*). Constituti in hoc Gradu non debent tentare mutationem ad alium (*z*). Omnésque sunt participes omnium bonorum operum, & meritorum Societatis perinde ac Professi. (*a*)

x Ex. c. 1. §.4. & P.6.c.2. §.4.

y R. Prov. 74.

z Ex.c.6.§.5.6. & P.5. c.4 §.5.

a Paul. III. p. 30.

Specialia Coadjutorum spiritualium jura.

6. Speciatim verò de Coadjutoribus spiritualibus subdendum est 1. quod in formula promittunt de Doctrina Christiana tradenda, licèt non inducat novam obligationem, ùt superiùs dictum cap. 3. sect. 2. §. 1. nihilominus præscribitur, ut intra annum à suis Votis publicis per 40. dies illam doceant (*b*). 2. Ordinariè ipsi debent constitui Collegiorū Rectores (*c*).

b C.2. D.58. & R. Prov. 71.

c P.4. C.10. §.3. & A.

Qua-

Quatenus autem non possint præesse Professis, expositum est suprà Cap. 3. sect. 2. §. 2. habetúrque citatis locis (*d*). 3. Easdem illis gratias & indulta communicare potest Generalis, quæ ipsi per Sedem Apostolicam concessa sunt (*e*). 4. Possunt aliqui ex ipsis evocari ad Congregationem Generalem, & in ea habere jus suffragij activi & passivi, præterquam in electione Præpositi Generalis, & Assistentium (*f*); & in Congregatione tam Generali, quàm Provinciali immediatè post Professos trium Votorum sedere debent. (*g*)

d P.8.c.3..A. & C. 1. D. 42. & C. 3. D. 21.

e Paul. III. p. 30. & 52.

f P.8. c.3. A. & P. 9. c.5 §. 3. & For.Con.Gen. §. 78.

g Form. Con. Gen. §. 60. & Prov. §. 15.

CAPUT VI.

De Coadjutoribus Temporalibus.

Ratio dicendorum.

NIhil peculiare occurrit dicendum, pertinens ad Coadjutores temporales; quod dependeat à Votis, de quibus proximè, & per quæ formantur: eorum enim Votorum effectus communes sunt Coadjutoribus spiritualibus, & propterea proximè explicati. At multa quidem se offerunt, pertinentia ad Coadjutores temporales, etiam non formatos: cùm hanc, licèt infimam, attamen necessariam sibi classem, Societas instituendam, conser-

vandámque peculiari ſtudio, exiſtimaverit: neque alius locus opportunior viſus eſt hiſce tractandis, quàm ubi de ipſis poſtrema cooptatione in corpus Societatis admittendis agendum neceſſariò fuerat; nonnulla neceſſariò præmiſſa Par. 1. c. 2. ſect. 2. & c. 4. ſect. 3. §. 2.

SECTIO I.

De Coadjutorum Temporalium Admiſſione & Veſtibus.

1.

Coadjutorum numerus.

IN primis Coadjutores Temporales plures admitti non debent, quàm qui neceſſarij ſint, ad ſublevandam Societatem, in ijs rebus; in quibus occupari alij non poſſunt, ſinè detrimento majoris boni; & honeſtiùs domi, quàm foris fiunt (*a*); & universè in Collegijs non debent excedere quartam partem Sociorum, tertiam verò in Domibus Profeſſis. (*b*)

a P.1. c. 2. §.2. & A. & P 3. c. 2. §.7. & H. & P.4. c.3. §.2. & c.10. §. 6. 7. & H. & C. 1. D. 103.& R. Prov. 39.& In.6. §.4.

b C.7. D.82. §. 3. & R. Prov. 39.

Dotes admittendorum.

2. Intra hunc numerum ſeligi oportet, bonæ conſcientiæ, quietos, tractabiles, amatores virtutis, ac perfectionis, propenſos ad devotionem; qui Domeſticis, & Externis ædificationi ſint; qui ſorte Marthæ in Societate contenti (*c*). Quoad externa attinet; ſint honeſta ſpecie, ſanitate,

c Ex. c. 1. §. 9. & c.6.§.7. & P. 1.c.2. §.2. & R. exam. 14.

tate, ætate, & viribus ad labores corporis, qui in Societate se offerunt, sufferendos; & qui habere, vel certè habituri esse aliquando videantur talentum aliquod ad Societatem juvandam: nam admittere homines inutiles Congregationi, licèt ipsismet nō inutile foret, non expedit (*d*). *d* Ex. c. 1. §. 9. & c. 6. §. 7. & P. 1. c. 2. §. 2. 3. 4. & B.

3. Declaratum ulterius est, magnam cautionem adhibendam esse in his admittendis; qui aliquem in literis progressum fecerint; vel qui milites fuerint; vel qui speciem nobilitatis, vel consangvineos nobiles habeant; vel Dominis secularibus in ministerijs delicatis inservierint. Præterea non esse admittendos homines planè rudes, sed bonæ capacitatis; quales periti alicujus artificij, & qui legere, & scribere nôrunt. (*e*) *Quid in iisdem cavendum.* *e* In. 6. §. 4.

4. Coadjutorum temporalium vestitus is esse debet, qui nostros Laicos à Sacerdotibus nostris, & à secularibus hominibus distingvat; & juxta morem Patriæ sit honestus (*f*). Id autem discrimen statutum 1. est in sottana breviore, dimidio palmo, & pallio sottanis breviore (*g*). 2. Quod pluries in præcitatis locis agitatum fuerat, decretum est, ut Clericalis pilei usu interdicerentur, qui à condito De- *Eorum indumentum.* *f* C. 1. D. 95. & C. 3. D. 22. *g* R. Cust. vest. 6. & C. 6. D. 30. & C. 7. D. 24. §. 1.

h C. 7. D. 24. §. 2. & D. 27. & C. 8. D. 21.

creto Societati nomen darent, adempta ipſiGenerali diſpenſandi facultate(*h*): impoſito inſuper præcepto, nè quis ejuſdem

i C. 9. D. 24.

Decreti executionem procuret impedire (*i*). Superpellicea verò, dum inſerviunt Sacro, eiſdem concedenda,quando expe-

l C. 1. D. 95.

dire judicaretur, & P. Generalis annueret (*l*). Dubitatum etiam fuit de indumento Noſtrorum,qui Sacerdotes non ſunt,dum ſepulturæ mandantur: placuit eodem modo eſſe indutos, quo alij honeſti Clerici; quod ſi is minimè deceret, quòd alicubi Clerici ſpoliati clericalibus veſtibus ſepe-

m C. 1. D. 169. & C. 4. D. 4.

liantur, P. Generalis, prout expedire ædificationi judicaverit, diſpenſet. (*m*)

SECTIO II.

De Coadjutorum Temporalium Inſtitutione & Miniſterijs.

I.

Inſtitutio in Novitiatu.

E Novitiatu nullâ ratione extrahendi ſunt, niſi per annum integrum in eo fuerint; & bene ſatisfecerint: & ante finitum biennium, nullo modo, in publicis officijs exponantur. Interim verò in Collegijs habeant aliquem, quaſi Magiſtrum in exercitationibus ſpiritualibus; & per menſem ante Vota redeant,ſi fieri poterit,

ad

ad Novitiatum, aut ſaltèm per idem tempus ſe colligant, & ad Vota emittenda præparent (*n*). Tempore verò Novitiatûs monendi ſedulò, eorum vocationem eſſe, ſublevare in officijs, etiam abjectis, reliquos Socios; qui in vinea Domini alijs functionibus occupantur; non affectando ſuperiorem Gradum. Inſtituendi etiam in externa & religioſa politia, & modo decenti agendi. (*o*)

n In. 6. §. 5. & Or. c.1 §.16.& c. 13. §. 8.

o Ex.c.6. §.3.6. 7. & R. Coad. 1. & 11. & In. 6. §. 4.

Poſt Vota.

2. Multò magìs curandum, ut ſpiritum in Probatione acquiſitum conſervent. Quod præſtabitur frequenti Superiorum, & ſpiritualium Præfectorum colloquio, hebdomadaria catecheſi, aut aliâ quapiam collatione piâ (*p*), & quotidianâ explicatione peragendæ matutinæ meditationis (*q*). Cui tempus commodum deſignandum pro illis, qui domeſticis occupationibus orationis tempore diſtinentur; maxima verò ratio habeatur eorum, qui verſantur in Villis (*r*). Ad eam porrò meditationem inſtituendi, juxta ipſorum captum & devotionem; ità ut, ſi qui recitando Roſario occupantur; doceantur & ipſi, quomodo myſteria in eo contenta meditari poſſint (*s*). Faciliùs indulgeri cum ijſdem poterit, ut frequentiùs quàm

p R. Coad.8.& C.7. D.80.§.19 & R.Præf. Spi. 7.& In.8. §.1.2.

q P. 4. c. 4. B. & C. 7. D. 80. §. 19. & C. 8. D. 38. §. 4.

r C. 7. D. 25. §. 1.

s P.3. c.1. R. & P.4.c.4. §.4.& C.& C.1.D.97. & R. M. N. 59. & Re. Præfe. Spir. 7.

t R. Rect. 34. octavo quoque die communicent (*t*). Significandum etiam, participes ipſos eſſe omnium bonorum operum, quæ in Societate fiunt, & omnium Indulgentiarum, & ſpiritualium gratiarum, quas cæteri conſequuntur. (*u*)

u Paul. III. p. 30. R. Coad. 11. In. 8 §. 2.

Disciplinæ eorum exterior.

3. Circa diſciplinam verò exteriorem 1. ùt eis ſubſidium neceſſarium ſuppeditandum, ità otium nō permittendum (*x*). 2. Non facilè indulgendum neceſſitati, ut domo incomitati exeant (*y*); & ad agros curandos magìs probati mittendi: qui ſoli ibidem non morentur; aut ſaltèm non pernoctent (*z*): neque certi in Socios ſtabiles ullis Patribus aſſignandi (exceptis Provinciali & Viſitatore) ità ut à domeſticis munijs immunes habeantur (*a*). Cùm verò comitantur noſtros, non eos relinquent ſolos, in viſitationibus fœminarum; ſed neque dum inviſuntur viri, ijs exceptis, quorum auctoritas aliud poſcit: & reverſi domum, debent ultrò Superiorem admonere, ſi quid contra hanc regulam commiſſum ſit. (*b*).

x P. [illegible] c. 10. §. 6. & R. Præp. 7. & Rect. 6. & Coad. 4.

y P. 3. c. 1. §. 3. & C. & In. 8. § 3.

z Or. c. 2. §. 17. & In. 8. § 4.

a C. 7. D. 29.

b R. Coad. 5. & R. Sac. 18. & Or. 4. §. 3. & In. 15. c. 2.

Ministeria.

4. Officia, in quibus debent adhiberi Coadjutores temporales, ſunt, præſertim in magnis Domibus, Coqui, & Diſpenſatoris occupationes, Emptoris, Janitoris,

In-

Infirmarij, Lotoris, Præfecti horti, eleemosynarum Curatoris, Tonsoris, Scriptoris, Sacristæ; relicta tamen Superioris prudentiæ potestate plus, minúsve hos Officiales omnino deputandi: cùm contingere alicubi possit; ut provideri per alios liceat, sinè detrimento majoris boni, aut nimia distractione (*c*). Sed ad eas potissimùm functiones utetur operâ Coadjutorum temporalium, quæ honestiùs domi, quàm foris fiunt: sunt autem officia Lotoris pannorum lineorum, Tonsoris, & hujusmodi: eáque, si ignoraverint, addiscant oportet (*d*). Quid verò in singulis his, aliísque officijs præstare debeant Fratres Coadjutores, huc referre non vacat: qui nôsse voluerit, consulat Regulas pag. 240. & sequentibus, præter eorundem communes pag. 236. Nemo autem ex illis aut legere discat, aut scribere; aut si aliquid scit, plus literarum addiscat: nec quisquam eum doceat, sinè Præpositi Generalis facultate: neque exerceatur concionando. (*e*)

c P. 1. c. 2. §. 2. A. & P. 3. c. 2. §. 7. & H. & P. 4. c. 6. B. & c. 10. §. 7. & H.

d P. 3. c. 2. §. 7. & H.

e Ex. c. 4. §. 25. & c. 6. §. 6. & R. com. 14.

5. At à Superioribus constituendi prudenter sunt in domesticis ministerijs, habitâ ratione sufficientiæ personarum, & in quibusdam officijs, etiam experientiæ:

Quomodo in illis tractandi.

nec facilè mutari debent, aut ſi periti ſunt, corrigi, multóque minùs contemni: ſuas cuique regulas Superior tradat, & eos aliquando viſitet; à Miniſtro tamen non nimis urgendi ſunt. (*f*)

f P.3. c.2. §.7. & F. & P.4. c.10. §. 5. 6. & E. & R Præp. 6. 7. & R Rect. 5. 6. & In. 8. §. 5.

CAPUT VII.

De Domibus Profeſſis.

SECTIO I.

De Fine, & Fundatione Domorum Profeſſarum.

I.

Finis Domorum Profeſſarum.

UT poſt emiſſa Vota biennij è Noviciatu prodeuntes ordinariè Collegia excipiunt: ità ſecundùm Conſtitutiones ſtatio eorum, qui Profeſſionem, aut Vota Coadjutorum formatorum emiſerunt, eſt in Domibus Profeſſis (*a*). His igitur Domibus dandus hic locus, ùt ſuus Collegijs tributus eſt, poſtquam Vota Scholaſticorum explicata ſunt. Et quidem Domus Profeſſæ ſunt ea domicilia, ad quæ reliqua in Societate ordinantur: nam Domus Probationis ad inſtituendos in virtute Novitios, Collegia ad Scholaſticos in literis erudiendos inſtituta ſunt; Domus verò Profeſſæ ad ea, quæ didicerint, exercenda, in ſalutem, & perfectionem proximorum; qui

a P.6. c.2 §.3. 4. C.D. & Jul. III. p. 65.

qui finis Societatis eſt; & ad quem priores illæ inſtitutiones, tanquam media, ordinantur. Quare noſtri Inſtituti puritas in Domibus Profeſſis præcipuè elucere debet (*b*). Deſideravit propterea Societas, ut erigendis Domibus Profeſſis in magnis Civitatibus potiùs adjiceretur animus, quàm Collegijs multiplicandis. (*c*)

b P.3. c.1. §.27. & X. P. 7. c. 1. §.1. & R. Præp. 37.

c P.7. c.1. §.1. & C.3. D.17.

2. Ea igitur omnia Miniſteria, quæ pro ratione ſui Inſtituti ad juvandos Proximos in ſpiritualibus, & corporalibus Societas amplecti ſolet, unis exceptis Scholis, pertinent, peculiari jure, ad Domos Profeſſas: adeò ut, ſi contingat in eadem Urbe ſimul eſſe Domum Profeſſorum, & Collegium, prædicta Miniſteria ad Domos pertineant, non ad Collegia (*d*). Quæ autem ſint hæc miniſteria, & quomodo pertractanda, inferiùs dicetur Part. 5. Non repugnat tamen, ut alicui in Domo Profeſſa permittatur ſtudijs ſe dedere. Immo expedit univerſos Prædicationi, & Confeſſionibus audiendis intentos ea ſtudia frequentare; quæ uſui futura ſunt (*e*). In quem finem Conferentiæ caſuum conſcientiæ bis ſingulis hebdomadis haberi debent; quibus Sacerdotes omnes, niſi aliquos Provincialis eximendos judicaverit, interſint. (*f*).

In ijs, quæ Miniſteria exercenda.

d P.3. c.1. §.27. & X. & P.4. c.8. §.1. & P.7. c.4. §.10. & R. Prov. 101.

e P.3. c.1. §.27. & X.

f C.9. D. 8. & C. 13. D. 17. & R. Prov. 57. & St. R. Prov. 13. & 15. & R. Præpoſ. 57.

Ad quem pertineat eas admittere, dissolvere, regere.

3. Pertinet autem ad Præpositum Generalem Domos Professas admittere (*g*); sed dissolvendi facultatem non habet sinè Generali Congregatione (*h*). Easdem porrò regere Præpositi munere, erit tantùm Professorum quatuor Votorum. (*i*)

g P.9. c.3. §.17. & R. Prov. 81.

h P. 8. c.2. §.2. & P.9. c.3. §. 5. & 17. 18. & P. 4. c.2 § 3.& c. 10. §. 2. & c.11. §. 2.

i P.8. c.3. A. & C. 1. D. 42. & C.3. D. 21.

Quinam Fundatores earum, & quatenus colendi.

4. Et quamquam eleemosynis quotidianis sustententur, ùt mox videbimus: Fundatores tamen earum habendi sunt, qui dant Ecclesiam ad cultum DEI ornatam, & Domum supellectili domestica, & libraria sufficienter instructam. Pro hujusmodi autem Fundatoribus ea suffragia in ipsa Domo, & Provincia persòlventur, quæ pro Collegiorum Fundatoribus toti Societati indicuntur, omissa candelæ traditione. An alicui plùs debeatur, videat Generalis (*l*).

l C. 3. D.41. & C, 6. D. 20.

Quid possidere queant Domus Professæ, & earum Ecclesiæ.

5. Præcipuum est in Domibus Professis, & earum Ecclesijs, eas non posse habere ullos reditus, vel possessionem ullam; præterquam quod ad habitationem, vel usum necessarium eis, aut valdè conveniens fuerit: qualis esset, in usum convalescentium, vel subducentium se à turba, ut rebus spiritualibus vacent, locus aliquis solitarius, aëre salubriori, & alijs commodis pollens: qui tamen nec alijs locandus; nec

nec ex eo fructus, qui redituum loco esse possint, percipiendi sunt: nam qui degunt in Domibus Professis, in solo DEO, cui inserviunt, fiduciam constituent; & ex eleemosynis vivent. Quare ultra prædicta, quidquid stabile Domibus Professis datum fuerit, teneantur eo se exuere, ut suæ, aut Externorum paupertati consulant, illud quamprimùm vendendo; non exclusa per hoc temporis opportunitate ad vendendum (*m*). Nullum domi jumentum, ad equitandum, pro aliquo de Societate ordinariè habeatur, nisi dispensante, ex gravi causa, Generali. (*n*)

m Ex. c.1. §.3. & P.6. c.2. §.2. 3. & A. & §. 5. & E. & P.10. §. 5. & Paul. III. p.13. & Jul. III. p. 65. & Greg. XIII. p. 230. & R. Præp. 58. & 66.

n P.6. c.2. §.14. & K. & R. Præpos. 71.

Per quos earũ negotia procuranda.

6. Si quæ negotia verò, seu jura ad Domos Societatis, vel ad totum ejus corpus pertinent; quo pacem suam meliùs conservare possit Societas, Procurator Collegij, vel alius ex Coadjutoribus, vel demum aliquis extra Societatem, aut familia quæpiam, quæ Domûs patrocinium susciperet, jus Societatis ad majorem DEI gloriam, posset defendere. (*o*)

o P.6. c. 3. §.7.

SECTIO II.

De Reditibus, & eleemosynis Domorum Professarum.

I.

Quatenus iisdẽ annui reditus sint interdicti.

CIrca reditus aliqua advertenda. 1. Si aliquis Fundator Domorum, vel Ecle-

clesiarū reditus aliquos, ad fabricæ usum, relinqueret; non esset à Paupertate Societatis alienum illis frui: & sic in rebus similibus judicandum est. Duæ tamen conditiones servari debent: altera, nè dispositio eorum redituum ad Societatem pertineat; altera, nè Societati competat actio in illos; quamvìs id illi curæ esse possit, ut is, cui tale munus commissum est, suum officium faceret (*p*). Ob majorem etiam ædificationem nullus de Societate debet, nec potest quemquam ad eleemosynas perpetuas Domibus Professis, vel Ecclesijs earum relinquendas, incitare: & si aliqui sponte sua eas relinquerent, nullum jus civile, ad eas petendas in judicio, acquiratur; sed cùm ad id Charitas propter DEUM eos moverit, tunc eas elargiantur. (*q*)

p P. 6. c. 2. B.

q P. 6. c. 2. § 6. & B.

Nec juvari possunt Collegiorū proventibus.

2. Nec possunt Domus Professæ juvari reditibus Collegiorum, aut Domorum Probationis, præterquam in rebus minimis (*r*). Quæ distinctiùs suprà tractata sunt, cùm de Paupertate Professorum cap. 3. sect. 1. ageretur. Quod si contingeret relinqui Collegio perpetuos reditus, cum onere partem illorum annuè Domui Professæ erogandi; quia Instituto repugnant, at-

r P. 6. c. 2. §. 3. & P. 4. c. 2. §. 5. & F.

atque peculiari Professorum Voto, admittendi non essent (*s*). Secus dicendum, quando ad exædificandam Domum Professam, vel ejus Templum, hujusmodi reditus designati essent. Quamquam cavendum, nè Domus Professæ diutiùs, quàm justa necessitas tulerit, talibus reditibus fruantur. (*t*)

s C. 7. D. 50.

t C. 11. D. 20.

Et quatenus locatione contiguæ domus.

3. Permissum etiam Domui Professæ emptam sibi contiguam domum, habitationi aliquando, aut ædificando templo necessariam locare, & locationis pretio frui, ad breve tempus; quin & diutiùs; donec scilicet ære alieno, quod eam emendo contraxisset, locationis pretio se liberaverit. (*u*)

u C. 7. D. 51.

Non suscipiantur onera Missarum, & Animarum cura.

4. Negatur autem Professis Domibus suscipere obligationes ullas ad Missas celebrandas, ad curam animarum, aliásque similes: quia Domus hæ stabiles reditus, Professi verò stabilem habitationem non habent. (*x*)

x P. 4. c. 2. §. 4. & B. & P. 6. c. 3. §. 6. & C.

Quinam petere eleemosynas debeant.

5. Destitutæ igitur Domus Professæ reditibus perpetuis, indigent, ad sui sustentationem, eleemosynis: circa quas considerandum, quomodo peti debeant, & à quibus. Circa primum cùm dubitatum esset,

esset, an emendicandæ essent eleemosynæ, ostiatim, bis in hebdomada; qui mos permissus Romæ à S. Fundatore, sed non probatus; an potiùs per Procuratorem Domûs, ùt ibidem postmodum fiebat. (y): secundus institutus est; ità ut Procuratori alij ad hanc rem substitui possint; & quidem ex Coadjutoribus temporalibus; modò quàm paucissimi in mendicando occupentur. (z)

y C. 1. D. 103.

z P. 1. c. 2. A & P. 6. c. 2. §. 10. & R. Præp. 59. & R. Proc. D. 5.

Quæ forma in mendicando servanda sit.

6. Ceterùm placuit præcipere Nostris omnibus, ut nulli Externo svadeant, ut Nobis potiùs quàm alijs pauperibus dent eleemosynas; sed in quotidianis simpliciter amore Domini nostri petant. Ad donationes verò, & legata, nostras tantùm necessitates explicare fas est; & eorum definitio largientium devotioni relinquenda (a). Præterea in petendis eleemosynis prudentia, & modestia eluceat: caveatúrque maximè, nè in ijs quærendis, admittendísve præjudicium fiat Instituto, quod attinet ad ejus ministeria gratis exercenda (b). Ad evitandam etiam quamcumque avaritiæ speciem in Ministerijs, nulla sit in Ecclesia arca; in quam conjiciantur eleemosynæ, vel pro Nostris, vel pro Externis (c). Alia quæ ad conservatio-

a P. 6. c. 2. §. 10. & C. 2. D. 56.

b Ex. c. 1. §. 3. & c. 4. §. 27. & P. 4. c. 7. §. 3. & c. 15. §. 4. & c. 17. F. & P. 6. c. 2. §. 7. & P. 7. c. 4. §. 4. & B. & P. 10. §. 5. & R. Præf. Eccl. 14. & R. Pr. D. 7. & Or. c. 4. §. 8.

c P. 6. c 2. §. 8. & C. 2. D. 78. & R. Præf. Eccl. 15

tionem œconomicam Domûs Professæ faciunt, videri possunt in Reg. Præp. cap. 6. & in Reg. Proc. Dom. præter ea, quæ suprà dicta sunt de Collegijs Part. 2. c. 2. & ex parte Domibus Professis conveniunt.

SECTIO III.

De Domo Professa Romana.

DOmus Professa Romana, quæ prima in Societate erecta est, cùm Domicilio Præpositi Generalis cohonestetur; hoc etiam nomine peculiaria quædam statuta habet.

1. P. Generalis est Præpositus particularis hujus Domus; habere tamen debet Ministrum, aliósque Officiales, quorum operâ utatur ad ejus gubernationem: in quos si totam curam non rejecerit; sublevetur certè ab eis; & hujusmodi curæ occupatione liberetur (*d*). Potest etiam constituere in ea Vicepræpositum, cum ordinaria Præpositorum potestate, & consvetis Officialibus. (*e*) *Ejus Superior.*

d P. 9. c. 6. §. 5. & C. 2. D. 49. & 73.

e C. 4. D. 28.

2. Is habeat jus suffragij in Congregatione Provinciali, etiamsi non sit Professus quatuor Votorum; quamvìs curandum sit, ut hoc Gradu non careat. Idem tamen, sive Minister, non sit ex numero Assi- *Vicepræpositi jura.*

f C. 4. D. 32.

Aſſiſtentium (*f*). Mortuo Generali intrà Provinciam Romanam, abſque nominatione Vicarij; vel hoc extinćto, ante novi Generalis electionem, & abſente Præſide totius Provinciæ, cùm Romæ celebranda eſt Vicarij electio, ſpectat ad Vicepræpoſitum hujus *D*omus, ſi fuerit quatuor Votorum Profeſſus, præeſſe Congregationi ad eligendum Vicarium (*g*).

g Form. Con. Vic. §. 3. & C. 12. D. 54.

Expenſæ Secretariæ.

3. Ad levandam Domum magno gravamine plurium Scriptorum in Secretaria, cùm hos contributione Provinciarum alendos eſſe non videretur (nam ſpeciem præferret cujuſdam proventûs) P. Generali commendatum eſt, ut aliam honeſtam rationem ineat eos ſuſtentandi (*h*).

h C. 4. D. 18.

Proceſſio Corporis Chriſti.

4. Proceſſio Corporis Chriſti, & Sacrum ſolemne diebus Feſtis præſcripta ſunt huic Domui à Gregorio XIII. (*i*).

i C. 3. D. 35.

PARS

PARS IV.

De Medijs, Quibus Socij omnes ad propriam perfectionem diriguntur.

EXpoſitis ijs, quæ ad multiplices Sociorum claſſes conſtituendas, erudiendáſque ſigillatim conducunt, ea ſe offerunt exponenda; quibus omnes generatim in religioſa perfectione juvantur: qui licèt non ſit unus, eſt tamen primarius Societatis noſtræ ſcopus.

CAPUT I.

De Studio Perfectionis, Oratione, Verbo DEI, & Sacramentis.

SECTIO I.

De Studio Perfectionis, & Oratione.

I.

PRæmittendum eſt, omnibus conſtanti animo incumbendum eſſe; ut nihil *Ad omnem Virtutem contendum.*

a Ex. c. 1. §. 2. & P 3. c. 1. §. 10. & P. 6. c. 1. §. 1. & R. Præf. spir. & R. Præp. & Rect. c. 3.

solidæ perfectionis, quod Divinâ gratiâ consequi possint, prætermittant: curéntq; semper in via divini servitij progressum facere (a). Atque in hujusmodi studio majus momentum, quàm in doctrina, vel alijs donis naturalibus, & humanis esse ducant, etiam ad juvandos proximos: nam media illa, quæ cum DEO instrumentum conjungunt, ut à Diva manu rectè gubernetur, efficaciora sunt; quàm quæ illud disponunt erga homines (b). Sciant etiam, quomodo se contra omnes tentationes tueantur: duóque potissimùm hoc in genere præstent; alterum, ut eas antevertant adhibitis earum contrarijs; alterum, ut nullam earum celent, quam vel Præfecto spiritûs, vel Confessario, vel Superiori non aperiant (c). Ad omnigenæ verò Perfectionis studium exercendum, quæ Summario Constitutionum comprehensa singulis mensibus publicè præleguntur, mirificè conducunt: & Instructio Patris Claudij ad augendum, conservandúmque spiritum in Societate; præter Epistolas paræneticas Præpositorum Generalium, identidem in Refectorio legi solitas.

b P. 10. §. 2. & In. 13. c. 1. §. 1. & Cl. c. 3.

c P. 3. c. 1. §. 10. & 12. 13.

Recta Intentio.

2. Descendendo autem magìs ad particularia; Omnes rectam habere intentionem

nem ſtudeant, non ſolùm circa vitæ ſuæ ſtatum, verùm etiam circa res omnes particulares; id ſemper ſpectantes, ut in eis placeant Divinæ Bonitati; exuentes ſe, quantùm fieri poteſt, amore omnium creaturarum (*d*); & quantò arctiùs aliquis ſe DEO adſtrinxerit, & liberaliorem præſtiterit, tantò eum in ſe liberaliorem etiam experietur. (*e*)

d Ex. c. 1. §. 3. & P. 3. c. 1. §. 26. & P. 10. §. 2. 3.

e P. 3. c. 1. §. 22.

Oratio mentalis quotidiana, & Examen.

3. Huic animi promptitudini (quæ vera devotio eſt) quærendæ, ſuum quiſque tempus rebus ſpiritualibus impendat: & Superiores hanc rem, utpote rerum noſtrarum animam, præcipuâ curâ verſent (*f*). Id autem cùm diverſimodè, pro diverſitate claſſium, in Conſtitutionibus commendaretur; ùt ſuprà ſigillatim ſuis locis expoſitum eſt: poſt repetitas hac ſuper re Conſultationes, Univerſis in Societate præſcriptum eſt; ut orent quotidie per horam (*g*), quod ſummo manè peragitur (*h*), & ſupponitur in pia meditatione conſiſtere (*i*). Præterea binis horæ quadrantibus, in dies ſingulos, diſcutienda conſcientia eſt (*l*); quo tempore nullus vagetur extra cubiculum. Diebus tamen feſtis, ubi habita eſt concio, matutinum Examen ex præſcripto non fiet (*m*).

f P. 3. c. 1. §. 20. & R. com. 1. & C. 11. D. 30. & Cl. c. 3.

g C. 1. D. 97. & C. 2. D. 29. & C. 4. D. 5.

h C. 8. D. 38. §. 4. & R. Præp. 49. & Rect. 45.

i P. 4. c. 4. B & C. 8. D. 38. §. 4. & R. com. 1.

l P. 3. c. 1. §. 11. & P. 4. c. 4. §. 3. & C. 4. D. 5.

m C. 7. D. 25. §. 2. & Or. c. 4. §. 1.

n Instr. ad ap. Consc. §. 8. & Cl. c. 3. §. 5.

Peculiari cura exerceatur Examen particulare, si non diverso, communi saltèm utriusque Examinis tempore (*n*).

Locus Orationis, & Visitatores.

o C.1. D.98. & C.4. D.59.

p R. Præp. 50. & Rect. 47. & In. 13. c.1. §. 1.

q C.7. D.25. §.1.

4. Non visum est præscribere, ut omnes in unum locum, orationis hujus causâ, conveniant: nisi fortè instituatur extraordinaria, pro re nata, ad tempus (*o*). Verùm tempore orationi, & reliquis exercitijs assignato, sit aliquis qui observet, num omnes ijs vacent: quod etiam Minister, & ipsemet Rector aliquando faciat (*p*). Hæc autem visitatio debet esse quotidiana, nec ulli dandum, ut ad libitum dormiat: sed suum cuique statum tempus surgendi, orandíque definitum sit, & Superiori constet (*q*).

Oratio Vocalis.

r C.9. D. 7. & C. 10. D. 14. & C.12. Act.20.

s P.3. c.1. §. 5. & C. 1 D. 99 & C. 4. D. 60.

5. Ad SS. etiam Litanias ex vetusta consvetudine quotidie conveniendum; quibus nonnulla precum additamenta, Congreg. Generales decreverunt (*r*). Huc referri etiam potest Benedictio mensæ, & Gratiarum actio; de quibus constitutũ est, fieri debere in Refectorio, stando, ac devotè, juxta ritum Romanum communem: quod ità temperandum est, ut in privata & secunda mensa antiqua & consveta Benedictio retineri possit (*s*). De Horis Canonicis dictum est suprà Part. 2. cap. 4. sect.

ſect. 5. §. 6. & rurſus dicetur, cùm de Choro Part. 5. c. 1. ſect. 6.

6. Quotannis verò omnes vacent exercitijs ſpiritualibus, per octo, vel decem dies continuos; ſuperatis omnibus difficultatibus, quæ aliquando obſtare poſſent: ità ut neque negotijs, neque confeſſionibus eo tempore diſtineantur: ſerveturque Exercitiorum methodus, præſertim in receſſu ab omnibus; commendaturque executio P. N. (*t*). Horum porrò Exercitiorum ratio, non modò in ipſo Exercitiorum libello ſcripto à S. Fundatore, atque approbato à Paulo III. pag. 32. ſed & in Directorio fusè explicatur; quod Directorium in Con. 5. expenſum eſt (*u*). Conceſſa eſt etiam Indulgentia plenaria tum Noſtris, tum Externis eadem Exercitia, ſaltèm per octo dies, obeuntibus in noſtris Ædibus (*x*). In gratiam vacantium Exercitijs ſpiritualibus, necnon & Convaleſcentium, permiſſus eſt Domibus Profeſſis hortus ſuburbanus, in quem illi ſe recipiant (*y*). De Exercitijs, quatenus Externis tradenda ſunt, agetur infrà Part. 5. c. 1. ſect. 8.

Exercitia ſpiritualia.

t C.6.D.29.§.2. & Cl.c.3.§.3.& In 13.c.1. §. 4. & C.7. D.25.§. 4. & C.8.D.38 §.1. & Or. c.4. §. 20.

u Præf. ad Dirrect.

x Alex.VII.Br. 2. Oct. 1657.

y P. 6. c.2. §. 5.

SECTIO II.

De Verbo DEI.

1.

Lectio spiritualis. LEctioni spirituali designatus est quadrans integer ante Examen vespertinum (z). Extraordinaria etiam ad renovandum spiritum commendatur (a). Eadem adhibeatur in mensa; ut dum corpus edendo reficitur, sua etiam animæ refectio tribuatur, libro aliquo pio potiùs, quàm difficili: vel id temporis aliquis concionabitur; aut literæ, quæ ad ædificationem faciunt, legentur (b). Videndæ Regulæ Præfecti Lectorum ad mensam in Cod. Reg. Pag. 225. ubi distinctè traditur legendorum Librorum distributio, & alia in hanc rem. Martyrologium verò insequentis diei, quod olim vesperi legebatur, jam manè legendum est (c).

z C. 7. D. 25. §. 3. & R. com 1.

a Cl. c. 3. §. 6. 7.

b P. 3. c. 1. §. 5. & E.

c C. 8. D. 47.

Literæ Annuæ. 2. Literæ autem proximè indicatæ sunt potissimùm, quæ continent Virtutes & gesta Nostrorum, & spargi per Societatem debent. Id autem ut ordine fieret, quarti cujusq; mensis initijs bina exempla hujusmodi literarum vernaculâ, & latinâ linguâ mittenda erant ad Provincialem, & Generalem, ùt aliàs præscriptum est (d).

d P. 8. c. 1. §. 9. & M.

Sed

Sed excreſcente nimiùm quadrimeſtrium literarum numero, placuit annuas tantùm eſſe (*e*); & exempla totidem fieri, quot nationes P. Generalis deſignaviſſet (*f*). Contractæque iterum ac poſtremò ſunt; ut ſingulæ è ſingulis Provincijs in urbem mitterentur: ubi per aliquem è Patribus, alendum in Collegio Romano communibus expenſis, ex illis confectæ aliæ literæ ad Provincias permearent; atque ad minuendas expenſas imprimerentur (*g*). Diſtinctiùs hæc habes in Cod.Reg. pag. 164. ubi in formula ſcribendi, de annuis literis ſcribendis, contrahendis, mittendis plura conſtituuntur; Et quo pacto Secretarius Societatis illas curare debeat, habes c. 9. Regularum ipſius. Jllud poſtremò monemur; nè ulli Externo, quavis occaſione, hæ literæ communicentur (*h*).

e C. 2. D. 37.

f C. 2. D. 54. §. 2.

g C. 4. D. 38. & C. 7. D. 19.

h Or. c. 4. §. 12.

Exhortationes, & Conciones.

3. Singulis, vel alternis hebdomadis exhortationem Noſtris, vel Superior ipſe faciet, vel aliquis alius, qui rationem noſtri Inſtituti bene teneat: in qua agatur de Obſervatione Conſtitutionum, & Regularum, de charitate, humilitate, & alijs virtutibus: tametſi exhortationis loco ſpiritualis collatio eiſdem de rebus aliquando haberi poteſt (*i*). Commendatur

i P. 3. c. 1. §. 21. & 28. & Reg. Præpoſ. 25. & Rect. 24. & C. 6. D. 40. §. 3.

l Cl. c. 3. §. 1. & 5.

m P. 2. c. 1. S. & R. Conc. 13.

n R. com. 2.

tur autem, ut hujuſmodi exhortationes ſeriæ ſint, & cor ipſum petentes (*l*); Minimè verò attingant reprehenſionem alicujus particularis, vel ipſius Societatis (*m*). Præterea omnes concionem, lectionémve ſacram, cùm in Templo noſtro habebitur, audiant (*n*).

SECTIO III.

De Sacramentorum Uſu.

Confeſſio quàm frequens.

o P. 6. c. 3. §. 2.

p Ex. c. 4. §. 25. & P. 3. c. 1. § 11. & Q. & P. 4. c. 4. §. 3. & Re. com. 3. & Re. Min. 9.

q R. Sac. 3.

1. SEd potiſſimum adjumentum ſpiritualis profectûs eſt uſus Sacramentorum, quorum frequentatio commendatur (*o*). Et Confeſſio quidem debet uſurpari ſaltèm octavo quoque die ab omnibus: & ad eam intra deſignatum tempus non accedentibus ſubtrahatur cibus corporis, donec cibum ſpiritûs ſumant (*p*). Sacerdotes verò decet ſæpius in hebdomada confiteri (*q*).

Cui facienda.

r Paul. III. P. 4.

2. Confeſſio autem fieri debet, vel proprio Præpoſito, vel ab eo deputatis; niſi ſuper hoc à dicto Præpoſito alium Confeſſarium eligendi facultas habeatur (*r*). Ceterùm Confeſſarius ſit unus omnium. Quod ſi fieri non poteſt; quiſque certè ſuum ſtabilem Confeſſarium habeat; cui

ipſius

ipsius conscientia prorsus aperta sit. Qui autem alij, quàm suo Confessario designato, confiteretur; debet postmodum eidem suo Confessario totam suam conscientiam aperire (*s*). Quia verò Clemens VIII. decreverat singulis Religiosis plures Confessarios designari; ex Decr. 51. Con. 5. petita, obtentáque est ab eodem Pontifice vivæ vocis oraculo dispensatio ejus Decreti (*t*). Cujus dispensationis firmitati ut meliùs consuleretur, novum super hac re à Summo Pontifice Indultum petendum esse statutum est (*u*).

s P.3. c. 1. § 11. & 1. & Q. & P.6. c.3. §. 2.

t Or. c.5. tit. 2. §. 2.

u C.8. Act.115. & C.9. Act.26.

Peccatorum Reservatio.

3. Confessarij verò, qui fuerint designati, non ignorent, quos casus sibi Superior reservet (*x*): à quibus vi Bullæ Cruciatæ Nostri absolvi nequaquam possunt. Quod si contrarium aliquis tanquam probabile docuerit, ùt Societati maximè noxius, debitis pœnis à Provincialibus coërcendus (*y*). Casus autem in Societate reservati enumerantur D. 51. & 57. Congr. 5. & Or. c. 5. Quæ loca emendanda alicubi sunt juxta Decr. 43. Con. 9. & Decr. 21. Con. 11 Et quamvìs Reservatio aliorum Casuum sit interdicta Superioribus à Clemente VIII. solùm apud Nos Congregationi Generali permissa (*z*); at idem Pontifex

x P.3. c.1. §.11. & C.2. D.60.& C.5. D.17.& 22.

y C. 6. D. 5.

z Or.c.5. tit. 1. §. 3. & C. 5. D. 22. & For. Co. Prov. §. 43.

tifex voluit licere Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis, imponendas à Confessarijs (*a*). Absolutionis à reservatis praxim habes cap. 6. Ord. cum additamento Decr. 25. Congreg. 8. & Decr. 17. Con. 12. ejusdémque Act. 40.

a Or. c.5. tit. 1. §. 7.

Sigillum Confessionis.

4. Demum pro reverentia, quâ semper Societas nostra coluit hujus Sacramenti inviolabile sigillum, & libertatem, omnes Superiores diligenter cavere debent: nè vel ipsi, vel Nostrorum aliquis extra Confessionem utatur notitiâ, per Confessionem habitâ; licèt id fieri posset sinè ulla revelatæ confessionis suspicione; ùt nonnulli docuerunt aliquando licere (*b*). De officio Confessarij, & Præfecti rerum spiritualium agetur infrà Part. 7. c. 4.

b Or. c.5. tit.1. §. 6. & In. 5.

Indulgentiæ.

5. Huc faciunt plurimæ Indulgentiæ hominibus Societatis communicatæ; quas legere est in Compendio Privil. V. Indulg. Jlla tamen, quam in disciplinæ gratiam indulsit Pontifex, hìc non silenda. Nè igitur Socij nostri, ad lucrandas Indulgentias, cogantur accedere ad Ecclesias Civitatum, in quibus degunt, & inter utriusque sexûs populos promiscuè versari, non sinè religiosæ decentiæ, ac functionum suarum dis-

dispendio; illis concessum est, ut in suis Ecclesijs orantes lucrentur omnes, & singulas Indulgentias, quas consequerentur, si Ecclesias locorum, in quibus commorantur, diebus ad id designatis visitarent (*c*).

c Greg. XIII. p. 195.

Eucharistia.

6. Missa quotidie ab omnibus audienda est(*d*), & ad Communionis Sacramentum octavo quoque die accedendum erit; nisi Confessario aliquod esse impedimentum videretur (*e*). Curabítque Minister observari, an omnes die statuto communicaverint; & si quis præscriptæ Communioni non satisfaceret, intelligat à Superiore, num subtrahendus ei sit cibus corporis, donec cibum spiritûs sumat (*f*). Frequentiùs communicare nonnisi peculiares ob causas, & potiùs necessitatis, quàm devotionis habitâ consideratione, Scholasticis permittatur (*g*). Ijs verò, qui literis non dant operam, longè faciliùs concedi potest; ut etiam intra hebdomadam communicent; & Præfecto rerum spiritualium, aut Confessario delegari, ut id concedat (*h*).

d P.4. c. 4. §.3. & R. com. 2.

e Ex. c.4. §.25. & P.3. c.1. §.11. & P.4. c.4. §.3. & Reg. Præf. Spir. 8.

f R. Min. 9.

g P. 4. c. 4. B. & R. Rect. 34.

h R. Rect. 34.

Sacramenta extrema.

7. Ut in vita universa, ità & multò magìs in morte unusquisque de Societate eniti, & curare debet; ut in ipso DEUS,

ac Dominus Noster JESUS CHRISTUS glorificetur; ipsiúsque beneplacitum impleatur; & proximi ædificentur, saltèm exemplo patientiæ, ac fortitudinis, cum fide viva, ac spe, & amore bonorum æternorum. Sed quia morbo etiam vires animi infringuntur; subsidium fraternæ charitatis non desit: & solicitè advertant Superior & Infirmarius; ut, qui de vita periclitatur, antequam usu judicij privetur, omnibus sanctis Sacramentis acceptis, ad transitum à temporali vita ad æternam se muniat (*i*). Juvari etiam debet orationibus Domesticorum; donec animam suam Creatori reddat: è quibus aliqui delecti sint peculiariùs; ut adsint Infirmo, & suggerant opportuna ad eum juvandum: & cùm aliter juvari non poterit, eum Domino commendent; donec ejus animam dignetur ad se recipere (*i*).

i P. 6. c. 4. §. 1. & R. Infirm. 13.

i P. 6. c. 4. §. 2. & A. & R. Infirm. 14.

Exequiæ.

8. Posteaquam quis expiraverit, corpus ejus, usque ad sepulturam, decenter teneatur spatio diei naturalis; nisi mali odoris ratione, aliquot horis anteverti hoc tempus posse, Superiori videretur. Officium defunctorum pro eo dicetur; ùt fert usus, tono mediocriter alto, sinè cantu; præsentibus in Ecclesia Domesticis, cum

cum ſuis candelis accenſis; quo abſoluto, coram ijſdem pro more ſepeliatur (*l*). De Miſſarum autem, & Orationum ſuffragijs dictum eſt Part. 2. c. 4. §. 5.

l P. 6. c. 4. § 3. & B. C. & R. Infirm. 15.

CAPUT II.

De Paupertate, Caſtitate, & Obedientia.

HArum trium Virtutum Voto promiſſarum obligationes, reſpondentes Scholarium, Profeſſorum, & Coadjutorum claſſibus, ſuis quæque locis leguntur: hic tamen explicanda ſuperſunt, quæ toti Societati communia, ad earum Virtutum, non modò obligationes implendas, ſed & perfectionem acquirendam, decreta ſunt.

SECTIO I.

De Paupertate.

1.

QUia Paupertas veluti propugnaculum eſt Religionibus; ut eas in ſtatu ſuo, & diſciplina conſervet; unde etiam Dæmon enititur illud varijs rationibus evertere; propterea diligenda, & in ſua puritate conſervanda eſt, quantum Divina gratia aſpirante fieri poterit (*a*).

Paupertas, Religionis Propugnaculum.

a P.6. c. 2. §. 1. & P.10. §. 5. & C. 11. D. 23.

2. In-

Quæ materia gravis contra hanc Virtutem.

2. Intelligant omnes, eam quantitatem, quæ satis esset ad constituendum peccatum mortale furti, si surriperetur, sufficere; ut peccâsse adversùs Votum Paupertatis judicetur, qui è Nostris rem, ùt propriam, vel usurpet, vel alienet, absque Superioris facultate (*b*). Idque peccatum est in Societate reservatum (*c*).

b C. 5. D. 50. §. 4. D. 59. & Or. c. 4. §. 10.

c C. 5. D. 51. & Or. c. 5.

Prohibetur etiam graviter cōpensatio pro Ministerijs.

3. Gratìs dare debemus, quæ gratìs accepimus; nec postulando, nec admittendo stipendium, vel eleemosynas ullas, quibus Missæ, vel Confessiones, vel Prædicationes, vel Lectiones, vel quodvis aliud officium nostri Instituti compensari videatur (*d*). De qua prohibitione accipiendi stipendia pro Ministerijs, in Constitutionibus inculcata, cùm dubitatum fuisset; an ea induceret obligationem, vi Voti Paupertatis; an Constitutionis tantùm: nihil in alterutram partem placuit definire; sed exactissima ejus legis observatio, tanquam necessaria omnibus commendata; prohibitúmque, nè ullus Superior, ac nè ipse quidem Præpositus Generalis in ea dispenset (*e*). Declaratum præterea, nullius Superioris super ea re, vel licentiam, vel dispensationem, seu licitam, seu validam est (*f*). Quæ igitur sic donantur, ut

d Jul. III. p. 61. & Ex. c. 1. §. 3. & c. 4. §. 27. & P. 4. c. 7. §. 3. & c. 15 §. 4. & c. 17. F. & P. 6. c. 2. §. 7. & G. & P. 7. c. 4. §. 4. B. & P. 10. §. 5.

e C. 5. D. 29.

f C. 12. D. 39.

ut conjectura sit id fieri intuitu Ministerij, non sunt admittenda; donec donantes planè intelligant, accipi non posse, nisi nomine eleemosynæ, & secluso omni alio respectu: atque hoc eodem modo ipsi quoque largiantur (*g*). *g* C. 12. D 40. & Or. c. 1. §. 14.

4. Quin, ut omnis Avaritiæ species evitetur, præcipuè in pijs Ministerijs, nulla statuatur in Ecclesia Arca pro eleemosynis, seu in nostram, seu in aliorum utilitatem (*h*). Eadem de causa munuscula Magnatibus, ad res majores obtinendas, nè offerantur (*i*). Parati verò Nostri sint ad mendicandum ostiatim; quando vel Obedientia, vel necessitas id exiget (*l*). In eleemosynis tamen petendis modus adhibendus est; nè nimij, aut importuni sint (*m*); sed illas simpliciter, amore Domini nostri, petent. Præcipitúrque universis, nè ulli Externo svadeant, ut Nostris potiùs, quàm alijs pauperibus eas erogent; contenti nostras necessitates explicare; definitionem autem devotioni elargiri volentium relinquant (*n*). Atque ut hoc in genere omnibus periculis occurratur, interdicitur Omnibus Legatorum confidentialium executionem acceptare, eâ planè ratione, qua in Constitutionibus Te-

Eleemosynæ quatenus petendæ.

h P. 6. c. 2. §. 8. & C. 2. D. 78.

i P. 6. c. 2. §. 9.

l Ex. c. 4. §. 27. & P. 4. c 2. §. 6. & P. 6. c. 2. §. 10.

m Or. c. 4. §. 8.

n P. 6. c. 2. §. 6. & §. 10. & C. 2. D. 56.

o C. 12. D. 38. Teſtamentorum executio prohibetur (o).

Nullæ admittendæ ad uſum particularem.

5. Non ferendum, ut à Parentibus, cognatis, amicis, pœnitentibus devotis, etiamſi Principes Viri ſint, quidquam petatur, aut accipiatur, ad proprium uſum, ac diſpoſitionem: nec ad id Superiores poteſtatem facere poſſunt. Quod ſi ſponte aliquid offeratur, mittatúrve, id, juxta Regulam, in communem uſum accipiatur, & diſpenſetur (p).

p P. 4. c. 15. §. 4 & C. 6. D. 21. & C. 12 D. 43. & R. Prov. 90. & R. Præp. 64 & Rect. 60. & Or. c. 4. §. 9. & In. 1. §. 6. & In. 15. c. 1. §. 1. 2.

Ædificiorum moderatio.

6. Ædificia Domorum, & Collegiorum ſint quidem ad habitandum utilia, ſana & fortia; ſed modus imponendus, quod in nobis eſt, nè ſint ſumptuoſa, & curioſa; & videantur Palatia Nobilium. De Eccleſijs nihil ſtatutum eſt (q).

q C. 1. D. 113.

Species negotiationis vitanda.

7. Omnia, quæ ſpeciem habent ſecularis negotiationis, prohibentur; qualia ſunt: conducere agros alienos ad quæſtum faciendum: emere aliqua, ut noſtrâ poſteà induſtriâ cariùs vendantur. Noſtrorum impreſſos Libros, lucro damnóve noſtro divendendos, accipere, ſuppeditatis Typographiæ ſumptibus: Typographiam in Collegijs habere; in qua Externis Libri excuſi divendantur; atque alia, quæ ſigillatim numerari non poſſunt (r).

r C. 2. D. 61. & C. 7. D. 84.

Vita communis.

8. In his, quæ pertinent ad Victum, Veſti-

ſtitum, cubiculíque ſupellectilem, & alia Vitæ communi neceſſaria, Uniformitas tam Superiorum cum Inferioribus, quàm Inferiorum inter ſe, omninò retinenda: eáque omnia teneantur Superiores ſuppeditare. Quod in Scholaſticis, qui externo ſcriptore indigent, ſigillatim commendatum eſt (*s*). Nulli degant in Domibus, vel Collegijs, hoc ſolo nomine, quòd ſolvant quantum neceſſe eſt ad ipſorum ſuſtentationem (*t*).

s P.6.c.2. §.11. & R. Diſpenſ. 1. & Præf. Ref. 8. & Coqui 5. & C. 2. D.43. & In.1. §.4. & 6.

t C.8. D.39.

Quæ norma veſtitûs, victûs.

9. Cæterùm Veſtitus ſit honeſtus, non recedens ab uſu regionis, & conveniens profeſſioni Paupertatis, qualis non eſſet; ſi ſericis, vel pretioſis pannis uteremur. Victus etiam, & reliqua corpori neceſſaria uſurpantur ex conſilio Medici, habitâ ratione humilitatis, & Paupertatis, & ſervata proportione virium in diverſis Perſonis; quæ non ſemper ſanitate corporis, & ætate ad eam convenienti pollent (*u*).

u P.6. c.2. §.15. 16. & L.M. & R. Diſp. 1. & Præf. Ref. 8.

Depoſita pecuniarum.

10. Nemo pecuniam apud ſe habeat; apud alium verò neque pecuniam, nec quidquam aliud (*x*). Si tamen aliquando concederetur (quod raró tantùm, juſtáſque ob cauſas, junioribus præſertim, & Coadjutoribus permittendum) ut pecuniam quis haberet: ea apud ipſum totius

x Ex. c.4. §.4. & P.6. c.2. §.11. & R. com. 7.

y C. 12. D. 42. Domûs Superiorem deponi debet (*y*). Nemo autem poteſt habere pecuniam depoſitam, vel apud alium, penes quem ejus dominium remaneat; vel apud ſe, ità ut dominium ſpectet ad alium; illáque, annuente Superiore, uti: nam in tali caſu conceſſa facultas nulla, atque irrita, declarata eſt (*z*).

z C. 12. D. 41.

Libri privati interdicuntur.

11. Libros nemo habeat ſinè facultate: in ijs verò, quibus uti licet, nec notam ullam imprimat, nec ſcribat quidquam; & ſi aliquos habet, ſibi peculiariter commodatos, non ſcribat in eis *ad uſum* &c. ſed potiùs nomen Collegij, vel Domûs, cui ſunt applicati. Nec ex uno in aliud Collegium aſportandi erunt, exceptis aliquibus paucis, & quotidiani uſûs libellis; qui communiter à Superioribus cuicumque conceduntur (*a*).

a P.4.c.6. G.& Reg. com.8. & Or.c.4. §.15.& In. 1. §. 8.

Et vecula pretioſæ, ſive ſupervacaneæ.

12. Nullâ ratione permittatur, ut Noſtri apud ſe habeant, ſecúmque ferant quædam pauperibus non convenientia: ùt ſunt horologia rotata, & affabrè facta, imagines multi valoris, reliquiaria curioſa & pretioſa, quæ aurei unius valorem excedant, aliáque id genus (*b*). In Noſtrorum etiam cubiculis non detineantur duplices veſtes, inſtrumenta itinerum, & ſimi-

b C.7. D.80. §. 4. & In.13.c.5. §.3. & Or. c.4. §. 14.

ſimilia, quæ in uſu non ſunt. Viſitentur propterea cubicula ſingulis menſibus; ut hæc ſuperflua apud Cuſtodem veſtium conſerventur (c). Nemo autem ità cubiculum ſuum claudat; quin aperiri extrinſecus poſſit: aut arcam, ſeu quidquam aliud habeat obſeratum, abſque Superioris facultate (d).

c C.7.D.80. §.8 & R.Cuſt.veſt. 5.& In.1. §.5.& In.14. §. 2.

d P.4. c.10.§.5. & D & R. 60. 11.

Facultates petendæ, & raræ ſint ad munuſcula.

13. Nemo rem ullam ex Domo, vel ex alterius cubiculo ſibi uſurpet: aut ab Externo, quovis modo, ſibi, aut alij accipiat, ſinè licentia Superioris (e). Uſus verò accipiendi, mittendíque pia munuſcula, & ſimilia, etiam cum facultate, corrigendus videtur: nec tam faciles ſe Superiores exhibeant in facienda hujuſmodi poteſtate præſertim generali (f).

e P. 3. c. 1. §. 8. & R. com. 9.

f In.13. c.1.§.3.

Itineris agendi ratio.

14. Noſtri itinera pedites conficiant; & in diſpenſando, ut equo utantur, ſolius neceſſitatis, ſive perſonæ, ſive negotiorum, habenda ratio (g). Ijſdem verò ùt neceſſario viatico providendum eſt, ità non permittenda pecunia, undecumque demum corrogata ſit, ad ſuperflua coemenda (h). Commendatur autem Superioribus, nè, dum paupertatis amantes videri volunt, charitas ipſa lædatur; & occaſio detur aliquid patrandi, quod pro-

g C.3. D. 37. & R. Prov. 115.

h Or. c.4. §.12. & In. 1. §.3.

prietatem ſapiat. Quare Provinciales curent enixè; ut impenſis Provinciæ peculiaris quiſpiam locus ſit, ubi inſtrumenta ad iter agendum aſſerventur (*i*).

i In. 14. §. 2.

Quid in universum Superiores, quid omnes præstare debeant.

15. Demum Superiores vigilent; nè quid in Societatem introducatur; quod huic Paupertatis perfectioni adverſetur, & proprietatem ſapiat. Ad quod juverit, ſi neceſſaria à Societate provideantur; & tum Superiores, tum graviores Patres omnibus exemplo præluceant (*l*). Omnes verò diligant Paupertatem, ùt Matrem, ſuíque victûs, veſtitûs, & lecti rationem noverint fore, ùt pauperibus accommodatam; quódque viliſſima, quæ domi ſunt, ijs tribuentur. Æquum eſt enim; ut cum primis Societatis Patribus, qui hujuſmodi indigentiam toleraverunt, una menſura ſervetur ab omnibus, vel etiam ulteriùs quàm illi progreſſi ſunt, poſteri progrediantur. Immo ſuis temporibus aliquos paupertatis effectus experiri convenit; quod Superior curabit, juxta menſuram tamen ſanctæ diſcretionis (*m*).

l In. 1. §. 4.

m P. 3. c. 1. §. 25. & V. & Ex. c. 4. §. 26.

SECTIO

SECTIO II.

De Castitate.

1.

QVæ ad Votum Castitatis pertinent, interpretatione non indigent; cùm constet, quàm sit perfectè observanda; nempe enitendo Angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis nostræ munditia (*n*). Quod effatum S. Fundatoris satis videri poterat; sed quoniam ea quæ huic virtuti adversantur, honori Divino, Societatis existimationi, Proximorum auxilio tantoperè adversantur; ad prævertenda hæc pericula nonnulla præterea statuta sunt (*o*).

Necessitas perfectæ Castitatis in Societate.

n P.6. c. 1. §. 1.

o Cl. c. 5. init.

2. Quæ magna in Societate præsidia sunt ad hunc finem, scilicet Sacramentorum frequentatio, conscientiæ manifestatio, defectuum alienorum delatio, oratio mentalis, duplex examen, frequens librorum spiritualium lectio, otij fuga, studiorum labor, sobrietas, pœnitentiæ, castitatis in ijs, quibuscum vivimus, exemplum, aliáque mox referenda, si non negligantur, permirum est hominem labi posse. Ut ex Novitijs manifestè constat, qui licèt minùs in virtute confirmati, & sæculi pra-

Media ad illam.

vis habitibus incitati, magìs tamen (quod novo suo fervore nihil prædictorum adjumentorum omittant) Divina gratia ju-
p Cl. c.5. §. 1. & 2.
vante, in magna puritate conservantur (p).

Superiorum & Confessariorum studia.

3. Quare Superiores 1. diligentissimè provideant; ut subditi spirituales reverà sint; procedántque cum omni sinceritate, & desiderio perfectionis; atque auxilia, quæ diximus, non prætermittant. 2. Amputent occasiones, quantumvìs ægrè laturum subditum sentiant. Et quamvìs nullum subesset periculum; attamen, vel oblocutionum causas præcidisse, permagnum est. Qui minùs spirituales sunt, periculis non objiciantur; nec ad speciosa munia promoveantur; quæ charos Externis illos faciunt. 3. Si quid usquam accidat (quamvìs id leve sit) quod minùs rectum videatur; commonefaciant, corrigant, & remedium statim adhibeant. Doceantúrque Confessarij, nè ex pia quadam opinione, quam habent de Nostris, venialia o-
q Cl. c. 5. §. 2.
mnia esse ducant (q). Sciántque inter peccata reservata numerari, quicquid est contra Votum castitatis, quod quidem in
r C. 5. D. 51.
actum externum prodeat (r). Interdictū etiam est Nostris, gravi præcepto, ullo mo-

modo probare opinionem admittentem in re Venerea parvitatem materiæ (s).

4. Domi non sint instrumenta rerum vanarum, ùt ad ludendum, & ad *Musicam*, & Libri profani: nec fœminæ admittantur (t). Huc spectant modestiæ Regulæ in Cod. Reg. pag. 143. in quibus universè præscribitur; ut in conversatione Nostrorum appareat modestia, & humilitas conjuncta cum religiosa maturitate (u). Hujus etiam gratiâ nemo alium, quamvìs joco, tangat; præterquam in signum charitatis amplexando, cùm quis aut abit, aut redit peregrè (x); nec ullus cubiculo egrediatur, nisi decenter vestitus; nec dormiat sinè indusio, aut non coopertus (y). Omnes demum diligentissimè curent portas sensuum sorum ab omni inordinatione custodire (z).

5. Jam ad præcavenda pericula cum Externis. Recens promoti Sacerdotes, per duos saltèm annos, ùt ordinarij Operarij in Ministerijs non occupentur; atque intra hoc biennium, & post illud, antequam ad mulierum confessiones exponantur, virorum confessionibus audiendis exerceantur (a). Et universè Provincialis det operam; ut Confessarij maturi sint

s C. 9. D. 24.

Custodia, & conversatio domestica.

t P. 3. c. 1. §. 14. L. M. & Reg. Præp. 36. & 73. & Rect. 36. & 71.

u P. 3. c. 1. §. 4. & R. M. §. 1.

x R. com. 34.

y P. 3. c. 2. E. & R. com. 12. 13.

z P. 3. c. 1. §. 4.

Ministeriũ Confessarij quo pacto administrãdum.

a Or. c. 1. §. 8. & In. 3. §. 1.

ætate, ac multò magìs ſpiritu,& moribus; ij præſertim, qui ad audiendas mulieres mittuntur: quarum confeſſiones non excipiendæ, niſi ad crates, etiamſi ſint puellulæ (*b*). Confeſſionalia patentibus locis conſtituantur, & ſic collocata, ut unus Confeſſarius ſit quodammodo ſocius alterius (*c*). Sacerdotes in audiendis confeſſionibus præcipue fœminarum, ſeveros potiùs ſe, quàm familiares exhibeant. Extra Confeſſionem verò, ſi oportebit eas alloqui, id fiat loco patenti; nec longum ſermonem miſceant; & oculos modeſtè demiſſos habeant (*d*). Ut autem hæc accuratiùs executioni mandentur, immediatus Superior unà cum Præfecto Eccleſiæ, Æditor, & Syndico quopiam ſecreto, obſervent, quomodo in Eccleſia præſcriptæ ordinationes ſerventur: & Conſultores in ſuis literis de hoc ſcribent (*e*).

b C. 7. D. 80. §. 11. 12. & Reg. Prov. 100. & Sac. 15. & In. 3. §. 2.

c In. 25. c. 2. §. 4.

d C. 6. D. 7. & 43. & C. 7. D. 80. §. 13. & R. Sac. 17. & In. 3. §. 3.

e In. 3. §. 5. & In. 15. c. 2. §. 1. & 7.

Fœminarũ viſitationes perraræ, & cum Socio.

6. At ſi quando extra Eccleſias cum fœminis agendum ſit, hæc ſerventur. 1. Nè permittantur Noſtri mulieres inviſere, aut ad eas ſcribere, niſi in neceſſitate, aut cum ſpe magni fructûs, vel propter dignitatem aut merita: & hoc quidem liceat tantùm Viris valde probatis, & prudentibus (*f*). 2. Quando quis à Superiore mit-

f R. Præp. 72. & Rect. 70. & Or. c. 1. §. 9.

mittetur ad Confessiones fœminarum audiendas, vel alia de causa eas adierit; socius eo in loco erit, unde videre eos, non autem audire possit, quantum loci dispositio patietur: quod si non pateretur, curet omninò Sacerdos, nè ostium sit clausum, nec locus obscurus (*g*). Immo in quorumcumque visitationibus, etiam virorum, conentur omnes socium sui testem habere; nisi Personæ dignitas aliud velit (*h*).

g C.6. D.43.& R. Sac. 18. & In. 3. §. 7.

h R. Coad. 5.& Or. c.4. § 3. & In. 15. §. ult.

Qui non admittunt Socium deferendi & puniendi.

7. Ac proinde qui socij munere funguntur, sciant se arctissimè teneri, ubi domum redierint, Superiori, etiam non exposcenti, significare, quæcumque contra hanc ordinationem acciderint. Quod nisi præstiterint, gravem pœnitentiam subire debent prima vice: secunda verò Generali deferendi; ut is deliberet, quid faciendum de hominibus, in re tanti momenti, Societati parùm fidelibus (*i*). Sacerdotes etiam, qui has Regulas non servaverint, serijs monitionibus, & pœnitentijs primò coërcendi, & aliquando præcepto Obedientiæ. Quod si locus, ubi infirmæ jacent, ità angustus sit, ut non admittat Socium, dispiciat Superior, qui statim de hac re monendus, num illò redeundum

i C.6. D.43. & R. Coad. 5. & In 15. cap.2.§. post 9. 1.& 2.

 sit,

l Instr. 3. §. 7. sit, vel potiùs ea cura Parochis relinquenda (*l*).

Interdicitur cura mulierum religiosarum.

8. Præterea vetitum Nostris est, curam suscipere mulierum religiosarum, vel aliarum quarumcumque: ità ut illarum confessiones audiant, vel ipsas regant: neque ad id cogi possumus. Et sicubi opus fuerit, Summus Pontifex rogandus, ut hanc Constitutionem infringi minimè patiatur (*m*). Non repugnat tamen semel unius Monasterij confessiones audire, & aliquando apud eas concionari; quod tamen non fiet, nisi postulent, ij qui præsunt (*n*). At non liceat ad Monialium ægrotantium confessiones excipiendas intrare cœnobia (*o*).

m P.6. c.3. §. 5. & Paul. III. p. 44. Re. Præp. 47. & Rect.68. & C.7. D.56.& C.8. D. 11.

n P. 6. c.3. §.5. & Regulæ proximè citatæ.

o Or. c.2. §. 11.

SECTIO III.

De Obedientia.

I.

Triplex Obedientiæ Gradus, & ad summum enitendum est.

OBedientia tum in executione, tum in voluntate, tū in intellectu debet esse in nobis omni ex parte perfecta (*p*). Obedientia autem executionis tunc præstatur, cùm res jussa cōpletur: voluntatis, cùm ille, qui obedit, id ipsum vult, quod qui jubet: intellectûs demū, cùm quod jubetur, bene juberi existimat (*q*). Ad quam Obedien-

p P.3. c.1. §.23. & P.4. c.10. §.5. & P.6. c. 1. §.1. & Cl. c. 4. initio.

q P. 6. c. 1. C.

entiæ perfectionem consequendam omnibus maximè commendatum sit; ut multum reverentiæ, & præcipuè in interiori homine, suis Superioribus exhibeant; ùt qui Jesum Christum in eisdem considerent, ac revereantur; eosdémque ex animo ùt Patres diligant (r). Jam ut de executione, quæ sub disciplinam cadit, agatur 1. videndum, quibus obediendum sit, 2. circa quam materiam, 3. quis modus tum jubendi, tum parendi servandus.

r P.3. c.1. §. 23. & P.4. c.10. §. 5. & P.6. c. 1. §. 1. 2. & P.7. c.2. §. 1. & A. & P. 8. c.1. D. & P.9. c. 3. §. 20. & Paul. III. pag. 13. & Jul. III. p.65. & Cl. c. 4. §. 9.

Quibus obediendum, & in cujus gratiam.

2. Quoad primum attinet, erit infrà locus, nempe Part. 7. enumerandis classibus Superiorum Societatis, quibus obediendum est, præter Summum Pontificem; cui peculiariter inservire & obedire debet Societas, & hæc ejus prima, & summa obedientia statuitur (s). In citata etiam parte exponetur, quantoperè hæc Superiorum ad invicem perfecta subordinatio custodienda sit, ex præscripto Constitutionum, & præsertim earundem Part. 8. cap. 1. Illúdque huc revocandum, necessarium esse, ut Superiorem locò Christi Domini Nostri agnoscentes multa reverentia, & amore eum prosequantur; quicumque demum ille sit, vel totius Societatis, vel Domûs Superior, vel ex subordi-

s Paul. III. p. 10. & Jul. III. p. 62. & P.6. c. 1. §. 1. & P.7. c. 3. §. 1. & P.10. B.

t Paul. III. p. 13. & Jul. III. p. 65. & Ex. c. 4. §. 29. 30. 31. & P. 3. c. 1. §. 2. 24. & P. 4. c. 10. §. 5. & 8. & P. 6. c. 1. §. 1.

dinatis Officialibus, qui ex illo auctoritatem acceperint (*t*).

Quæ gravis inobedientia.

u C. 7. D. 45.
x C. 5. D. 51.

3. At si quis ex Fratribus Ministro aliquid jubenti, licèt non præcepto in virtute S. Obedientiæ, diceret: *Nolo facere*, incidit in casum Superiori reservatum (*u*), qualis est etiam Inobedientia quæcumque alia & expressa, qua quis asserit se nolle parere (*x*).

Intercessiones quatenus permissæ aut vetitæ.

y Or. c. 4. §. 12. & Cl. c. 4. §. 4.

z P. 7. c. 2. K.

4. Præter eos, ad quorum officium aliqua ratione pertinet, nemo alterius cujuspiam è Nostris negotium tractandum, & expediendum suscipiat. Quod si quid proponendum videretur; id nonnisi zelo boni communis, aut spiritualis consolationis alicujus, réque priùs Domino commendata, præstet (*y*). At absolutè prohibetur, nè quis Principem, Communitatem, aut hominem quemvis magnæ auctoritatis ad petendum aliquem de Societate moveat (*z*). Ad cujus Constitutionis confirmationem, propter proserpentia Externorum patrocinia, cùm sæpius actũ esset de aliquo efficaciori remedio statuendo; Primò decretum est; eum, qui Externos sibi, aut alteri patronos, aut intercessores apud Superiores paràsse deprehensus fuerit, pro delicti qualitate punien-

endum; ut vel à prætenſa re omninò excludatur; vel ad certum tempus ab omni in Societate dignitate obeunda removeatur; vel voce tam activa, quàm paſſiva privetur; vel aliâ pœnâ mulctetur. Conſcij verò parari has interceſſiones, etſi non emendicatas, vel pro ſe, vel pro alijs, tenentur eas indicare Superioribus, & quantum in ipſis eſt, impedire. Quod ſi neglexerint, Superiorum arbitrio & ipſi puniendi (*a*). Poſtmodum cùm impoſitum aliquibus Provincijs Præceptum à P. N. Mutio in hac materia, expenſum fuiſſet in Congregatione octava, illi ſuum robur relictum eſt, quatenus in virtute S. Obedientiæ, & ſub peccato mortali prohibet; nè quis ad obtinendum, vel impediendum quidpiam, tam circa locum, quàm circa occupationem ſuam, vel aliorum de Societate, procuret, vel admittat interceſſiones, aut patrocinia Externorum, vel eorum operâ ullatenus utatur apud Superiores; exceptis dumtaxat ijs, qui ratione univerſalis curæ in Eccleſia auctoritatem habent (*b*).

a C. 5. D. 14. & 49. & C. 7. D. 22.

b C. 8. D. 24.

Explicatio præcepti lati cōtra interceſſiones.

5. Hoc tamen præceptum poſtea mitigatum eſt, abrogando eam partem, quæ vetabat admittere interceſſiones: quod verò

verò pertinet ad illas non procurandas, ità intelligendum; ut sermo tantùm sit de intercessionibus, quæ liberam Superioribus gubernationem non relinquant (*c*). Tales autem censeri debent, quæ Superiores impediunt; aut saltèm difficilem eorum gubernationem reddunt, quò minùs pro suo judicio, ac voluntate, juxta Institutum nostrum, de rebus, & personis sibi subjectis disponant. Ac demum, ut remedium universale contra hujusmodi pestem pro tota Societate constitueretur, illud præceptum ad omnes Provincias extensum est (*d*). Insuper declaratum; eos qui emendicato Externorum auxilio, contra Superiorum voluntatem, novarum Provinciarum erectiones extorquere conantur, esse Societatis perturbatores, & subjectos omnibus perturbatorum pœnis (*e*). Perturbatores autem hujusmodi contra Institutum, & Gubernationem nova molientes, & inquirendi sedulò, & severissimè puniendi (*f*).

c C. 9. D. 24.

d C. 10. D. 18.

e C. 9. D. 5.

f C. 5. D. 54. & C. 6. D. 2. & C. 9. D. 25. & Paul. V. p. 305.

Commendatur dependentia à Superioribus è Societate.

6. Quare deferant potiùs omnes ad Superiorem suum res, quæ eis expetendæ occurrerint: nec privatus quispiam directè, vel indirectè sinè ejus facultate, & approbatione à Summo Pontifice, nec ab alio

extra

extra Societatem, gratiam ullam, ac nè Miſſiones quidem, in ſuum privatum, vel alterius uſum petat, aut petendas curet; ſibíque perſvadeat, ſi per Superiorem ſuum, vel cum ejus conſenſu, quod optat, non obtinuerit; nè id quidem ad Divinum ſervitium convenire (*g*). Et ut vigor diſciplinæ hujuſmodi meliùs conſervetur; voluit Summus Pontifex, ut à correctione Regulæ appellari, aut talis apellatio admitti, ſeu ab officijs abſolutio, aut privatio peti non poſſint. Et tam Generalis, quàm alij inferiores Præpoſiti Noſtros, Eccleſiarum Prælatis in Socios, aut ad ullum eorum miniſterium deputare, minimè teneantur; niſi auctoritate S. Sedis: & deputati ſub Ordinis correctione exiſtant; & eoſdem removere poſſint. Qua etiam facultate pollent erga eos, qui ad prædicandam Crucem, vel ad inquirendum contra hæreticam pravitatem, & ſimilia, miſſi fuerint (*h*).

g Paul. III. p. 12. & Jul. III. p. 64. & P. 6. c. 1. §. 3. & P. 7. c. 1. §. 2.

h Paul. III. p. 39.

7. Quin & ad Superiores mediatos intra ipſam Societatem non debent facilè recurſus aut patere, aut nimis prodeſſe. Quod ſi rei gravitas aliud ſvadeat; tunc exponendum eſt, cur, à Superiore immediato id aut non petatur, aut non conceda-

Et ab immediatis in ſanctâ ſimplicitate,

da-

i C.6. D.37. §. 2. 3. 4. & Re. com.23. & Re. Cōſ.7. & form. ſcrib. §. 10. & In. 9. §.5. 6. & In. 18. §. 12.

datur; interímque huic parendum (i). Præterea quæ à Superioribus circa administrationem agenda ſunt, nemo curiosè ab alijs exquirat, aut conjecturam faciendo, de ijs ſermonem miſceat: ſed unuſquiſque ſibi, ac muneri ſuo attendens, quidquid de ſe, atque alijs conſtituendum erit, tanquam de manu DEI expectet (l).

l Re. com. 21.

Materia obedientiæ amplisſima.

8. Ipſa verò Obedientiæ materia, circa quam exerceri debent homines Societatis, latiſſimè patet: nam comprehendit omnia ea, in quibus nullum eſt manifeſtum peccatum; quantumvis difficilia, & ſecundùm ſenſualitatem repugnantia, ſi præcipiantur. Immo debet aliquando Superior occaſionem præbere exercendæ Obedientiæ, tentando ſubditos eo modo, quo DEUS tentavit Abraham; ſervata tamen proportione diſcreta, juxta uniuſcujuſque vires (m). Quapropter ea tantùm intelligenda ſunt conſtituere poſſe Noſtræ Obedientiæ materiam, quæ ad propoſitum Societati finem conducunt (n). Quæ quidem ampliſſimæ Obedientiæ materia extraordinaria dici poteſt; quando nempe Superior juſſerit. At ordinaria, ad quam ſpeciale Superioris mandatum non requiritur,

m Paul. III. p. 13. & Jul. III. p. 64. & P.3. c. 1. §.23. & V. & P. 6. c. 1. §. 1. & B.

n Paul. III. p. 13. & P. 9. c. 3. §.20. & P.6. c. 1. §. 1. & c. 5.

ritur, est omnium Constitutionum & Regularum absoluta & perfecta observatio (*o*).

o P. 6. c. 1. §. 1. & c. 3. §. 3. & c. 5. & P. 10. §. 13. & C. 4. D. 22.

9. Circa obediendi verò modum exteriorem (nam de interiori suprà dictum est) 1. non expectandum Superioris imperium, sed etiam in rebus non obligatorijs, ubi tantùm signum voluntatis ejus appareat, obediendum est. 2. Promptissimi sint ad parendum Superioris voci, aut campanæ signo, re quavis, atque adeò literâ inchoatâ, necdum perfectâ, relictâ (*p*). 3. Obedientia præstanda, sinè excusationibus, & murmurationibus, immo cum spirituali gaudio, & perseverantia (*q*). His autem non repugnat, post orationem, proponere simpliciter Superiori, quæ in contrarium occurrunt; subjiciendo suum sentire, & velle ei, quem Christi Domini nostri loco quis habet (*r*).

Obediendi ratio.

p P. 6. c. 1. §. 1. & P. 4. c. 10. §. 9. & R. com. 15.

q P. 3. c. 1. §. 23. & P. 4. c. 10. §. 5. & P. 6. c. 1. §. 1.

r Ex. c. 8. A. & P. 3. c. 2. §. 1 & P. 5. c. 4. F. & P. 7. c. 2. I.

10. Quis verò sit in jubendo modus servandus, distinctiùs tractabitur infrà Part. 6. & 7. ubi de superiorum obligationibus agendum erit: id tantùm hìc videtur adjungendum. Licèt tantoperè exoptet Societas universas suas Constitutiones observari, cùm tamen cupiat suos omnes securos esse, vel certè adjuvari, nè

Quod genus obligationis inducatur ex Obedientia.

incidant in laqueum ullius peccati: visum est, exceptis Votorum obligationibus, nullam Constitutionem, vel ordinem ullum vivendi posse obligationem ad peccatum mortale, vel veniale inducere; nisi Superior ea in Nomine Domini Nostri JESU CHRISTI, vel in virtute Obedientiæ juberet: & loco timoris offensæ succedat desiderium omnis perfectionis (s).

s P. 6. c. 5.

Quæ jubendi forma.

11. Et universè conferet circumspectè, & ordinatè præcipere, eo modo curando subditos in Obedientiæ officio continere, ut Superior omni benevolentia, & modestia, & charitate in Domino, quod in ipso est, utatur: ità ut subditi se potiùs ad dilectionem majorem, quàm ad timorem suorum Superiorum possint componere; quamvìs aliquando utrumque sit utile (t). Hæc autem B. Patris admonitio locum non habet, cum ijs, qui plerumque difficiles se Superiori præbent: longéque distant à perfectione Obedientiæ in Constitutionibus descripta (u).

t P. 3. c. 1. N. & P. 8. c. 1. G.

u Cl. c. 4. §. 9.

SECTIO IV.

De reddenda ratione Conscientiæ.

I.

Utilitas & momentum hujus medij.

OBedientiæ Voto aptè subditur tractatio de aperienda Conscientia, quia ma-

maximè hæc refertur ad Obedientiam. Quantò enim exactiùs Superiores omnia, ſive interna, ſive externa ſuorum noverint, tantò majori cum diligentia, amore, & ſolicitudine eos juvare poterunt; nec in periculis, vel laboribus gravioribus, quàm in Domino ferre ſuaviter poſſint, illos conſtituent (*x*). Opportunè etiam poſt Vota Religionis ſubſtantialia collocatur medium unum ex ſubſtantialibus noſtri Inſtituti; qualis eſt obligatio reddendi Superiori rationem conſcientiæ ſuæ (*y*). Eſt igitur res apprimè neceſſaria, & accuratiſſimè nobis à S. Fundatore commendata (*z*), & ex qua bene transacta ingentes utilitates percipiuntur (*a*).

x Ex. c. 4. §. 34. 35. & P. 3. c. 1. §. 12. & P. 4. c. 10. §. 5. & P. 6. c. 1. §. 2. & C. 4. D. 40. & In. ad red. rat. conſc.

y C. 5. D. 58.

z Inſt. ad red. rat. con. & In. 11. §. 1.

a In 11. §. 1. & 3. & In. 13. c. 2. §. 2.

Quoties reddenda conſcientiæ ratio.

2. Quicumque igitur hanc Societatem in Domino ſequi volet, ſub ſigillo Confeſſionis, vel ſecreti, vel quacumque ratione ei placuerit, debet conſcientiam ſuam magna cum humilitate, & charitate manifeſtare; re nullâ, quâ Dominum univerſorum offenderit, celatâ: & totius anteactæ vitæ rationem integram, vel certè rerum majoris momenti Superiori, qui tum fuerit Societatis, vel cui ex inferioribus ille injungeret, reddat. Et ſexto quoque menſe rationem hanc ſui, ab ultima,

quam reddiderit, incipiendo, quisque reddet. Sic etiam videtur, quòd Coadjutores formati, & Professi, singulis annis, vel crebriùs si Superiori videbitur, suæ conscientiæ rationem dicto modo ei reddant (*b*).

b Ex. c.4.§ 34. &c. & P 3. c.1. §. 12. & P.4. c. 10. §.5. & P. 6. c. 1. §.5. & Re. com. 4. & Re. Prov. 131. & R. Præp. 23. & R. Rect. 22.

De quibus reddenda.

3. Nullam igitur debent celare tentationem, quam Præfecto rerum spiritualium, vel Confessario, vel Superiori non aperiant: immo verò, totam animam suam illis integrè manifestam esse, pergratum habeant. Nec solùm defectus aperiant, sed etiam pœnitentias, & virtutes omnes (*c*); & præterea quæ Provincialis in Visitatione duxerit interroganda (*d*). Porrò distinctior enumeratio eorum quæ aperienda sunt, dum redditur conscientiæ ratio, habetur in Instructione ad hanc ipsam rem confecta, quæ codici Regularum inserta est, pag. 144.

c P.3. c. 1. §. 11. 12. & Q.

d R. Prov. ult.

A Superioribus quo pacto exigenda.

4. Atque ut hæc rectè fiant, maximè necessarium est; ut Superiores rem promoveant, & 1. curent, ut ab inutilibus occupationibus liberi, toti in subditorum suorum internam, curam, & spiritualem profectum omninò incumbant (*e*). 2. Benevolentiâ, & comitate debent allicere subditos, nè se totos eis aperire pertimescant;

e Inst. 13. c. 2. §. 2.

ſcant; intelligántque ſe non Judici; ſed Patri manifeſtare (*f*). 3. Maximoperè ſibi injunctum ſciant, graviſſiméque præſcriptum, nè hac notitia ità utantur, ut ſubditorum animi offendantur: nihil omninò cuiquam, ac nè ipſi quidem Generali, ſeu Provinciali innuendo (*g*). Et Provincialis inter viſitandum diligenter cognoſcat de hac Superiorum fide: détque operam, ut pro culpæ gravitate in eum animadvertatur, qui in eo genere ſolutior fuerit (*h*). 4. In exhortationibus crebrò tam ſanctum & neceſſarium morem inculcent, atque explicent ex Conſtitutionibus, SS. Patribus, & Theologia. Et ùt minimè cogere debent ſubditos ad aperiendam conſcientiam extra confeſſionem; ità ſummoperè laudandi, qui ſemotis ijs, quæ propriè ad Confeſſionem pertinent, extra Confeſſionem eam aperiunt (*i*).

f R. Prov. ult. & R. Præp. 26. Rect. 25. & In. 11. §. 1. & 3. & In. 13. c. 2. §. 2.

g C. 12. D. 15. & In. 11. §. 1, 2. & Or. c 1. §. 17.

h Inſt. 11. §. 3.

i Inſt. 13. c. 2. §. 2. 3.

CAPUT III.

De Charitate inter Noſtros.

I.

PRæter eam unionem, quam cum Superioribus habere ſinguli debent, perfecta Obedientiæ virtute, & ſuæ conſcientiæ manifeſtatione, curanda & alia eſt

Ejus Præſidia ordinaria.

inter reliqua membra, vinculo charitatis, & mutui amoris, quæ in tot præsertim Nationum collectione ingens gloria Societatis est (*a*). Quare idem sapiamus, idem dicamus omnes, exclusis, quoad fieri potest, doctrinis differentibus verbo, vel scripto, immo & in rebus agendis judiciorum diversitate: & si ulla inter domesticos perturbatio, vel ira accideret, curandum, ut in gratiam invicem redeant (*b*); intérque præcipuas Ministri curas erit, animos Patrum & Fratrum inter se per benevolentiam unire (*c*). Ad eundem finem mutuæ benevolentiæ juverit crebra communicatio, & rerum mutua notitia, & in omnibus rebus uniformitas (*d*). In concionibus verò domesticis unio & charitas fraterna præcipuè commendanda (*e*). Inter præcipuas etiam conjunctionis causas numerari debet, liberalior in Nosttos hospitalitas: erga quos charitatem magnam Superior exhibeat; &, si indigeant aliquâ eleemosynâ, eos juvare Superior poterit. Sed à nullo omninò Nostrorum Hospitum in hospitalitatis compensationem quidquam exigendum; & si spontè offeratur, non admittendum, nisi prout permisit Congreg. 7. Decr. 18.

a Paul. V. pag. 305.

b P. 3. c. 1. §. 18. & P. & P. 8. c. 1. §. 8. & K. c. 6. §. 8. & P. 10. §. 9. & R. com. 28. & R. Min. 13.

d P. 10. §. 9.

e P. 3. c. 1. §. 21.

Qui

Qui verò iter faciunt, ubi Societas habet domicilium, ad aliud hoſpitium nè divertant (*f*).

f P. 4.c.2. F.& P.6.c.2.D.&R. Præp,82. & R. Rect. 80. & C. 7. D. 18. & R. com. 48.

Correctio fraterna per Superiorem.

2. Manifeſtare ſeſe invicem ac manifeſtari ſint parati, debito cum amore, & charitate; præſertim ubi à Superiore fuerint interrogati (*g*). Quæ Conſtitutio ulteriùs explicata eſt; declaratúmque 1. Licitum eſſe, manifeſtare Superiori, ùt Patri, quodcumque delictum alterius, ſive grave ſit, ſive leve. 2. Cùm Novitij hujuſmodi Conſtitutioni aſſenſum præbuerint; eo ipſo Noſtros cedere cuicumque juri famæ, quod huic manifeſtationi obſtare poſſet. 3. Non manifeſtanda, quæ ſecretò, & conſilij petendi gratiâ, quis communicavit. 4. Non expectandum neceſſariò Superioris præſcriptum. 5. Qui manifeſtat, non debere duci aliquo inordinato affectu; propterea jubet Conſtitutio, ut debito cum amore, & charitate fiat. 6. In delictis, quæ vergunt in damnũ boni communis, vel tertiæ perſonæ, non ſolùm quemque poſſe, ſed debere uti denunciatione paterna. 7. Et quando ea denunciatio non ſufficeret, teneri ſubditum ad denunciationem judicialem faciendam (*h*). Quomodo àutem Superior ſe debeat

g Ex. c.4. §.8.

h C. 6. D.32.& Or. c.15. p.1.

gerere in denunciatione paterna, vide infrà cap. 6. §. 6.

Cavenda nationum studia & factiones.

3. Porrò ad præcidendos dissensionum fontes, caveant sibi omnes ab illo affectu, quo aliæ de alijs Nationibus sinistrè sentire, aut loqui solent: quin potiùs & bene sentiant; & peculiari affectu diversas à sua Nationes prosequantur in Domino. Ac proinde nemo bella, contentionésque inter Christianos Principes in colloquium adducat (*i*). Ad mutuam etiam Charitatem servandam occasione Cengregationum, multa salubriter statuta sunt; quæ habes in earum Formulis; & præsertim cap. tertio Form. Congr. Gen. & Prov.

i P. 10. §. 11. & R. com. 30.

Interdictæ divisiones earundem intra eandem Provinciam.

4. Non expedit Missionibus, licèt illustrioribus, concedere Superiores ex sua natione; qui omnibus per varias Societatis Provincias sparsis præsint. Nec illis permittenda è sola gente sua Nostrorum Seminaria: consultiúsque est, recepto in Societate omnium gentium more, alijs de Societate permisceri; nè Nationum discrimina paulatim, magno Societatis totius damno, introducantur. Sed neque permittendum, ut in ijs Urbibus, in quibus Societas Collegia, studiáque sua habet, pariter è sola ipsi gente sua Professores

res habeant cujuſcumque facultatis, multóque minùs Superiores. Quin omnes ubique Miſſionum harum ijs Aſſiſtentibus, & Provincialibus ſubjacere debent, in quorum Provincijs ſedem fixerunt, nullâ illis exemptione conceſsâ: & ſi quid uſpiam tentatum eſt, aut expletum contra hæc Decreta, P. Generalis ad præſcriptam formam revocet (*l*).

l C. 7. D. 21.

Pœna in Auctores diſſenſionum.

5. Diſſenſionis verò auctores, velut noxia maximè peſtis, diligentiſſimè ſeparandi ſunt, vel omninò eos à Societate dimittendo, vel transferendo in alium locum (*m*). Et inter peccata, quorum abſolutio in Societate Superiori reſervatur, numeratur ſexto loco detractio famæ, bonæque exiſtimationis aliorum, & diſcordiarum ſeminatio, inter fratres (*n*). Falſi autem delatores detractoréſque ſeverè admodum puniendi; & qui eos manifeſtare recuſaverint, pro ipſis calumniæ auctoribus habendi, eadémque pœnâ mulctandi (*o*). Contra Perturbatores verò communis quietis, & impugnatores Inſtituti Societatis acriter inſurrexit C. 5. D. 54. quod inſertum eſt Bullæ Pauli V. pag. 305. ubi ſtatuitur hujuſmodi homines graviter plectendos eſſe; quin & ejiciendos è Socie-

m P. 8. c. 1. §. 5. & F. & P. 2. c. 2. D. & C. 5. D. 13 & R. Prov. 128.

n C. 5. D. 51.

o C. 7. D. 12. & 93. & C. 12. D. 18. & In. 13. c. 4. §. 1. 2.

tate, licèt Professi fuerint. Quibus accensendi sunt, qui emendicato Externorum auxilio moliuntur novarum Provinciarum erectiones, aut legitimas earundem divisiones impedire conantur (*p*); & qui libellis scriptis, aut impressis Sociorum vivendi, aut gubernandi modum, aut Superiores traducunt: quíque ità palàm, ac passim de Instituto obloquuntur; ut censeri possint velle alios in suam sententiam pertrahere (*q*).

p C. 9. D. 5.

q C. 9. D. 25.

De Charitate adhibenda erga nostros Infirmos, infrà cap. 8. sect. 2. De Charitate exercenda erga Externos erit locus inferiùs, ubi de ijs juvandis sermo instituetur, P. 5. cap. 3.

CAPUT IV.

De Humilitate, & Abnegatione sui interna, externáque.

I.

Ambitionis studia graviter interdicta.

PRæter ea, quæ ad eliminandam ambitionem, atque adeò sternendam Humilitati Euangelicæ viam, Professi DEO vovent, & tractata suo loco sunt: hìc solùm addendum, omnibus Nostris versantibus in regionibus, Tribunali Hispanicæ In-

Inquisitionis subjectis, præceptum esse, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; nè quisquam per se, vel per alium, præsumat procurare, vel ambire officia Consultoris, & Qualificatoris (*a*). Alia præcepta contra ambientes in Congregationibus, legenda in earum Formulis. Jam verò breviter indicanda nonnulla, quæ ad hujus virtutis perfectionem assequendam, profitendámque nobis præscribuntur.

a C. 5. D. 28.

Desideria abjectionis.

2. Primò igitur quoad dispositionem animi spectat, rem esse summi momenti, ad vitæ spiritualis profectum, omnes intelligant; omninò abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat; & admittere, & concupiscere, quidquid Dominus noster amavit, & amplexus est: adeò ut, si absq; proximi peccato fieri posset, vellent injurias, & contumelias pati; ut imitari Christum Dominum aliquo modo possent (*b*).

b Ex. c. 4. §. 44.

Exercitamenta ejusdem.

3. Ut meliùs ad hunc perfectionis gradum perveniatur; maximè studeant quærere in Domino majorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad fieri poterit, mortificationem (*c*); & in exercendis officijs abjectis, & humilibus promptiùs ea suscipi convenit; à quibus sensus magìs abhorrebit (*d*).

c Ex. c. 4. §. 46.

d Ex. c. 4. §. 28. & P. 3. c. 1. §. 13. & 22. & R. Præp. 30. & R. 29.

Et quia ad progressum in virtutibus faciendum, multum confert antiquiorum exemplum; qui præest alijs, & omnes alij Sacerdotes, qui ei videbuntur, aliquando intrà annum officia eorum, qui inserviunt Domi, ad tempus aliquod obibunt. In vestitu etiam, victu, & usu reliquarum rerum vitæ necessariarum ea moderatio adhibenda; ut in omnibus habeatur ratio debitæ humilitatis, & submissionis (*e*).

e P.6. c.2. §. 15. 16.

Honor alijs deferendus.

4. Alios sibi quisque superiores ducat; cum eis dum loquimur, cavendum ab omni impatientiæ, ac superbiæ signo: optaréque debemus potiores partes illis deferre: exhibendúsque exteriùs honor, cuique debitus, cum simplicitate, & moderatione religiosa (*f*). Quare nomen illud honorificum *Don*, ubi est insigne nobilitatis, omninò sublatum est (*g*). Et quamquam in mensa Sacerdotes, alios ad eum gradum non promotos præcedere debent; inter ipsos tamen Sacerdotes, aut Laicos nullus est ordo constituendus (*h*). Loca etiam certa minimè accipient in Universitatibus, qui ad Gradus literarios promoti sunt: sed simul omnes extra numerum se constituant (*i*): & pari simplicitatis humilitatísque Euangelicæ studio, si

f P.3. c. 1. §.4.

g C. 2. D. 85.

h C. 1. D. 106.

i P.4. c.6. §.17. & c. 15. §. 4.

ſi quando cogemur ad publicas ſupplicationes procedere, locum tenebimus nobis deſignatum ab ijs, qui nos vocârunt (*l*).

i C. 3. D. 35.

Corporis afflictationes quatenus uſurpandæ.

5. Quamvìs ſingulis commendetur ſtudium quærendi in omnibus continuam mortificationem (*m*); ratio tamen vivendi in exterioribus communis eſt; nec ullas ordinarias pœnitentias, vel corporis afflictiones, ex obligatione ſubeundas, habet: ſed illas aſſumere quivis poterit; quæ ſibi videbuntur, cum approbatione Superioris, aut Confeſſarij, ad majorem ſui ſpiritûs profectum convenire: & quas, propter eundem finem, Superiores eis poterunt imponere (*n*). Non debet autem corporis caſtigatio eſſe immoderata; ut nocumentum afferre, & majora bona impedire poſſit: ſed ità temperanda, ut ad neutrum extremum rigoris, vel diſſolutionis declinetur (*o*).

m Ex. c. 4. §. 46.

n Ex. c. 1. §. 6. & P. 3. c. 1 §. 12. & c. 2. §. 5. & P. 6. c. 2 §. 16. & R. Præp. 31. Rect. 30.

o P. 3. c. 2. §. 5. & P. 6. c. 3. §. 1. & P. 10. §. 10. & R. Præp. 32. & Rect. 31.

Iejunia quæ indicta, aut permiſſa.

6. In Abſtinentia quidem ſextæ feriæ conſvetudo Societatis ſervanda; & Ieiunium in pervigilio S. P. N. Ignatij per Societatem indictum eſt (*p*). At Jejunium, ſeu Abſtinentiam in Adventu univerſaliter præſcribere, non viſum eſt expedire. Quod ſi alicubi ad vitandam offenſionem Externorum, aliud ſtatui oporteret; Ge-

p R. com. 5. & C. 7. D. 16.

ne-

neralis est in hujusmodi Urbibus, seu Provincijs, eam praxim inducere; qua & declinetur offensio, & Nostri ad ea jejunia obstricti non censeantur. Ceterùm cùm declaratum sit universè ad singularitatem non pertinere, si quis jejunet alijs non jejunantibus, & Superiores id volentibus concedere possint, immo & facultatem ad jejunandum præstare debeant; tempore Adventûs se faciliores præbebunt (*q*).

q C. 1. D. 96. & C. 5. D. 27. & C. 6. D. 9. & RR. sup. cit.

Pœnitentiæ secretæ commendandæ.

7. At Pœnitentiarum secretarum usus, sicubi non ità viget, excitandus à Superioribus in exhortationibus extráque illas in privatis colloquijs, in ijs præsertim, qui juvenes sunt; frenatis pariter, qui hoc in genere proveherentur ulteriùs, quàm recta ratio permittat. Ad omnium verò instructionem legenda interdum publicè epistola P. N. Claudij de usu pœnitentiarum (*r*).

r In. 13. c. 6.

CAPUT V.

De Disciplina domestica.

1.

Regularum necessitas.

QUamvìs Divina Bonitas, quæ Societatem inchoavit, illam etiam conservatura sit; ex parte verò nostra, interna Amoris Divini lex ad id maximè conferat: quia

quia tamen, & exemplo, & ratione docemur constituendas esse leges; quibus ad susceptum vitæ cursum tenendum, incitandúmque juvemur (*a*); plurimæ sunt constitutæ, non modò utiles ad excolendum animum Nostrorum, ùt proximè expositum est, sed etiam ad externam politiam; qua ordo, & disciplina domestica continentur: & hæ diligenter servandæ sunt (*b*).

a P. 1. Procem. §. 1. & P. 10. §. 1.

b P. 10. §. 4.

Quibus potissimùm exterior disciplina contineatur.

2. Huc faciunt pleræque ex Regulis tum communibus, tum particularibus Præpositi, seu Rectoris; Ministri, Subministri, aliorúmque Officialium inferiorum, quas in Codice Regularum videre est, & condendas esse sæpius in Constitutionibus præscribitur (*c*); Monita Generalia ex varijs Ordinationibus, ac Decretis eruta (*d*), & Ordinationes etiam varij generis, quæ in distinctos libros in singulis domibus servandos relatæ ad praxim summopere conferunt (*e*).

c P. 1. Procem. decl. & P. 4. c. 10. §. 6. & P. 7. c. 4. §. 12.

d Ord. c. 4.

e Ord. c. 8. & C. 7. D. 90.

Ordo domesticus unde petendus.

3. In Reg. Præpositi, & Rectoris habetur caput 5. de Ordine domestico, ubi præcipuarum Actionum tempus, & modus præscribitur. Ex quibus omnibus conflatur exactissima norma Disciplinæ religiosæ. Locos, indicâsse sit satìs; cùm

præ-

præſertim multa jam allata ſint alibi, aut poſtmodum referenda, quando id materia poſtulaverit; videri etiam poſſunt, quæ infrà Part. 7. c. 3. ſect. 6. & 8. dicuntur per Superiores à Subditis exigenda. Non omittenda tamen hìc aliqua; vel quia ab ipſomet S. Fundatore ſtatuta fuerunt, vel quia majoris momenti videntur.

Silentium inter Noſtros.

4. Inter Religioſæ Domus præcipua ornamenta reponi ſilentium pro comperto eſt: illud nobis ſervandum eſſe præſcripto tempore Conſtitutiones jubent (*f*). Id autem eſt omne, quod extra tempora Recreationi aſſignata decurrit. At ſilentium ea ratione ſervandum eſt; ut nemo loquatur, niſi obiter, & perpaucis, aut de rebus neceſſarijs, præſertim in Eccleſia, Sacriſtia, & Refectorio: in Miſſa verò, concione, menſa, lectionibus, & diſputationibus, ſi quid privatim dicere neceſſe erit, breviſſimè, & ſubmiſsâ voce ſuggeratur (*g*). Nemo in alienum cubiculum ingrediatur, ſinè generali, aut ſpeciali Superioris facultate: quod ſi aliquis intus ſit, non priùs aperiat oſtium, quàm poſt pulſum audiat, *ingredere*: & tamdiu aperta ſit janua, quam diu intus unà fuerint (*h*). Et cum foras eundum erit, minimè loqui li-

f P. 3. c. 1. §. 4.

g R. com. 26. & Or. c. 4. §. 21. & In. 13. c. 3. §. 1. & C l. c. 3. ê. 9. & R. Submin. 4.

h P. 3. c. 1. D. & R. com. 33.

licebit intra Urbem, ubi frequens est populus. Et qui mensæ inserviunt, noverint eandem legem sibi servandam esse (*i*). Ad custodiam verò harum ordinationum invigilare debent Superiores, & exhortationibus, admonitionibúsque, tum etiam interdictâ recreatione nimiùm loquacibus, aliísque usitatis pœnitentijs silentij observationem urgeant: quod facile Nostris deberet esse; cùm aut occupati plerumque simus, aut concessis per intervalla sermonibus recreati (*l*).

i Or. c.4. §.21. & In. 13. c. 3. §. 2. 3.

l In. 13. c. 3. §. 1. & Cl. c. 3. §. 9.

5. Et hæc quidem permissa Colloquia, quam Recreationem appellamus, ut religiosè transigantur, nonnulla servanda sunt. 1. A prandio, & cœna una hora, diebus autem Veneris, post collationem vespertinam, dimidia Recreationi religiosè impendatur: ídque in uno loco, si commodè fieri poterit (*m*). Sed feriâ quartâ hebdomadæ sanctæ, post decantata officia tenebrarum, usque in feriam sextam inclusivè, ab omni Recreatione abstinendum erit (*n*). Sicut ab ea cessandum statim, ac datum est signum ad finem Recreationis. Qui tamen Mensæ ministraverunt, poterunt secundæ Recreationi interesse (*o*). Omnes demissè loquantur,

Quæ permissa Colloquia.

m Reg. Præp. 56. & Rect. 55. & C. 6. D. 6. Or. c. 4. §. 21.

n C. 7. D. 34.

o Or. c.4. §.21. & In. 13. c. 3. §. 1. & 3.

p P.3. c. 1. §.4. & R. com. 28.

& cum circumſpectione, & ædificatione verborum (*p*); amandatis rerum ludicrarum narratiunculis, ac libertate indecora: deſignentúrque idonei Syndici; ſubmittantúrque ſecretò boni aliqui, ac ſpirituales, qui ſermones ſanctos, & Religioſæ recreationi convenientes inducant. Pro quorum materia propoſitus eſt Catalogus confectus à P. Natali. Et quia in Cong. 6. non pauci conqueſti ſunt Recreationis tempus minùs religiosè tranſigi; seriò actum de ea contrahenda. Sed cùm nihil novi tunc placuiſſet inducere; decretum, ut aliâ viâ prædicto incommodo occurreretur. Et probata eſt Inſtructio à PP. deputatis in hanc rem confecta (*q*).

q C. 6. D. 6. & 38. & C. 7. D. 80. §. 5. & Or. c. 4. §. 22. & In. 13. c. 9. & Cl. c. 3. §. 10.

Otium vitandum.

6. Ad Religioſam diſciplinam cuſtodiendam mirum quantum facit otij fuga: id enim eſt malorum omnium origo, & propterea, quoad ejus fieri poterit, Domi noſtræ locũ non habeat. Sed omnes, quamdiu corpore bene valent, in ſpiritualibus, vel exterioribus rebus habeant in quo occupentur (*r*). Superiores propterea 1. ipſi exemplo ſuo ad operandum alios incitent; ità tamen, ut non omnia per ſe præſtent; præſertim nobiliores actiones, ſed dividant eas cum ſuis. 2. Invigilent ut aptis loco

r P. 3. c. 1. §.6. & P. 4. c. 10. §. 6.

loco exercitationibus Nostri occupentur; nec facilè illorum excusationes admittant (*s*). Occupationes verò, quibus Nostri vacare debent, aliæ ad spiritum singulorum pertinent, aliæ ad studia, aliæ ad Proximos, & videri possunt Instr. 4. & commendantur Inst. 3. §. 15. & Reg. Præpos. 38. *s* In. 4. §. 4.

Cum Externis cautela.

7. Quædam ad disciplinam pertinentia Externos respiciunt, & alibi referentur; quia spectant ad leges, quibus ministeria Societatis in bonum Proximorum diriguntur. Attamen hìc delibanda sunt aliqua, quibus cautum videtur domesticæ disciplinæ, respectu illorum. Domi igitur nemo loquatur cum Externis; aut alios ad id vocet, sinè facultate generali, aut particulari Superioris (*t*). Externi nè excipiantur hospitio, ut domi pernoctent; nisi ij sint, quibus multum debeatur; aut id officij, sinè magna offensione, prætermitti non possit (*u*). Nemo cujusquam Externi ad Domesticum, aut Domestici ad Externum mandata deferat, aut literas inscio Superiore. Seculares autem rumores, qui foris audiuntur, ne temerè, & sinè fructu narrentur; aut quæ domi acta, vel agenda sunt Externis referantur, nisi Su-

t R. com. 36. & R. Jan. 8.

u R. Præp. 82. & Rect. 81.

x R. com. 37. & 38. periore approbante (*x*). Superior, aut ab
y Ex. c. 4. §. 6. & P. 3. c. 1. B. & R. Præp. 35. Rect. 35. eo designatus aliquis, videat scripta, & literas omnes, quæ scribuntur ad Domesticos, & quas ipsi alijs scribunt (*y*),

Peregrinantium leges.

8. Præter ea, quæ dicta sunt ad præsidium castitatis sub hujus titulo, ùt de Socio adjungendo Domo exeuntibus, præsente in Visitationibus, & similia, huc facit: Neminem mittendum esse ab uno in alium locum sinè literis patentibus; & cùm peregrè erit Nostris proficiscendum, illis præficiendum maximè fidum, & cui

z R. Prov. 117. & 114. & Reg. Per. 12. & C. 7. D. 4.

cæteri tanquam Superiori in omnibus obediant (*z*), At recedentem sinè licentia ab alio loco Societatis, vel ab ea dimissum Superior non admittat; aut si ità expediat, illo domi, vel alio pio in loco detento, à Provinciali ordinationem super eo expectet *. Si qui etiam ad Generalem profugiunt, sinè facultate, aut profugi extra Collegia vagantur, gravi pœna, pro arbitrio P. N. puniendi; ab eóque non facilè audiendi, sed remittendi ad Provincias **. Cùm quis iter faciens transit per locum, ubi Domus, aut Collegium Societatis sit, ad aliud Hospitium nè divertat; ejúsque, qui illic præest, obedientiæ subsit in omnibus ***. vide Peregrinorum Regulas p. 147. &c.

* P. 2. c. 4. §. 1. & A. & R. Præp. 81. & Rect. 79.

** C. 7. D. 4.

*** Reg. com. 48.

CA-

CAPUT VI.

De Pœnis imponendis.

1.

QUamquam optandum ſit, ut Religioſi ad obſervandas ſuas Regulas non egeant timore pœnarum, præſertim temporalium; tamen quia in tanta naturæ infirmitate ſubinde his ſtimulis indigemus; certum eſt Superiores poſſe pœnitentias imponere propter defectus, & negligentias admiſſas (*a*). Nec à correctione Regulæ Societatis, ſecundùm Ordinationes ejus factæ, licet appellare; & appellatio per nullum Judicem admitti debet (*b*).

Superiores poſſunt imponere pœnitentias.

a Ex. c. 1. §. 6. & P. 3. c. 1. §. 26.

b Paul. III. p. 39.

2. Pœnitentias igitur impoſitas hujuſmodi promptâ voluntate, & magnâ humilitate quiſque admittere deberet, cum vero emendationis deſiderio; etiamſi propter defectum non culpabilem injungerentur (*c*). Immo aliquoties ſingulis annis omnes à Superiore ſibi pœnitentias injungi, propter defectum obſervationis Regularum, petant (*d*).

Quomodo eas Subditi admittere debeant.

c Ex. c.4. §.33. & P.3. c. 1. §. 15.

d P.3. c.1. §.28.

3. Eſt autem advertendum in correctionibus: quòd primò in charitate, & dulcedine, qui peccant, ſunt admonendi; ſecundò in charitate quidem, ſed eo ta-

Quo ordine in illis injungendis procedendũ ſit.

men modo, ut confusio, & rubor eis injiciatur; tertiò amori ea, quæ timorem incutiunt, adjicientur; habitâ semper ratione dispositionis personarum, & ædificationis universalis, & particularis earum, ad gloriam DEI. De publicis autem defectibus publica debet esse pœnitentia, ijs tantùm, quæ ad ædificationem faciunt, declaratis (*e*). Atque hujusmodi disciplina communis omnibus esse debet, etiam antiquioribus, immo & ipsis Superioribus, si suo officio defuerint (*f*). Qui autem in aliquo Collegio malè se gerit, non mittatur, si fieri potest, ad aliud; nisi juvetur, ubi deliquit (*g*).

e P.3. c.1. §.15. & N. & F. 8. c.1. G. & Re. Præpos. 29. & Rect. 28.

f C.6. D.37. §.6.7. & In.18. §.10. & 12.

g C.7. D.80. §.2. & R. Prov. 317.

Quæ pœnitentiæ ordinariè imponi possint.

4. At non imponentur à Superiore Domûs, seu Collegij nisi ordinariæ pœnitentiæ; quales sunt: parva mensa, publica reprehensio, conclusio in circulo, edere sub mensa, osculari aliorum pedes, orare in Refectorio, dicere culpam suam, subtractio cibi usque ad panem, & aquam. Si res postulaverit, disciplina publica in Refectorio, & alia exercitia humilia, & domestica (*h*).

h R. Præp. 10. & Rect. 9.

Quomodo contra Apostatas, aliósq; graviùs delinquentes sit procedendum.

5. Apostatas verò, & alios quosvis insolentes, & qui id mereri videbuntur, possunt Superiores omnes, invocato etiam au-

auxilio brachij ſecularis, excommunicare, capere, incarcerare, & aliàs ſuæ diſciplinæ ſubmittere (*i*). Quamquam facultas excommunicandi Provincialibus reſervata eſt (*l*); quibus etiam tantummodò permiſſum eſt prædictis facultatibus uti contra commorantes in alia Religione (*m*). De carceribus in Societate tenendis deliberatio P. Generali relicta (*n*). Forma Judicij aliquando inſtituendi à Deputatis concepta in Congregatione VI. commiſſa eſt P. Generali; ut eam Provincialibus communicet, cùm neceſſitas poſtulaverit (*o*).

i Paul. III. pa. 41. & Greg. XIV. p. 283.

l Comp. V. Corr. §. 2.

m Comp. V. Apoſt. §. 5.

n C. 1. D. 116.

o C. 6. D. 45. & C. 7. D. 94.

Quomodo in delatis Superior ſe gerere debeat.

6. Dictis ſuprà, ubi de prima Probatione Part. 1. cap. 4. ſect. 2. §. 5. & ubi de Charitate, hac Part. 4. cap. 3. §. 2. circa obligationem, quam habent Noſtri juvandi apud Superiores correctionem defectuum, hìc addendum, quid Superiores ſervare debeant in ea uſurpanda. 1. Caveant, nè delatoribus faciles aures, fidémq; præbeant; ſed diſquirant ſingula, donec in rei delatæ cognitionem veniant; & ſi falſitatem deprehenderint, aut innocentem ab omni delicti ſuſpicione liberent, aut falſum delatorem, pro rei gravitate, puniant. Optavit etiam Congregatio VII.

ut nemo ad mediatos Superiores aliena errata deferret, nisi priùs immediati moniti fuissent; si verò per hos emendatio non est secuta, aut graves admodum causæ hunc ordinem invertendum svadent, causas omissi ordinis in literis ad mediatum Superiorem addat (*p*).

p C. 7. D. 12.

2. Superior quando aliquos defectus novit, per denunciationem paternam, Deferentem nulli revelet; nec ab eo petat, ut rem delatam subscribat; Delatum verò ijs tantùm aperiat; qui prodesse possint fini, per talem denunciationem intento; qui est profectus spiritualis subditorum, & bonum commune Religionis; quales præcipuè sunt Consultores, & Superior Delati: ad majorem autem cautelam, petatur ad consultationem Deferentis consensus; quem ille dare debebit.

3. Potest sic delatum corrigere, etiam coram duobus testibus; & peragere secretò, quæcumque judicaverit expedire ad remedium, profectúmque delati, at citra ejus infamiam; ùt diligenter circa illum invigilare, mutare loco, non admittere ad aliquod officium.

4. Potest Superior defectus leves, & communes sic delatos, in Refectorio, publi-

publicâ reprehensione, & pœnitentiâ ordinariâ corrigere; dummodò, quoad fieri poterit, habeatur consensus Deferentis, & Delato nulla momenti alicujus infamia adhærescat. Ob gravia verò, quæ sic innotuerint, poterit interdum devenire ad dimissionem Delati ex Societate; sic quidem, ut licèt adjuvetur hâc notitiâ, non tamen eo modo procedat, ut possit cognosci talis defectus ab alijs, sed aliâ viâ cognitas notas opponat, vel certè nihil dicat (q).

q C.6. D. 33. & Or. c.15. p. 2.

CAPUT VII.

De Dimissione è Societate.

SECTIO I.

Quinam, & per quos dimitti possint.

1.

DUpliciter Societas dimittere suos potest; vel concedendo transitum ad aliam Religionem, vel eos absolutè dimittendo; sive hi soluti à Votis remaneant, ùt contingit in non Professis, sive non soluti, ùt Professis accidit. Primum genus Dimissionis exerceri solet circa Professos: quibus etiam licebit transire ad quemcumque Ordinem etiam laxiorem, quem præscripserit Præpositus Generalis,

Duplex dimissionis species; quarum altera propria Societatis.

a Greg. XIII. p. 209.

de consensu tamen Superiorum loci illius, quò destinabuntur (*a*). De secundo genere Dimissionis potissimùm hìc agemus: Quod admodum peculiare Societati est; & unum ex substantialibus Instituti (*b*).

b Jul. III. p. 68 & C. 5. D. 58.

Quilibet è Societate dimitti aliquando potest.

2. Ut ad propositum Societati finem divini obsequij, & auxilij animarum convenit conservari, & numero augeri operarios idoneos, ad hoc opus promovendum: ità dimitti eos oportet, qui tales non fuerint inventi. Et quamvìs causas, ad Dimissionem dignas, eò graviores esse oportet, quò quis arctiùs Societatis corpori conjunctus est: quantumlibet tamen quisque sit conjunctus, in quibusdam casibus separari ab ea posset, ac deberet; adeò ut vel ipse Præpositus Generalis ab hac lege non excipiatur (*c*). Præterea quò magìs alicui Societas deberet, quòd de ipsa bene meritus esset; vel quò pluribus DEI donis, ad eandem in divino obsequio juvandam, præditus esset; eò majori cum difficultate esset dimittendus: ùt è contrario, cui minùs deberet Societas; aut minùs ad eandem juvandam esset idoneus, faciliùs dimitti posset (*d*).

c P. 2. c. 1. §. 1. & A. & c. 3. A. & P. 9. c. 4. §. 7.

d P. 2. c. 1. A.

3. Dimittendi facultas in primis ad universam Societatem pertinet; quando in

Con-

Congregationem Generalem conveniret. Eadem erit penes Præpositum Generalem in omnibus, præterquam si quid ad ipsius personam pertineret. Penes reliquos ex Societate tantum erit hujus facultatis, quantum eis à Capite collatum fuerit: nec Superioribus tantùm Provincialibus, sed & aliquibus Localibus tribui poterit. Hæc autem facultas, si amplior, ad conciliandam illis subditorum venerationem, aliquando communicabitur in patentibus literis; nihilominus eadem contrahi (prout convenire videbitur) in secretis poterit (*e*).

Quinam dimittere possint jure ordinario, aut delegato.

e P. 2. c. 1. §. 2. & B. & P. 9. c. 1. §. 1. & Greg. XIV. p. 284. & Or. c. 12. §. 1.

4. In præsenti verò Provincialibus ea est communicata facultas dimittendi; quæ explicatur in ipsorum Regulis cap. 5. unde possunt dimittere eos, qui in prima, & secunda Probatione, ante & post emissa Vota, versantur. Qui enim, ante finem biennij, ex devotione sua, & facultate Superiorum, emittunt Vota, obligationem quidem contrahunt ad ea servanda; sed non propterea Religiosi constituuntur; aut ad eos retinendos ulla obligatio resultat in Societate: ùt literis encyclicis P. N. 7. Aug. 1683. declaratum est. Limitatur tamen prædicta facultas, Provincialibus com-

Quatenus id Provincialibus concessum sit.

communicata, reſpectu Novitiorum; qui à Præpoſito Generali in Provinciam deſtinati, vel de Societate ipſa peculiari modo benè meriti eſſent. Hos enim, & Scholaſticos approbatos, Coadjutoréſque non formatos nequeunt dimittere: niſi cauſæ ſint admodum urgentes, & graves; & ejuſmodi, ut ſinè gravi periculo Generalis reſponſum expectari nequeat: quem tamen Provinciales certiorem ſtatim facient, Dimiſſione peractâ. Coadjutores formati, ſive ſpirituales, ſive temporales dimitti non debent, niſi approbante Generali. Qui tamen poterit hujuſmodi facultatem Provinciali communicare in remotiſſimis locis; vel propter cauſas magni momenti alicui; cui tanquam ſibi ipſi fideret. At erga Profeſſos eadem facultas non eſt communicanda inferioribus Præpoſitis; ſed in ſolo Generali debet ſiſtere. (f)

f P. 2. c. 1. §. 2. & B. & C. & R. Prov. 40. 41. 42. 43. & Or. c. 12.

SECTIO II.

De Cauſis Dimiſſionis.

1.

De quibus hic agendum ſit.

NOn hìc agimus de cauſis Novitios, ſive Profeſſos dimittendi: nam ùt reſpectu illorum longè leviores, ità compara-

paratione istorum longè graviores requiruntur, quàm quæ hìc exponuntur sufficientes ad dimittendos è Societate, qui Votis simplicibus, licèt substantialibus Religionis, obstricti sunt. Igitur causæ Dimissionis in Societate debent esse rationabiles, atque justissimæ (*g*): harum autem aliæ sunt culpabiles Dimittendo, aliæ non: Igitur initio ducto ab illis.

g Greg. XIII. p. 217. & Ex. c. 6. A. & P. 2. c. 2.

Inter causas culpabiles prima est scandalo Socijs esse.

2. Si aliquis damnum allaturus malo vitæ exemplo judicaretur; ac præcipuè si inquietum se ostenderet; & verbis, aut actibus offendiculum alijs præberet; vel inducendo eos ad malum: vel ad discordiam: vel si quid contra Superiores, vel commune Societatis bonum moliretur: hoc enim tolerare charitatis non esset, sed vitij contrarij, in eo quidem, qui tenetur conservare quietem, & bonum statum Societatis sibi commissæ (*h*). Quando autem, non tam propter rationem, vel magnitudinem peccati, quàm ob removendum offendiculum, quod alijs præbuit, dimitti aliquem necesse esset: si alioqui aptus esset, expendet prudentia Superioris, an expediat facultatem ei dare, ut ad locum alium Societatis valdè remotum, ex eadem non egrediendo, proficiscatur (*i*).

h P. 2. c. 2. §. 3. & D. & P. 8. c. 1. §. 5. & F. & C. 5. D. 54. & Paul. V. p. 305. &c.

i P. 2. c. 2. D.

3. Cùm

2. Gravia, licèt nō publica peccata.

3. Cùm licèt aliqua peccata offendiculum non præberent, utpotè non manifesta; tamen in Domino judicaretur contra ipsius honorem, & gloriam fore: ut qui ea admisit, maneret in Societate: cùm videatur in quibusdam pravis affectibus, aut vitijs, quæ Divinam offendunt Majestatem, corrigi non posse; quæ eò minùs tolerari deberent, quò graviora essent, & plus culpæ haberent (*l*).

l P. 2. c. 2. §. 2. & P. 10. §. 7.

3. Contumacia, & pertinax abeundi voluntas.

4. Quando qui ad Probationem admissus fuit, se componere ad vitam sub Obedientia, & juxta modum procedendi Societatis non posset, aut vellet; & cùm ipse etiam importunè dimissionem petit (*m*).

m P. 2. c. 2. §. 4. & C. 7. D. 22. & C. 12. D. 12. & Ot. c. 12. §. 6.

Inter causas nō culpabiles prima, Deprehensa impedimenta priùs suppressa.

5. Causæ autem ex se non culpabiles sunt. 1. Aliqua impedimenta, vel insignes defectus deprehensi, quos antea in examine reticuisset: Et quidem si impedimenta sint essentialia, certum est retineri non posse. Si verò aliquod ex secundarijs, aut etiam in aliqua re alia, dum examinaretur, veritatem suppressisset, justè dimitti potest (*n*).

n P. 2. c. 2. §. 3. & 5. & Ex. c. 2. & 3. & P. 1. c. 3.

2. Infirmitas virium.

6. Secunda; Si experimento comperiretur, valdè inutilem fore aliquem, propter ejus insignem ad quævis munera ineptitudinem; qualis potest esse ægritudo ali-

aliqua, aut debilitas impar laboribus, quos noſter procedendi modus requirit. Eſt autem in ea diſtingvendum: nam ſi ægritudo contracta eſt in obſequio Societatis, poſtquam emiſerit Vota, biennio exacto; is dimitti non poteſt, niſi ipſe contentus eſſet: ſecus autem, ſi tempore Novitiatûs, propter ordinarios labores, morbum contraxiſſet. Si autem infirmitatem contraxerat ante ingreſſum; vel diſpoſitionem ad eam attulerat; dimitti poterit; difficiliùs tamen, ſi admiſſus eſt, nullâ conditione experiundi; ſed ſpe conceptâ, quod ad majora aptus eſſet futurus, quàm experimento comperiatur (*o*).

o P.2. c.2. §.4. & B. & Ex. c. 7. §. 2. & C. 5. D. 50. §. 3.

3. Ingenij debilitas.

7. Tertia; ſi ineptitudo contingeret non ex debilitate corporis, ſed ingenij: itá ut non poſſet in literis progredi; & ad alia miniſteria ineptus videretur: & tunc ſicut ante Vota debet, itá poſt Vota in rigore dimitti poteſt; quia adhuc in probatione eſt ad ulteriores gradus; eò magìs, ſi illa inutilitas eſſet cum aliqua culpa voluntatis conjuncta: ex æquitate tamen, ſi nulla ſit culpa, conſulatur priùs Generalis (*p*).

p P.2. c.2. §.3. & 4. & C. & Ex. c. 7. § 2. & P. 4. c.6. N. & C. 5. D. 50.

Convenientia harum cauſarum.

8. Quævis harum cauſarum ſatìs eſſe videtur, ut DEO gratius fore judicemus ho-

honestè dimitti eum, in quo locum habuerint; quàm imprudentem in eo retinendo charitatem exercere: cùm universale Societatis bonum haud dubiè bono particulari alicujus præferri debeat (q).

q P. 2. c. 2. §. 3. & 5.

Examinandæ discreto zelo.

9. Quatenus autem defectus aliqui, qui contra Divinum honorem, & Societatis bonum esse dicuntur, debeant tolerari, cùm id ex multis circumstantijs particularibus personarum, temporum, & locorum pendeat; discreto zelo eorum, quibus ea cura commissa est, relinqui est necessarium: qui propterea multa præmittere debebunt, antequam super hoc negotio sententiam ferant, ùt jam videbimus (r).

r P. 2. c. 2. A. B. & D.

SECTIO III.

Dimissioni præmittenda.

I.

Ordo, & gravitas dicendorum.

UT igitur in re tanti momenti nihil charitatis, & prudentiæ prætermittatur; plura statuta sunt, tripliciter hìc dividenda, ut primò collocentur, quæ ante Dimissionem præstanda, tum quæ in Dimissione, demum post Dimissionem. Et quidem Superiores graviter admonentur, nisi diligenter observent, quæ in Ordinatione P. Claudij, hac super re edita, præ-

præscribuntur; fore ut, neque conscientiæ ipsi suæ, officióque, nec Constitutionibus satisfaciant (*s*). *s* Or. c. 12. §. 1.

2. Tria tamen hìc præmittenda. 1. Pleraque ex dicendis pertinent ad eos, qui palàm, & propter causas manifestas dimittuntur. 2. Eadem servanda sunt plùs minúsve, proportione habitâ Graduum Societatis, ità ut minimè omnium Professos tangant. 3. Si aliqui propter causas occultas dimittendi sunt; satìs erit, si Præpositus hâc facultate præditus, re Domino commendatâ, &, si judicaverit expedire, unius, aut plurium auditâ sententiâ statuat, & exequatur, quod facto opus sit (*t*). *Non omnia tamen cum singulis servanda.* *t* P. 2. c. 3. A.

3. Provincialis, cùm de aliquo dimittendo suggeritur, præmissâ oratione exploret, an ea, quæ illi objiciuntur, vera sint; & si vera, an tanti momenti, ut de dimissione agi debeat: præterea utrùm Superiores erga hujusmodi hominem debita charitate perfuncti, illum commonefecerint, remedia pœnitentiarum, & præsertim Exercitiorum spiritualium applicando, & quidem non perfunctoriâ curatione (*u*). *Provincialis expendat circumstantias omnes.* *u* P. 2. c. 2. A. & C. & c. 3. §. 2. & Or. c. 12. §. 2. 3.

4. Peractâ informatione, auditáque

Consulat suos, & scribat ad Generalem. sententiâ Superioris illius Domus, in qua commissum est delictum, aut unde prodijt accusatio, exquirat judicium Consultorum suorum, aut ejus loci, ubi tunc erit; eorúmque, qui ipsi videbuntur; tum informationem mittet ad Generalem; in qua, ubi expresserit conditionem, ætatem, munia ejus, de quo agitur, tum quid peccaverit, quæ remedia adhibita, an omnia ritè peracta, quæ præscribuntur; subdat demum, quid ipse, Consultorésq; ipsius faciendum censeant (x).

x P. 2. c. 2. A. & C. & c. 3. §. 3. & A. & Reg. Provinc. 42. & Or. c. 12. §. 4.

Generalis sententiam feret. 5. Generalis verò, re Domino commendatâ, & cum Assistentibus communicatâ, omnem exuendo affectum, & majore DEI gloriâ præ oculis constituta, & communis boni, tum etiam (quoad ejus fieri poterit) particularis ratione habitâ; expendat hinc inde causas; & statuat, an dimittere debeat necne (y).

y P. 2. c. 3. §. 4. & Or. c. 12. §. 8.

Non discedendum ab hac forma. 6. Is igitur modus servandus est, qualem Constitutiones præscribunt, & praxis hactenus confirmavit; nec forma judiciaria necessariò adhibenda (z).

z Greg. XIII. p. 282. & Re. Prov. 44. & C. 5. D. 31.

Aliquando præmittenda pœna. 7. Ceterùm, licèt passim non expediat Dimissioni præmittere pœnas delicti; cùm dimitti Nostri debeant, quantum fieri potest, sinè dedecore, vel ignominia (a); si

a P. 2. c. 3. §. 6. 7.

si tamen defectus sint cum scandalo conjuncti; & qui pœnâ aliqua puniri debeant; non ante ad Dimissionem veniatur, quàm pro meritis fuerint castigati, etiam inclusione ad tempus, ubi usus, & consvetudo id obtinuit (*b*). *b* Or. c. 12. §. 5. & C. 7. D. 22. §. 6.

8. Rursus non convenit laxari habenas erga eos, qui ex sua ipsi tentatione dimitti petunt, & nè tum quidem, cùm, habita ratione personæ, utile Societati videretur, ab ea liberari: quia si persvasio hæc vulgaretur, perniciosa multis evaderet, reputantibus januam ad elabendum post delictum statim patere. Sed vitari simul alterum extremum necesse est, opinantium hujusmodi homines semper retinendos; quia ubi ad certum gradum pervenerunt, raró apti sunt ad Societatem (*c*). *Quid cum petentibus sinè causa.* *c* Or. c. 12. §. 6.

9. Ad mediam autem viam ineundam, & præcavendam importunam aliquorum de Dimissione postulationem, statutum est; eam petentes, nullâ justâ apparente causâ (si alioqui idonei ad Societatem judicantur) si Superiorum monitis non acquiescant, teneri Provinciali suo causas omnes, quas Dimissioni obtendunt, cum propriæ manus subscriptione, proponere; affirmaréque nullam aliam sibi superesse *Compescendi importuni Dimissionis postulatores.*

rogatæ dimiſſionis cauſam. Provincialis verò haſce cauſas expenſas cum ſuis Conſultoribus, tranſmittet ad Generalem, adnotato ſuo, & Conſultorum judicio: &, ſi illæ P. Noſtro inſufficientes viſæ fuerint, ſub Obedientiæ præcepto, perpetuum illis ſilentium indicat: eóſque, ſi non obtemperent, pro delicti gravitate ſeverè puniat, & publicè etiam, ſi culpa ad alios promanavit. Sciántque tales ſe minimè in conſcientia tutos; ſed mortali culpæ ſubjacere, quamdiu in illa animi obſtinatione manent.

Præceptum, & excommunicatio in petentes opem ab Externis.

10. Imponitur præterea præceptum, & pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Provinciali reſervatæ, tum in illos, qui inconſulto Provinciali, Externos de Dimiſſione ſua in conſilium adhibent: tum in illos, qui, quocunque modo, Externorum auxilio, vel interceſſione, ad dimiſſionem à ſuperioribus obtinendam, utuntur. Præcepti verò hujus tranſgreſſores præter alias pœnas, arbitrio Provincialis imponendas, longè difficiliorem ſibi facturos Dimiſſionem ſciant.

Obligandi ad aliam Religionem ingrediendam.

11. Jllis etiam, qui ſola importunitate Dimiſſionem extorquent, non concedenda, niſi cum obligatione aliam Religionem

nem intrandi; in qua regularis obſervantia vigeat: eáque obligatio patentibus literis inſerenda: ac rariſſimè talium quiſpiam, liber ab omni Votorum obligatione, ad ſeculum remittendus.

12. At qui cauſis non veris, fraude, ac dolo, Dimiſſionem è Societate obtinuerunt; aut ex cauſis quidem veris, gravibúſque delictis, ſed eâ intentione perpetratis, quò faciliùs dimitterentur, nullo modo ſunt in conſcientia tuti: cùm hujuſmodi facultas in conſcientiæ foro ſit irrita: in quo etiam ſubjacent omnibus Apoſtatarum cenſuris. Et ſi hoc in exteriori foro conſtiterit; Superiores poſſunt contra eos agere, tanquam contra veros Apoſtatas.

Dimiſſio irrita obtendentium falſas cauſas.

13. Qui ad Dimiſſionem obtinendam ſecretas obtendunt cauſas; quibus ſe ineptos ad religioſam diſciplinam, Votorúmque obſervationem contendunt; tenentur eas alicui Patri aperire: qui ſuper illis ſententiam ſuam ad Generalem perſcribat. Quod ſi quis renuat, cùm Pater Noſter judicaverit, cauſas aperire, careat omni ſpe Dimiſſionis obtinendæ (*d*).

Neganda ſubticentibus ejus petendæ cauſas.

d C.7.D.22.& C.12.D.12.

SECTIO IV.

Servanda in Dimissione, & post ipsam.

1.

Proximè dimittendis invigilandum.

DUm autem de alicujus Dimissione agitur, severè Superioribus est interdictum, nè eum interea temporis ullo modo exponant in publicis ministerijs; sed domi potiùs illum contineant; habeatúrque in Dimissione ratio ædificationis. In cujus gratiam, si Dimittendi priùs ablegandi sint in aliam Provinciam, Provinciales præmittant, vel minimè differant Instructionem ad Superiores ejus loci; ut ex ea judicent, quid cum illis agendum sit (*e*).

e R. Prov. 117. & Or. c. 12. §. 9. 10.

Charitas erga eosdem dum dimittuntur.

2. Curandum prætereà, ut Dimissus recedat sinè dedecore, & quantum fieri potest, servatâ benevolentiâ: juvetúrque consilio, oratione, & aliâ etiam ope, si Charitas poscat, Declaretúrque illi, quòd liber maneat à Votis simplicibus; si ea juxta formulam Societatis emisit. Quæ ipsius esse constat, reddenda sunt; de ijs verò, quæ aut expenderit, aut donaverit Societati, dispiciat Superior, habitâ ratione tum æquitatis, tum ædificationis, num illi aliquid ampliùs, quàm quod invenitur, de re-

rebus ipsius dari debeat, necne: conside- ret etiam diligenter, an scripta secum as- portare debeat (*f*). *f* P. 2. c. 3. §. 5. 6. 7. & B. & c. 4. §. 3. & Reg. Prov. 44. 45.

3. Ut satisfiat etiam alijs Domesticis, & Externis, tria observanda sunt: 1. Nè quid perturbationis in alicujus animo pro- pter dimissionem maneat, ratione redditâ quantum satìs erit, & plùs minúsve carus fuerit, qui dimittitur; abstinendum tamen à defectibus non publicis declarandis. 2. Nè malè affectus quispiam maneat erga Dimissum; nec de eo malè sentiat; sed po- tiùs omnes eum diligant, ac DEO com- mendent. 3. Detur opera, ut ejus exem- plo juventur, si qui minori cum ædifica- tione, quàm par esset, domi versantur; nè sibi tantundem accidat: & Externi iti- dem, quibus id innotuerit, ædificationem accipiant, quòd domi non toleretur id, quod tolerari ad DEI gloriam non debet (*g*). *Quid præstandum cum Domesticis, & Externis.* *g* P. 2. c. 3. §. 8. 9. 10. & C.

4. At cùm contingere possit, ut causæ Dimissionis occultæ sint; non debent Consultores credere, multóque minùs ac- cusare, quasi (eò quòd Superior rem cum ipsis non communicârit) temerè, & sinè causa gesta sit: sed potiùs modestè inter- rogare Superiorem, quid causæ vel No- *Non damnandi Superiores, cùm causas reticent.*

 stris,

h P. 2. c. 3. A. & Or. c. 12. §. 7. ſtris, vel Externis ſciſcitantibus reddi queat (*h*).

Charitas erga jam Dimiſſos, 5. De Dimiſſis declaratum eſt, conformiter ad jam indicata de charitate, qua illos complecti decet; per Societatem nullo modo ſtare, quo minùs ab ipſa Dimiſſi poſt Vota ſimplicia, ad Officia, & Beneficia quæcumque admittantur (*i*). *i P. 2. c. 3. §. 5. 6. 7. & C. 9. D. 30.* Nec excludendi à noſtris Univerſitatibus, quando grave ſcandalum non timetur (*l*). *l C. 1. D. 119.* Non tenetur tamen Societas alere dimiſſos Sacerdotes, qui & Titulo carent, & Patrimonio, ùt perpetua praxis, & validæ rationes Pontificibus probatæ confirmant (*m*). *m C. 2. D. 77. & C. 7. D. 3.*

Quid ſervandū cūm ijſdem ad Societatem redire volentibus. 6. Si quis verò ex Dimiſſis redire ad Societatem velit; cautè procedendum eſt: cùm conſtet hujuſmodi homines rarò idoneos ad Inſtituti noſtri diſciplinam inveniri (*n*). *n R. Prov. 46.* Et 1. non admittatur, niſi qui dimiſit, aut Præpoſitus Generalis ſuum præſtiterit aſſenſum: quem non dabit, ſi adhuc manent eædem rationes, propter quas fuit dimiſſus (*o*). *o P. 2. c. 4. §. 1. & 7.* 2. Poſt reditum denuò examinari debet, & generalem Confeſſionem facere, & alijs Probationibus, & Experimentis exerceri; in quibus tamen Provincialis diſpenſare poterit:

ſed

ſed non niſi poſt biennium ad Vota admittendus eſt (*p*). At ſi contingeret quępiam ſinè culpa, aut ulla penitus cauſa è Societate expulſum eſſe, ità ut invalida ſit Dimiſſio; is in priſtinum ſtatum, ſinè Novitiatu, reſtitui debet (*q*).

p P.2. c.4. §. 8. & C. 8. D. 58. & R. Prov.46. & Or. c. 1.§.2.

q C. 8. D. 58.

SECTIO V.

De egreſſis ſua ſponte.

1.

AD eos reducendos, qui ſinè licentia recederent, ſi priùs parùm idonei ad Societatem habebantur, nullâ diligentiâ opus erit; ſed potiùs dirigantur ad aliud Inſtitutum, ubi DEO ſervire poſſint, relaxato illis Voto (*r*). Si verò hujuſmodi eſſent, ut DEO gratum fore videretur, eos non ſic relinquere; quòd idonei eſſent ad Societatem; præcipuè ſi ex aliqua vehementi tentatione, aut ab alijs decepti, egreſſi viderentur; adhiberi diligentia poſſet ad eos reducendos.

Quinam reducendi ex ſponte abeuntibus.

r P.2. c. 4. §.4.

2. Quod ſi aliam Religionem ingreſſi, & ejuſdem habitu induti fuiſſent; nec litigandum videtur Societati, nec procurandum, ut eos reducat. Nam in alijs uti poterit Societas facultatibus ſibi à Paulo III. aliiſque conceſſis: quandoquidem aliam

Quid ſi aliam Religionem ingreſſi fuerint.

s P. 2. c. 4. §. 5. & B. & C. D. 24. & Paul. III. p. 41. & Pius V. p. 100. & Greg. XIII. p. 217. & 229. & 237.

Religionem ingrediendo, non ideo de jure desiêrunt esse de Societate nostra: licèt sola post biennium simplicia Vota emiserint: quare ab ea recedentes Apostatarum pœnas, non secus ac Professi, incurrunt (s).

Sponte redeuntes à quo recipiendi.

3. Si verò hi, qui injussi discedunt, imò & alij, qui dimittuntur, se conferrent ad alium Societatis locum: videntur nobis in Domino admittendi non esse; nisi qui loco præest, unde discesserunt, vel Præpositus Generalis admonitus suum assensum præstiterit; aut fortè consultiùs judicaretur eos, tanquam hospites recipere, donec responsum à Superiore, ad quem spectat, referretur (t).

t P. 2. c. 4. §. 1. & A. & R. Præpos. 81. & Rect. 79.

Quæ satisfactio ab ijdem exigenda.

4. Admitti autem in Collegium, seu Domum, ex qua discesserant, non debent; nisi parati sint ad quamvìs satisfactionem, & probationem. Si verò, & idonei ad DEO in Societate serviendum judicentur; & de eorum vera pœnitentia non liqueret; ad experimentum constantiæ, & levitatis præteritæ satisfactionem, in aliquo Xenodochio constitui possent. Quandocumque autem admittentur, denuò examinentur, & probentur, prout Provinciali videbitur: Quod si Vota emiserant, eadem cum

cum alijs renovare poterunt. Sed advertatur hujuſmodi homines rarò idoneos ad Inſtituti noſtri diſciplinam inveniri (*u*). *u* P. 2. c. 4. §. 6. & 8. & D. & R. Prov. 46. & Or. c. 1. §. 2.

5. De profugis ad Generalem ſinè patentibus literis Superiorum ſuorum, aut ſimiliter per Collegia vagantibus gravis pœna ſumenda eſt: neque audiendi à Patre Noſtro, ſed remittendi in Provincias ſuas (*x*). At fugitivi Societatis ipſo facto ſunt excommunicati (*y*).

Quid cum vagis, & profugis.

x C. 7. D. 4.

y C. 9. D. 27.

CAPUT VIII.

De tuenda, & reparanda valetudine.

POſt leges ſanè non paucas purgandis, excolendíſque animis in Societate latas, oportuit etiam corporibus Sociorum curandis caveri. Hæc igitur religioſæ providentiæ pars minimè à Jure nôſtro neglecta, hìc exponenda eſt.

SECTIO I.

De Valetudine conſervanda.

1.

IN ijs, quæ ad victum, veſtitum, ſomnum, & habitationem, & alia corpori neceſſaria, vel convenientia pertinent, uſurpandis, quatuor curentur. 1. Quamvìs ſit,

Victus, veſtitus, & ſimiliũ communis Regula.

ſit, in quo probetur virtus, non deſit tamen, quo ſuſtentetur natura. 2. Ut ea ratio ineatur, quæ minimè diverſa ſit ab eo, quod Medicus illius loci, in quo vivitur, judicabit: ità ut, quod quiſque ſibi inde ſubtraxerit, ex devotione, non ex obligatione ſubtrahat. 3. Ut communem, & approbatum uſum honeſtorum Sacerdotum ſequamur. 4. Habenda eſt ratio Humilitatis, Paupertatis, ac ſpiritualis ædificationis; quæ ſemper nobis in Domino ob oculos verſari debet (*a*).

a Ex. c. 4. §. 26. & P. 3. c. 2. §. 3. & P. 6. c. 2. §. 15. 16. & Jul. III. p. 67. & R. Præpoſ. 61. & Rect. 58.

Particularia quædam de cibo, veſtitu, & habitatione.

2. In particulari; ut conſulatur valetudini, nemo extra conſveta tempora bibat; nec extra domum cibum ſumat, abſque facultate Superioris (*b*). In veſtitu habenda eſt ratio ejus finis, qui eſt ab injuria frigoris, & ab indecoro defendi. Barbam non eſſe nutriendam eſt viſum (*c*). Ceterùm ùt qui probantur vilioribus indumentis ad Mundi contemptum juvari debent, ità cum ijs qui ſtudijs vacant major habenda eſt ratio decentiæ exterioris, & commoditatis propter ſtudiorum laborem, & quia Collegia reditus habent (*d*). Profecturi ad alia loca Sottanâ, & alijs interioribus indumentis privari non debent, niſi charitas ſvaderet melioribus eſſe commu-

b Reg. com. 16.

c C. 1. D. 114.

d Ex. c. 1. §. 13. & F. & P. 1 c. 4. §. 4. & P. 3. c. 2. C. & Rc. Rect. 58.

mutanda. Reliqua ad iter necessaria danda sedulò erunt, sed eorum sumptibus, quorum erit expensas itineris solvere (*e*). Tempus somno tribuendum, intra sextæ, & septimæ horæ spatium debere esse videtur; quod communiter omnes observent: erítque designatus, qui, elapso quadrante, adeat singulorum cubicula; videátque, an omnes ad lectum se receperint, & lucernas extinxerint (*f*). Ad conservandam etiam valetudinem curandum, ut Domus, & Collegia in locis, ubi sit purum, & salubre Cœlum, habeantur: & licèt sumptuosa esse non debeant, tamen sint sana, & fortia (*g*); & si aliquis ferre non posset alicujus Regionis cœlum, Superioris est considerare, num ille migrare aliò debeat (*h*).

e R. Præp. 87. & Rect. 85.

f P. 3. c. 2. § 2. & E. & R. noct. Visit. p. 259.

g P. 10. C. & C. 1. D. 113.

h P. 3. c. 2. G. & R. Præp. 86. Rect. 84.

3. Ceterùm, ùt rerum omnium determinata quædam norma esse debet, tempúsque edendi, cubandi, surgendi statuendum est, quod communiter observetur; & quæ vitæ communi sunt necessaria, tenentur Superiores inferioribus suis eâ, qua par est, charitate suppeditare (*i*): ità haberi debet ratio conveniens Personarum, & cum eis dispensandum, prout Superior in Domino judicaverit. In tanta enim varie-

Norma communis, sed cum aliquibus in ea dispensandum.

i P. 3. c. 2. § 2. & C. 12. D. 43.

rietate personarum, ac habitudinum considerandum est majus particulare bonum hujusmodi Personarum, & universale aliarum multarum, & quoad ejus fieri poterit, ad majorem DEI gloriam, providendum (*l*).

l P.3. c.2. B.C. D. E. & P. 6. c. 2. M. N.

Moderanda mentis, & corporis fatigatio.

4. Ut non expedit tanto labore corporali quemquam onerari, ut spiritus obruatur, & corpus detrimentum patiatur; ità aliqua corporalis exercitatio, quæ utrumque juvat, omnibus similiter convenit: & à prandio, præsertim in æstate, per unius, vel duarum horarum spatium, permitti non debent corporis, aut mentis graviora exercitia (*m*). Corporis etiam castigatio immoderata esse non debet in pœnitentijs exterioribus, ac laboribus; quæ & nocumentum afferre, & majora bona impedire solent (*n*), ùt suprà dictum est C. 4. §. 5. 6. 7.

m P.3. c.2. §.4. & D. & P.4. c. 4. §.1. & P.10. §. 10.

n P.3. c.2. §.2. & F.

Præfecti sanitatis, & Ministri hoc in genere munus.

5. Quare sit aliquis domi, qui præsit in ijs, quæ ad bonam corporis valetudinem spectant; cui debeant omnes, si malè se habere extraordinariè senserint, id referre. Ipse verò, quæ noxia, vel utilia valetudini essent, Superiori significabit (*o*). Quid autem ei præstandum sit, distinctiùs præscribitur in Reg. Præf. Sanitatis p.229.

o P. 3. c.2. §.6. & G.

Et

Et Minister eorum potissimùm rationem habeat; qui in corporis cura minorem de se ipsis solicitudinem gerunt (*p*). *p* R. Min. 5.

6. Ut curari debet, nè debiles, aut cum magno fructu occupati ministerio fraternæ charitatis destituantur, ità reliquis adjutores assignari non debent (*q*). Immo nemini prætérquam Visitatoribus, & Provincialibus, certi Coadjutores assignandi, à reliquis domesticis munijs immunes (*r*). *Quatenus Coadjutores concedendi.* *q* R. com. 18. & R. Præp. 62. *r* C. 7. D. 29.

7. Demum quilibet, prò ea cura moderata tuendæ, ad Divinum obsequium, valetudinis, quam debet adhibere; cùm animadverterit aliquid sibi nocere, vel quid aliud necessarium esse, admoneat Superiorem, duo interim observans; Primum, ut in oratione rem expendat; alterum, ut ubi Superiori rem exposuerit, totam ei curam relinquat; nec contendere pergat; sive concedatur quod petitur, sive non (*s*). *Sua cuique valetudo ùt curanda sit.* *s* P. 3. c. 2. §. 1. & A.

SECTIO II.

De reparanda Valetudine.

1.

At pro reparanda Valetudine laxantur spatia charitatis in Societate. Nam ægrotorum cura magna habenda; & ipsi quidem si malè se habere extraordinariè sen- *Sub initia morbi quid agendum.*

senserint, debent id referre Infirmario, vel Præfecto sanitatis, aut Superiori. Nemo verò medicinam ullam accipiat, aut Medicum eligat, nisi approbante Superiore. Qui tamen, si res poscat, curet vocari Medicum; & is quidem unus tantùm ordinariè esse debet: nisi in casibus quibusdam aliud Superiori videatur (*t*).

t P.3. c. 2. §. 6. & G. & Reg. comm. 17. & Præpos. 63. & Rect. 59.

Præstanda erga ægrotos, ut convalescant.

2. Adventante autem Medico, Janitor dabit signum pulsatâ campanâ; ut ei ægrotos invisenti adesse possint, qui debent: & sunt Minister, Præfectus sanitatis, & Infirmarius (*u*). Observetur autem, tam in victûs ratione, quàm in medicinis, quod Medicus præscripserit. Nec modò id præstandum cum ijs, qui decumbunt; sed & pro Convalescentibus in Refectorio sit certus locus: quibus nihil, nisi quod præscriptum ab Infirmario fuerit, apponatur. (*x*).

u R. Min. 5. & Præf. San. 2. & Infirm. 2. & Jan. 16.

x P. 3. c. 2. G. & R. Præp. 63. & Rect. 59. & R. Præf. san. 2. & Infirm. 8. & Dispensat. 1. & Præf. Ref. 8. & Coqui 5.

Ijdem quomodo invisendi.

3. Si verò aliqui ex infirmis, quòd in phrenesim inciderint, vel alia de causa, minus ædificationis, quàm par esset, præberent; ex ijs paucos assistere, quibus magìs confideretur, oporteret (*y*). Universè autem qui, facultate acceptâ, ægrotos invisent; non solùm demissâ voce loquantur; sed tantâ etiam moderatione, ut

y P. 6. c. 4. A.

ut illis molesti non sint; atque de ijs agant, quæ & consolari ægrotos, circumstantésq; ædificare in Domino possint (z). De juvandis Nostris morientibus est in Constitutionibus peculiare Caput 4. Partis 6. sed relatum est, ubi de extremis Sacramentis agendum fuit, hac eadem Parte cap. 1. sect. 3. §. 7.

z R. com. 29.

4. At Infirmi, non solùm observare debent, magna cum puritate, Obedientiam erga Superiores spirituales; ut ipsius animam regant: sed cum eadem humilitate, & cum omnimoda indifferentia, erga Medicos corporales, & Infirmarios; ut corpus ejus regant; non impatientes, aut morosos se exhibendo. Præterea qui ægrotant, curent ex morbis corporis fructum capere, non solùm sibi, sed etiam ad aliorum ædificationem, humilitatem, & patientiam suam præseferendo; verbis pijs utendo; quæ ostendant ægritudinem acceptari, ut donum de manu Creatoris, ac Domini nostri: quandoquidem non minus donum est, quàm sanitas.*

Quomodo se gerere debeant ægroti.

* Ex. c.4. §.32. & P.3. c.1. §. 17. & c.2. G.

X PARS

PARS V.

De Medijs, Quibus Societas utitur in Proximorum utilitatem.

ENumerata ſunt hactenus, quæ cuilibet de Societate præſcribuntur, ad ſeipſum perficiendum. Supereſt jam explicatio eorum, quæ ad juvandos proximos ſervanda ſunt. His enim duobus finis adæquatus noſtri Inſtituti componitur. Immo ad hoc potiſſimùm dicitur Societas inſtituta; ut ad Fidei defenſionem, & propagationem, & profectum animarum in vita, & doctrina Chriſtiana præcipuè intendat (*a*).

a Paul. III. p. 9. & Jul. III. p. 60. & P. 7. c. 1. §. 1. & P. 10. §. 3.

CAPUT I.

De Medijs in genere, iiſque præſertim, quæ exercentur intra noſtra Templa.

SE-

SECTIO I.

De Ministerijs in genere.

1.

AD assecutionem finis, quem sibi Societas præfigit, auxilij animarum, ad supernaturalem suum finem consequendum, media illa, quæ cum DEO instrumentum conjungunt, ac disponunt, ut à Divina manu rectè gubernetur, efficaciora sunt; quàm quæ illud disponunt erga homines. Hujusmodi est probitas, & virtus, ac præcipuè charitas, & pura intentio divini servitij, & familiaritas cum DEO, & zelus sincerus animarum, ad gloriam ejus, qui eas creavit, ac redemit, quovis alio emolumento posthabito (*b*). *Vnio cum Deo, aliæque virtutes medium potissimum.* *b* P. 9. c. 2. §. 1. & P. 10. §. 2.

2. Juvant etiam Proximum sancta desideria, & orationes pro universa Ecclesia effusæ; ac pro ijs præsertim, qui ad ejus universale bonum majoris sunt momenti: cujusmodi sunt Principes Ecclesiastici, & Seculares; pro Amicis etiam, & Benefactoribus, & pro illis, in quorum auxilium Operarij Euangelici incumbunt, & pro malè affectis erga Societatem. Ad quos fines, & Missarum sacrificia dirigi possunt. Conferet etiam exemplum totius hone- *Orationes, & bonum exemplum.*

c P. 7. c. 4. §. 2. 3. 4. & A. & P. 6. c. 2. §. 16. & P. 9. c. 6. A. & P. 10. §. 12. & B.

ſtatis, & virtutis Chriſtianæ: cùm bonus odor, qui veritati bonorum operum innititur, magìs quàm verba, ædificationi ſit (*c*).

Miniſteria plurima.

3. Sequuntur Media externarum operationum, quarum ſanè multiplex claſſis: cùm Societas nullum ferè omiſerit Miniſterium ex ijs, quæ Religioſi viri ad procurandam Proximorum ſalutem uſurpare poſſunt. Referuntur in Formula, ſeu Regula Inſtituti, eáque ſunt: Quodcumque Verbi DEI miniſterium; ſpiritualia Exercitia; puerorum, ac rudium in Chriſtianiſmo Inſtitutio; Chriſti Fidelium in Confeſſionibus audiendis, ac cæteris Sacramentis adminiſtrandis, ſpiritualis conſolatio; ad diſſidentium reconciliationem, & eorum, qui in carceribus, vel in hoſpitalibus inveniuntur, pia ſubventio, ac miniſterium; ac reliqua charitatis opera, prout expedire ad DEI gloriam, & commune bonum viſum fuerit (*d*).

d Paul. III. p. 9. & Jul. III. p. 61.

Quibus commendanda, & quàm ſedulò.

4. Quæcumque autem ex his Miniſterijs ſuſcipiantur, commendanda ſunt Viris probatis, in Vocatione ſtabilibus, diſcretis, & bene inſtructis, & qui alijs ædificationi ſint: cujus rei gratiâ Provincialis, præſertim ſub finem ſtudiorum, intelliget

qui

qui ex Nostris, & quomodo se Externis communicare debeant (*e*). Præterea ut eadem Ministeria ritè obeantur ex Decreto 107. Cong. 1. Directoria plura confecta sunt, suis infrà locis citanda.

e P.4.c.10.§.10. & R. Prov.97.

SECTIO II.

De Sacramentorum Administratione, & præcipuè Pœnitentiæ.

1.

Ecclesia Societatis.

DE Ecclesijs Societatis, quæ ad auxilium animarum admittuntur (*f*) aliquid superiùs dictum est Part. 3. c. 7. sect. 1. ubi de Domibus Professis agebatur; cùm ad has potissimùm pertineat sacra Ministeria, ad animarum auxilium, frequentare; in Ecclesijs verò Collegiorum, tunc tantummodò usurpanda sint; quando in eadem Urbe nulla est Domus Professa; nec ultra quàm Superior judicaverit (*g*). Pro Ecclesijs autem conservandis, curandísque videndæ sunt Regulæ Præfecti Ecclesiæ, & Æditui.

f P. 6. c.2. §. 2.

g P.3. c.1. §.27. & P. 4. c.8.§.1. & P. 7. c. 4. §. 10. & R. Prov. 101.

Confessiones audire, & ad id designatio.

2. Jam cùm inter Ministeria, quæ exercentur plerumque inter nostra Templa, Sacramentorum administratio præcellat; primò juvandus est Proximus præcipuè in audiendis Confessionibus: ad quas Pro-

vincialis dabit operam, ut maturi ætate,& multò magìs ſpiritu, & moribus huic muneri addicantur. Immo ipſius eſt eos conſtituere; præmiſſo tamen domeſtico examine, & approbatione Ordinariorum, juxta Concilium Tridentinum (*h*).

h P. 7. c. 4. §. 5. & C. 6. D. 38. & C. 7. D. 80. §. 11. & C. 13. D. 16. & R. Prov. 26. & 100. & Præf. Eccl. 13. & Sac. 9. & In. 3. §. 1.

Diſpoſitio animi, & Doctrina Confeſſariorũ.

3. Debent autem Confeſſarij, ſic deſignati, eſſe multùm affecti erga hoc ſanctum Miniſterium: illúdque, tanquam noſtri Inſtituti valdè proprium, magni facere. Sciant quam facultatem ad hoc munus habeant. In caſibus conſcientiæ, iíſq; præſertim, quæ ad cenſuras, caſus reſervatos, reſtitutiones pertinent, ſeſe diligenter exerceant; earúmque rerum compendium, & brevem interrogandi methodum, ac contra ſingulorum peccatorum ſpecies exempla, & dicta Sanctorum, atque alia ſalutaria remedia comparare ſtudeant (*i*). De ſcientia prærequiſita vide dicta P. 2. cap. 5. ſect. 6.

i P. 4. c. 8. §. 4. & D. & P. 7. c. 4. §. 5. & Reg. Sac. 8. 9. & 11.

Scientia in peculiaribus facultatibus uſurpandis.

4. Sed in particulari modum hoc Sacramentum miniſtrandi perſpectum habeant; in eoque ſint uniformes, quantum Regionum varietas patietur: formam tamen, & rationem abſolvendi ab excommunicatione, & alijs cenſuris, & peccatis eandem omnes ſequantur: eáque pro foro con-

conſcientiæ petenda à Directorio P. Polanci. Sed in foro exteriori (ſi aliquando contingat id eſſe præſtandum ex delegatione Prælatorum) ſequantur formulam in eo Epiſcopatu receptam. Attendántque, nè ex modo utendi facultatibus Societatis, Ordinarij, & Parochi jure offendi poſſint (*l*). Facultates autem, quibus Societatis Sacerdotes inſtructi ſunt, in ordine ad Confeſſionem, petantur è Compendio Privilegiorum Societatis, addita interpretatione DD. propter recentiorum Pontificum Decreta.

l P. 4. c. 4. D. & C. 5. D. 21. & R. Sac. 10. & 12. & In. 3. §. 14.

Alacritas, & moderatio.

5. In miniſtrando autem hoc Sacramento quædam curanda. Vocati ad Eccleſiam, ad Confeſſiones audiendas, ſtatim, cum animi alacritate, eò ſe conferant: & quò major Pœnitentium, & præſertim Pauperum, multitudo futura eſt: eò magìs tempeſtivè ab alijs occupationibus ſe expediant (*m*). Ut habeatur autem ſanitatis ratio, Confeſſiones matutinas ultra horam prandij non producant, niſi neceſſitas aliud exigat (*n*).

m Re. Sac. 13. & 21. & In. 3. §. 11. & R. Æd. 14.

n Re. Sac. 21.

Gravitas.

6. Mutuum cum Pœnitentibus aſpectum fugiant, & interpoſitâ tabulâ, aut ſaltèm manu, eos audiant; mulieres autem ad crates tantùm (*o*). Paterna quædam

o R. Sac. 15. & In. 3. §. 2.

dam gravitas in eis eluceat, & cum fœminis potiùs ſeveritas, quàm familiaritas(p). Inſtituant quidem diligenter Pœnitentes, & fructu eorum ſpirituali potiùs gaudeant, quàm numero; ſed nullius curam, aut Obedientiam ſuſcipiant; nec ullum veſtimenti genus, aut colorem, illis præſcribant (q); & gratum ſibi oſtendant, ſi pœnitentes ad alium Confeſſarium migrent (r). Immo expediret, occaſione Miſſionum, aliquam illis libertatem dare mutandi Confeſſarium; & nè ſit fructus exiguus, ſi perpetuò cum nonnullis Devotulis occupentur (s). Reliqua ſervanda, occaſione hujus Miniſterij, ad caſtitatis præſidium, vide ſuprà Part. 4. cap. 2. ſect. 2.

p R. Sac. 17.

q R. 19. & 25. & In. 3. §. 12.

r Reg. 20.

s In. 15. c. 2. §. 8. & In. 3. §. 10.

Prudentia.

7. Conſideratè quiſque procedat, dum ſuper Votis ad perfectionem conducentibus conſulitur, & ad ea emittenda neminem inducat: nec facilè, ad Religionem propenſos, ad unam potiùs, quàm ad aliam invitet (t). Nemini vel petere, vel accipere quidquam liceat reſtituendum ſatisfactionis nomine, vel in pauperes erogandum; niſi Superior, cùm opus eſt, ſecus faciendum duxerit (u). Sed ut ad proprium uſum, & diſpoſitionem

t R. Sac. 23. & 24.

u R. 22.

nem accipiatur, Superiores concedere facultatem nequeunt (*x*). *x C. 6. D. 21. & C. 12. D. 39. & Or. c. 4. §. 9.*

8. Qui vocantur ad juvandos eos, qui morti vicini sunt, ea in promptu habeant; quæ eo tempore, in quo tantum est momenti, usui esse possint: tamdiúque illis adsint, quamdiu sola necessitas postulabit: etsi cùm opus est, ægrotos ad condenda testamenta hortari conveniat, ijs tamen conficiendis non assistant (*y*). Tempore pestis designandi, qui Proximis juvandis vacent (*z*). *Cum moribundis quid præstandum.* *y P. 4. c. 8. §. 7. & G. & R. Sac. 28.* *z R. Piov. 99.*

9. Quia verò in parvis Collegijs questi sunt aliqui, non satìs esse occupationum pro Sacerdotibus; legenda Instructio quarta, ubi plures indicantur, quibus ubique Sacerdotes utiliter tempus impendant (*a*). *Otium vitandum.* *a Instr. 3. §. 15. & Cl. c. 1. tit. 2. §. 4.*

SECTIO III.

De Confessarijs Principum.

I.

IN Persona deligenda (si quando id officium declinari nequeat) hoc servandum est; ut qui à Principe expetitur, quamquam se paratum poscenti respondeat, rem tamen integram Provinciali reservet. Cujus erit (si modò hominem *Quomodo designandi.*

idoneum reputat) priusquam potestatem faciat, Principi modestè quidem, sed perspicuè significare, qua lege Nostrorum operam illi commodare fas sit (*b*).

b Or. c. 11. §. 1. & 14.

Confessarij obligationes erga se.

2. Jam verò Confessarius sic designatus ità se gerere debet, ut res aulicæ ejus spiritum non relaxent. Quare majore etiam cura, quàm ceteri, studio Orationis se dedat; disciplinæ domesticæ, & vitæ communi se prorsus attemperet; paupertatem retineat; obedientiam exactè servet: expediétque, si adjuvandis Proximis, reliquorum more, se exerceat. Diversari, aut pernoctare in Aula non poterit, quibus in locis Domicilium Societatis fuerit; quod si hoc alicubi nullum sit; curet, ut apud religiosos viros, aut honestum Sacerdotem extra Aulam, nec sinè Socio, commoretur (*c*): Et universè assignari non debet ex Nostris ullus, qui Aulas sequatur; nisi fortè ad perbreve tempus unius, vel duorum mensium (*d*).

c Or. c. 11. §. 1. 2. 3. & 10. 11. 13. & C. 6. D. 21.

d C. 2. D. 40.

Erga Principem.

3. Erga Principem modestia, ac libertate religiosa utetur. Igitur externis, ac politicis negotijs nè se implicet; nè Aulam nimis frequentet; non interponat suam operam ad compositiones ineundas, & similia; nec suam potentiam apud Principem

pem oſtentet; verùm ſi qua eſt, potiùs diſſimulet. Ceterùm convenit, ut Principi liberè ſignificet, quæ Divinum obſequium dictaverit, etiam ſi ab eo nihil reſcierit, ſed aliunde comperta ſint (*e*). *e* Or. c.11. §. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & C. 5. D. 47. 48. & 79. 80.

4. Quoad Societatem attinet, illud curet; ut huic potiùs, quàm ſibi, Principis benevolentiam conciliet; ejuſdémque animum ſic affectum retineat; ut quandocumque Superiores judicaverint expedire ipſius mutationem, prona omnia nanciſcantur (*f*). *Erga Societatem.* *f* Or. c.11. §. 12.

SECTIO IV.

De Euchariſtia, reliquis Sacramentis, & Reliquijs Sanctorum.

1.

EUchariſtiam in ſuis Eccleſijs Societas ſervare poteſt. Quod cùm decenter fieri debeat: ſit clavi obſerata, & ſaltèm decimoquinto quoque die innovetur. Poterúntque Noſtri eam quibuſcumq; Chriſti Fidelibus ad eas accedentibus impartiri; excepto tamen die Paſchatis, & mortis articulo, niſi neceſſitas urgeret (*g*). Quare noſtri Sacerdotes admonere illos debent, qui ſibi confitentur, à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſivè, *Euchariſtia ſervanda, & quatenus administranda.* *g* Paul. III. p. 49. & P. 7. c. 4. §. 5. & R. Præf. Eccl. 16.

h P.7. c.4. D.& R.Sac.27.& R. Præf. Eccl. 27.

sivè, debere semel in sua Parochia communicare, exceptis ijs, quos jus excipit (h).

Quàm frequenter Laicis concedenda.

2. Ut pium est, ad frequenter communicandum Fideles exhortari; ità quos ad id propensos viderint, admonere debent; nè crebriùs quàm octavo quoque die accedant, præsertim si matrimonio sint conjuncti. Si verò alicubi consvetudo majorem frequentiam induxerit; Provincialis tantùm erit dispensare, ut bis in hebdomada fieri possit (i).

i R. Sac. 26. & In. 3. §. 8.

Præfecti Ecclesiæ, & Æditui munia in Eucharistiæ cultu.

3. Plura etiam præscribuntur Præfecto Ecclesiæ, & Ædituo, quæ ad decentem, seu consecrationem, seu administrationem Eucharistiæ faciunt, tam pro Nostris, quàm pro externis Sacerdotibus; quæ suis locis videri possunt (l).

l R. Præf.Eccl. 3. 4. 10. 11. 12. 13. 16. 19. 20. 31. & R. Ædit. 3. 4. 5. 6.7.8.9. 10. 13. 17. 22. 23. 24.

De reliquis Sacramentis.

4. De alijs Sacramentis vide Verb: Sacramenta in Comp: ubi conceditur administratio Extremæ Unctionis pro Infirmis nostrarum Domorum; & quoad reliquos etiam in necessitate, & sinè præjudicio. Asservandum igitur Oleum Sanctum, ùt oportet; & renovandum singulis annis (m). Baptismus verò solùm in necessitate omnibus conferri potest; ùt habet jus commune. Matrimonium autem

m Reg. Præf. Eccl. 18.

tem nulli, nisi in Provincijs illis, in quibus necessitatis causâ, id à Generali Præposito permissum fuerit.

5. Mobiles Sanctorum Reliquias decenter Præfectus Ecclesiæ custodiat, duabus clavibus obseratas; quarum alteram ipse, alteram diversam Superior habeat (*n*). Interdictum verò omnibus est, etiam Provincialibus, & Visitatoribus; nè ex Sanctorum Reliquijs quidquam, ullâ ratione auferant, aut auferri permittant: Transgressoresque hujus Decreti judicio P. N. puniendi (*o*).

De Sanctorum Reliquijs.

n R. Præf. Eccl. 18.

o C. 7. D. 28. & R. Prov. 121.

SECTIO V.

De Verbi DEI explicatione.

1.

OCcupationes universaliores, cæteris paribus, præferri debent alijs magìs particularibus. Quare si utrisque vacari non potest; præstat, legere, concionari, quàm Confessiones audire, atque his similibus distineri; cùm illa ad plures, hæc ad pauciores Christo lucrandos dirigantur (*p*). Proponatur igitur assiduè Verbum DEI populo in Ecclesia, in Concionibus, & Sacræ Scripturæ, vel Doctrinæ lectionibus. Quibus medijs omnibus, an ali-

Præcipuum id Societatis munus.

p P. 7. c. 2. E.

alicubi uti non conveniret, Superioris erit dijudicare (*q*).

q P.7. c. 4. §.6. & E. & Paul. III. p. 9. & 25. & Jul. III. p.61. & Greg. XIII. p. 250. & Re. Prov.39. & 99.

2. Et nè in re tanti momenti pertractanda quidquam diligentiæ prætermittatur, non pauca servanda; quæ in Concionatorum regulas à Constitutionibus ferè omnia traducta sunt: & 1. designant Verbi DEI Ministros. 2. materiam. 3. modum.

Ordo dicendorum.

Quales, & per quem ad concionandum seligendi.

3. Igitur tanto muneri, & præcipuo inter reliqua à Societate usurpata Superiores longè antè debent seponere; quos ad illud naturâ factos, & in humilitate bene fundatos cognoverint: non eos distinendo alijs occupationibus; curando, ut studiorum tempore bene instituantur; & duo itidem, vel unus saltèm concedatur annus, ut privato studio, ac sanctæ meditationi vacent, in modo concionandi tum privatim, tum publicè eos exercendo (*r*), ùt indicatum est, ubi de Scholasticorum nostrorum studijs P. 2. c. 5. sect.7.

r P. 3. c.1. §.21. In. 2. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 10. & C. 2. D. 62. & C. 6. D. 38. & C. 7. D. 80. §. 10. & St. R. Prov. 26.

4. Provincialis erit Prædicatores constituere, præmisso tamen domestico examine, & approbatione Ordinariorum, juxta formam Concilij Tridentini (*s*). Retinendum tamen est privilegium, ut Nostri possint concionari; etiamsi non sint

s R. Prov. 26.

ſint ad ordines promoti, dummodo primâ tonſurâ inſigniti (*t*). Idem Provincialis præcipuè invigilet circa Concionatores; ut ſi quis ex ijs ad ſuas ſe regulas fortè non accommodaverit, à concionandi munere amoveatur; & in alijs Societatis noſtræ Miniſterijs occupetur (*u*).

t Greg. XIII. p. 250. & C. 2. D. 62.

u R. Prov. 98.

Concionatorum ſtudia.

5. Deſtinati verò huic miniſterio, Lectioni Sacræ Scripturæ, ac Patrum præcipuè incumbant. Conferet aliqua ſcripto adnotâſſe, & in locos communes redegiſſe; quæ ad virtutes, & vitia pertinent: proderítque etiam vidiſſe præceptiones aliquas de modo concionandi; & optimos quoſque audiviſſe Prædicatores (*x*).

x P. 4. c. 8 B. C. & F. & R. Cõc. 4. 5. & 17. & In. 2. §. 6. 7.

Virtute præcellant.

6. Præterea memores ſibi demandatum munus, omnium difficillimum reducendi animas ſuo Creatori, ſummo ſtudio illa media adhibeant; quæ inſtrumentum cum DEO conjungunt, cujuſmodi ſunt ſolidæ virtutes, præcipuè charitas, pura intentio, & familiaritas cum DEO: enitantúrque non minùs vitâ, quàm doctrinâ, ad omnem virtutem Proximos allicere (*y*).

y P. 7. c. 4. §. 2. & P. 10. §. 2. & R. Conc. 2. 3. & In. 2. §. 8.

Eorum humilitas.

7. Optare debent, ut corrigantur. Non ſint minùs parati ad docendos pueros, & rudes ubique, etiam in plateis, quàm ad cele-

z P. 4. c. 8. C. & P. 7. c. 4. §. 7. & R. Conc. 6. 7. 8.

celebriores conciones; libentérque alijs volentibus concionari locum cedant (*z*).

Frugalitas.

8. Qui cibis quadragesimalibus vesci non possunt, extra Domos nostras concionaturi nè mittantur. Cum ijs verò, qui in Ecclesijs nostris concionantur, nemo dispenset, inconsulto Provinciali. In victu autem, & vestitu lautitiæ illæ, ac singularitates, & exemptiones, quibus alij meritò offenduntur, minimè concedantur (*a*).

a In. 2. §. 9. & Or. c. 1. §. 15.

Paupertas.

9. Qui in loca etiam remotiora concionaturi mittuntur, præter equum suum, & socij, tertium pro sarcinis nè addant. Cúmque extra Collegium concionantur, victum potiùs, quàm pecuniam pro victu accipiant; ídque apud Ecclesiasticum, vel alium honestum civem, vel convenienti aliquo Religiosis loco. Viaticum porrò, non nisi necessarium, pro solo itinere admittant (*b*). Quia verò Concionantibus extra nostra templa obtrudi aliquando stipendium solet, præscriptum est 1. nè quid oblatæ pecuniæ Concionator accipiat; sed si quis offerat, eum ad Superiorem Collegij, vel Domûs loci, in quo concionatus est, remittat. 2. Superior offerenti declaret, nihil præter id, quod ad Concionato-

b In. 15. c. 1. & C. 6. D. 39. §. 4. & C. 7. D. 80. §. 8.

ris

ris sustentationem, & viaticum fuerit expensum, aut necessarium accipi à nobis posse, tanquam stipendium, aut eleemosynam in compensationem pro ministerio; adeóque quidquid ultra reliquum fuerit, reddat. 3. Si tamen urgeat ille ultrò, & spontè, ac titulo puræ, & liberalis eleemosynæ velit dare; poterit in eo casu Superior, in utilitatem Domûs, seu Collegij, cui præest, accipere. Si verò Concionator alibi, quàm ubi Societatis domicilium est, concionatus fuerit. 1. Nihil pariter supra id, quod ad sustentationem, & viaticum expensum, necessariúmque fuerit, admittet. 2. Si tamen urgeatur, nec illud etiam alio quovis modo, vel nomine accipiet, quàm quo dictum jam fuit. 3. Quidquid illi reliquum, ultra sustentationem, & viaticum fuerit; id totum, cùm ad locum, ubi ex Superiorum mandato degere debet, venerit, loci illius Superiori, & in ejusdem Domus utilitatem tradet (*c*). *c C. 12. D. 40.*

10. Materia verò à Concionatoribus pertractanda ea sit, quæ captum Auditorum non superet, & ad piam eorum utilitatem faciat. Commendent Confessionis, & Eucharistiæ frequentem usum, & cæ- *Zelus, & Prudentia in seligenda materia.*

 tera,

tera, quæ ad cultum Divinum, & obedientiam erga Prælatos: quidquid demum ad officia viri Christiani pertinet: quod etiam præstabunt qui Sacram Scripturam populo prælegunt (*d*). Abstineant prorsus ab ijs dicendis, quibus Magistratus, & Ecclesiastici in particulari perstringuntur. Caveant etiam, nè Religiosos aliorum Ordinum reprehendere videantur: & in domesticis exhortationibus reprehensionem alicujus particularis, aut Societatis nè attingant; & omissis dubijs, certa proferant (*e*).

d P. 4. c. 8. A.

e P. 3. c. 1. §. 5. & P. 4. c. 8. §. 3. & B. & R. Conc. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

11. Quoad orationis, seu styli formam pertinet; nè verborum lenocinia sectentur: & propterea procul habeant libros politioris sermonis, sed profanos; nimias exaggerationes fugiant; facetias omninò vitent. Modus concionandi à Scholastico sit diversus, utpote ad movendum magìs, quàm docendum factus. In rebus populo denunciandis, & eleemosynis commendandis Superioris præscriptum servent (*f*).

Stylus gravis.

f P. 4. c. 8. §. 3. & R. Conc. 15. 16. 19. 20. 21.

12. In Actione Gestus corporis sit modestus, gravis, & ab arrogantia, & ostentatione prorsus alienus; sed potiùs præseferens humilitatem, cui ex animo studere de-

Actio ad maturitatem composita.

debent. Non aliqua ſpectacula exhibeant à conſvetudine Societatis aliena; niſi Superior aliquando judicaverit diſpenſandum. In concionibus, & lectionibus templi ſpatium horæ non excedant (g). g R. Conc. 16. 18. 22. 23.

13. Superpelliceum in concionibus adhibendum; ſtola, juxta patriæ morem; & ſuperpelliceum etiam in Lectionibus Sacræ Scripturæ, ubi ejus eſt uſus (*h*). *Veſtes.* *h* C. 1. D 110. & C. 4. D. 10.

SECTIO VI.

De Catecheſi, & privatis ſermonibus.

DE Doctrina Chriſtiana, ſeu Catechiſmo nonnulla peculiaria referenda ſunt, ad ejus pretium, praxímque ſpectantia, præter jam dicta, ubi de Profeſſis, Par. 3. cap. 3. ſect. 2. §. 3. 4.

1. Igitur Præpoſitus Generalis nominatim commendatam ſibi noverit inſtitutionem puerorum, ac rudium in Chriſtiana Doctrina: eſt enim maximè neceſſarium, ut circa hujus rei providentiam diligenter invigilet: cùm in Proximis ædificium Fidei, ſinè hoc fundamento non poſſit conſurgere; & in Noſtris periculum ſit, nè, ùt quiſque erit doctior, ità Provinciam hanc, tanquam primo aſpectu minùs *Graviſſima hujus Miniſterij commendatio.*

 ſpe-

ſpecioſam, forſitan detrectare conetur: cùm tamen revera nulla ſit fructuoſior, vel proximis ad ædificationem, vel Noſtris ad charitatis, & humilitatis ſimul officia exercenda (*i*).

i Paul. III. p. 12. & Jul. III. p. 61. & P. 5. c. 3. B. & C. 2. D. 58. & R. Præp. 39.

Ejus extraordinarium exercitium.

2. Præter aſſiduum uſum hujus Miniſterij tantoperè commendatum, omnes, poſt emiſſam Profeſſionem, aut ſuſceptum Gradum Coadjutoris ſpiritualis, debent Catechiſmum docere per quadraginta dies; quod etiam Præpoſitis, & Rectoribus, ubi primum Regimen auſpicantur, injunctum eſt. Diligenter etiam in ea tradenda Novitij inſtituendi ſunt: & externi diſcipuli in ſcholis inferioribus eandem docendi, ùt ſuis locis traditur (*l*).

l P. 4. c. 10. §. 10. & K. & C. 1. D. 138. & C. 2. D. 58. & 65. & R. Prov. 71. & R. Præp. 4. & Rect. 3.

Modus majori locorum ædificationi aptandus.

3. Modus autem Doctrinam Chriſtianam tradendi, pro locorum ratione, ad ædificationem, & majorem utilitatem exigetur, ſive id canendo, ſive ſecus fiat (*m*).

m C. 1. D. 137. & R. Præp. 39.

Omniū eſt pijs adhortationibꝰ juvare proximos.

4. Cæterùm præter enunciata Miniſteria Verbi DEI, quæ non ſinè delectu noſtris hominibus imponuntur, omnium prorſus eſt, pro ratione ſui gradus, pijs colloquijs Proximum ad meliora promovere, & conſilio, ac exhortatione ad bona opera, præſertim ad Confeſſionem excitare.

tare. Quod ut præſtare faciliùs poſſint, inter Domeſticos pijs ſermonibus aſſveſcant, & lingvam ejus regionis, in qua reſident, addiſcant (*n*).

n Ex. c. 6. §. 4. & P. 7. c. 4. §. 8. & R. com. 42. & 10. & R. Co. adj. 9. & Ord. c. 4. §. 22.

SECTIO VII.

De Officijs Divinis.

1.

QUoniam occupationes, quæ ad animarum auxilium aſſumuntur, magni momenti ſunt, ac noſtri Inſtituti propriæ, & valdè frequentes; cùm alioqui noſtra habitatio tam ſit in hoc, vel in illo loco incerta: non utentur Noſtri choro ad Horas Canonicas, vel Miſſas, & alia Officia decantanda; quandoquidem illis, quos ad ea audienda devotio moverit, abundè ſuppetet, ubi ſibi ipſis ſatisfaciant (*o*).

Cur non inductus ſit Chorus in Societatem.

o Paul. III. pa. 14. Jul. III p. 67. & Gregor. XIII. p. 136. & P. 6. c. 3. §. 4.

2. Quatenus tamen judicaretur populum moveri ad magìs frequentandas Confeſſiones, Conciones, & Lectiones, & non aliter; poſſet ordinariè Dominicis, & Feſtis diebus dici veſpertinum Officium, ſinè cantu figurato, vel firmo, ſed tono quodam devoto, & ſimplici, eodémque tono Officium Hebdomadæ Sanctæ cum ſuis cæremonijs. In Miſſis autem majoribus, quæ dicentur (licèt ſubmiſsâ voce) ha-

Quatenus aliquando permiſſus, & quo cantu.

habitâ ratione devotionis, & decentiæ, licebit duos vestitos superpelliceis assistere (*p*). Habitâ postea ratione finis prædictæ Constitutionis dispensatum est; ut Præpositus Generalis posset inducere Missæ, & Vesperarum cantum, vel etiam inductum revocare, ubi minùs benè id munus præstari posset (*q*). Cantus verò non alius esset, quàm præscribitur in Constitutionibus: circa quem tamen locum habeat dispensatio P. Generalis, præsertim inter Hæreticos, & Infideles (*r*). A quo etiam permitti poterit, ut in morte Principum, quando pro eis exequiæ publicæ fieri solent per Ecclesias Civitatis, in nostris pariter celebrentur, cũ feretro, sinè pompa; celebrando scilicet Missas: vel si usus Patriæ habet, etiam recitando Officium Defunctorum, modo nostro simplici (*s*). Ad uniformitatem verò in omnibus Provincijs observandam, statutum est; ut in publicis cæremonijs, in Missis ac Vesperis, quando cantantur in nostris Ecclesijs, in Sacramentorum administratione, & in alijs Officijs Ecclesiasticis ritus ubique Romanus observetur (*t*).

p P. 3. C. 3. §. 4. & B. & C. 1. D. 40.

q C. 2. D. 17.

r C. 3. D. 36.

s C. 1. D. 12. & C. 4. D. 61.

t C. 9. D. 19.

Processiones quatenus usurpandæ.

3. Statutum pariter fuit, nè Processiones à Nostris in posterum fierent; sed Gene-

neralis haberet facultatem dispensandi, ut eædem retineantur, & instituantur, ubi ad DEI gloriam expedire judicaverit: Romana porrò Corporis Christi Processio (cùm intermittendam PP. censuissent) jussu Greg. XIII. retenta est (*u*). Idem tamen Pontifex voluit Nostros liberos omnino esse à publicis Processionibus, seu precibus, nec ab ullis Ordinarijs cogi posse, ut illis interessent (*x*).

u C. 3. D. 35.

x Greg. XIII. p. 155.

4. Si tamen contingeret, ut interesse compelleremur publicis Supplicationibus; superpelliceo utemur, juxta communem honestorum Clericorum morem. De loco tamen, & Ordine procedendi relinquendum est eorum arbitrio, qui nos vocârunt (*y*).

Eædem quo loco, & ritu.

y C. 3. D. 25.

SECTIO VIII.

De Congregationibus Beatæ Virginis, & bonæ Mortis.

I.

ERectæ sunt intrà nostra septa Sodalitates B. V. primò quidem in Collegio Romano pro externis Scholasticis, ad hoc; ut hi certis diebus, & horis convenientes in nostrum templum Annunciationis Beatæ Mariæ, Confessionis, & Eu-

Institutio, & exercitia Congregationũ B. Virg. & bonæ Mortis.

chariſtiæ Sacramenta ibidem frequentarent, & Divinis officijs, colloquijs, & exhortationibus ſpiritualibus, aliiſque pijs operibus vacarent; cui Sodalitati, beneficio Apoſtolico, pluribus Indulgentijs ornatæ Præpoſitus Generalis, ſeu Vicarius alias erectas in quibuslibet noſtris Domibus, Collegijs, & Reſidentijs, quin & in alijs Domibus, ſeu Seminarijs exiſtentibus ſub directione Societatis, & conſtantes etiam ex non Scholaribus poteſt aggregare; ità ut æquè, ac prædicta Congregatio Primaria indultis, ac Indulgentijs ei conceſſis fruantur (z).

z Greg. XIII. p. 256. & Sixtus V. p. 269. & Idem p. 3. in App. Inſt. Soc. impr. an. 1665. & Clem. VIII. p. 301. & Ord. c. 2. §. 1.

Nō poſſunt habere bona immobilia, & certos reditus.

2. Eſt autem advertendum Congregationes, quarum directio à Societate ſuſcipitur, nullo modo bona immobilia, aut certos reditus admittere poſſe; cùm nec Societas capax ſit eorum redituum, nec ipſa Sodalitia; cùm ejuſmodi eſſe oporteat, ut à Noſtris erecta, quandocumque illi ſe ſubducere voluerint, eo ipſo diſſolvantur. Cæterùm ex hac ordinatione illud etiam commodi accidit, ut hæ Sodalitates non ſubſint Ordinariorum Viſitationibus: ſed à Societate, cujus fuit earum Inſtituta condere, drrigantur (a).

a Greg. XIII. p. 260. & Ord. c. 21. § 3. & breve MS. Greg. XV. 15. April. 1621. & Decl. Sac. Congr. de qua mentio in literis encyclicis Secr. Societatis 10. Sept. 1605.

3. Porrò modus, quo dirigi debeat poſtu-

ſtulatio aggregationis Sodalitatum ad primariam Romanam, paucis comprehenditur. 1. Cùm Rectori, accedente etiam Provincialis judicio, videbitur tot eſſe perſonas, & tales, ut nova Congregatio inſtitui debeat; curabunt ut aliqui ex ijs binas literas Romam ſcribant, alteras ad P. Generalem (penes quem unum eſt aggregandi poteſtas) quibus id petant; alteras ad ipſum Præfectum, & Aſſiſtentes Primariæ Congregationis, flagitantes ut eam gratiam apud P. Generalem procurent. 2. Expenſæ in exſcribendis literis patentibus pro aggregationibus hujuſmodi, non ſuſcipiantur ab alijs, quàm ab ipſis Provincijs. Provincialis tamen proſpiciat peculiari aliqua ratione, nè Collegia, & Domus hiſce ſumptibus graventur (b).

Forma eas aggregandi Primariæ Romanæ.

b Or. c. 21. §. 2. 3.

4. Præterea à P. N. Vincentio Carrafa anno 1648. inſtituta eſt in Templo Domûs Profeſſæ Romanæ, atque exinde in reliqua Societatis Templa maximo fructu propagata Congregatio, quam vocant Bonæ Mortis; quia certo hebdomadæ die conveniunt utriuſque ſexûs Chriſti Fideles, ut pijs adhortationibus, & precibus ad ſanctum vitæ finem peragendum juventur. Atque hanc Congregationem

Congregatio bonæ Mortis.

Alexander VII. Indulgentijs munivit, Brevi expedito 21. Augusti 1655. ubi asserit eandem esse auctoritate Apostolicâ confirmatam.

Congregationes Externorum nõ admittendæ.

5. Non permittendum autem, ut cum Congregationibus Externorum Nostri misceantur; nec ulli earum conventus apud nos agantur, nisi qui ad finem Societatis conducerent (c).

c P. 7. c. 4. G. & R. Prov. 103.

SECTIO IX.

De Exercitijs Spiritualibus.

1.

Exercitiorum Institutio, & utilitas.

EXercitia spiritualia, auctore S. Ignatio, ex Sacris Scripturis, & vitæ spiritualis experimentis elicita, & in certum ordinem, ad piè movendos Fidelium animos, redacta, sunt unum ex Instrumentis essentialibus Instituti Societatis; quibus illa ad suorum, Externorúmque spiritualem profectum utitur; & quibus referri debent, magna ex parte, accepti uberes fructus, quos eadem Societas in Ecclesia DEI ubique gentium producere non cessat (d).

d Paul. III. in Form. p. 9. & 32. & Jul. III. in eadem pag. 61. & P. 7. c. 4. §. 8. & C. 5. D. 58. & C. 7. D. 40.

Modus ea tradendi in Directorio.

2. In hoc armorum spiritualium genere tractando erudiendi sunt nostri Scholastici, ùt indicatum est P. 2. c. 5. sect. 7. §. 6.

&

& ad hanc ſcientiam parandam, ex Decr. 107. Cong. 1. & approbatione Cong. 5. Directorium peculiare compoſitum eſt, atque vulgatum (*e*). Rejecto igitur Lectore ad uberrimam hujus Directorij inſtitutionem, huc pauca revocabuntur, quæ ſparſa in Conſtitutionibus, & Regulis extant.

e Ep. Secr. Societatis præfixa eidem Directorio.

Non omnium ea tradere.

3. Licèt Sacerdotum maximè ſit, allicere ad Exercitia homines, atque ea tradere: nulli tamen ea cura demandanda eſſet, niſi prudentiâ, ac rerum ſpiritualium uſu ſatìs probatus eſſet (*f*).

f P. 4. c. 8. §. 5. & P. 7. c. 4. §. 8. & R. Sac. 7. & Præpoſ. 41. & Rect. 67.

Neque omnibus integra.

4. In univerſum loquendo Exercitia, quæ ad primam hebdomadam pertinent, tantùm tradantur. Omnia verò tradi oportebit raris hominibus, & qui de vitæ ſuæ ſtatu deliberare velint (*g*).

g P. 4. c. 8. E. & P. 3. c. 3. R.

Nullæ ſcripto meditationes communicentur inſcio Superiore.

5. Nemo ſcriptas dabit, aut mittet cuiquam Externo, vel Domeſtico Inſtructiones ſpirituales, aut meditationes, nec Exercitia ſpiritualia communicabit, niſi à Superiore id approbetur (*h*).

h R. com. 39.

Indulgentia plenaria Exercitia peragentibus.

6. Conceſſa eſt Indulgentia plenaria, omnibus Chriſti Fidelibus, qui apud Nos Exercitia per octiduum peregerint, & confeſſi Sacram Euchariſtiam ſumpſerint (*i*).

i Alex. VII. in Brev. pag. 49. Append.

7. Ne-

Expensæ pro Exercitijs.

7. Neque hìc omittendum videtur ex Directorio in Exercitijs c. 4. §. 2. quoad expensas nostrarum Domuum, levandas attinet; si quando graves essent, ob Externorum sese apud nos exercentium alimenta, eleemosynas in id oblatas, si offerantur, communiter non recusandas, præsertim à ditioribus; nec, si non offerantur, requirendas esse.

CAPUT II.

De Missionibus.

EXpositis hactenus Ministerijs maximè affines sunt Missiones, ac proinde hìc tractandæ; licèt extra nostras Domos necessariò peragantur. Scholæ publicæ, domesticũ quidem munus, sed materia discrepans, postmodum exponentur.

SECTIO I.

Missionum dignitas, & per quos instituendæ.

Missiones Societatis propriissimæ.

I.

ET quidem inter præcipua Societatis munia Missiones censentur: ut nostræ Vocationis proprium dicatur, diversa loca peragrare, & vitam agere in quavis Mundi plaga, ubi majus animarum auxilium speratur (*a*).

2. Et

a Ex. c.4. §.27. & 35. & P.3. c.2. G. & P.4. Prooem. A & P.7. c.1. §.1. & A. & c.2. H. & Paul. III. in Form. p. 21. & Jul. III. in eadem p. 63. & Paul. III. in Bul. p. 38. & C. 5. D. 46. & R. Miss. 1. & In. 12. §. 2.

2. Et propterea Societas Professa aliquas obligationes suscipere recusat, de quibus infrà Cap. 3. Nec Professi stabilem in Domibus habitationem habent; ut expeditiores sint ad Missiones, quæ propriæ ipsorum sunt, & obnixè propterea P. Generali commendatæ (*b*). Quatenus autem Professi vi voti, quo se obstrinxerunt Summo Pontifici, ad Missiones teneantur; & quomodo ijdem in Pontificijs Missionibus se gerere debeant, explicatum est suprà Part. 3. cap. 3. sect. 3. *Sed præcipuè Professorum.*

b P.4.c.2.§.4. & B. . . & P.6.c.3.§.5.& C.5.D.46.

3. Quare hìc agendum est de Missionibus, ad quas mittuntur nostri Sacerdotes à Superioribus Societatis: dicendorum tamen pleraque pertinere etiam ad Pontificios Missionarios minimè dubitandum est. Primò igitur exponendum, quid servare debeat, qui mittit; 2. Quid præstandum à Misso circa seipsum. 3. Quid circa alios. *Ordo dicendorum.*

4. Præpositus Generalis quocumque locorum mittere potest omnes suos Subditos, sive Professionem emiserint, sive non emiserint; cùm expedire ad animarum auxilium judicaverit. Quam mittendi facultatem potest Generalis Inferioribus communicare (*c*). *Generalis auctoritas ad Missiones.*

c Paul. III. p. 38. & P.7.c.2. §.1.& B. & P. 9.c.3.§.9.& F.

5. Vi-

Vicarij. 5. Vicarius autem Generalis habet limitatam facultatem mittendi Professos quatuor Votorum. Nam ad Infideles, & remotas partes, non poterit mittere sinè decisivo suffragio Assistentium, & eò tantùm; unde impediri non possint, quò minus Congregationibus, ad quas jus habent, intersint (*d*).

d Off. Vic. §. 11.

Provincialium. 6. Provinciales ordinariè mittunt ad Missiones ex Subditis, quos volunt, intra Provinciam suam: immo jubentur in id Confessarios identidem adhibere; nè perpetuò cum nonnullis Devotulis occupentur. At extra Provinciam nequeunt mittere; præsertim eos, qui jus habent ad Congregationem Provincialem, quando ea imminet. Si tamen aliud posceret urgens causa, cum suis Consultoribus ad plura suffragia statuet, an mittendi sint (*f*).

f R. Prov. 106. & 109. & 112. 113. & Instr. 3. §. 10.

Superiorum localium. 7. Superiores locales non videntur habere facultatem suos mittendi ad laborandum in Missionibus extra Urbem, in qua resident, nisi ad loca vicina, tridui spatio; & hæ Missiones commendantur ad discutiendum otium Operariorum, & ædificationem præbendam Proximis (*g*).

g In. 4. §. 3. & In. 10. §. 10. & In. 15. c. 2. §. 8. & In. 3. §. 10. & In. Tēp. tit. 1. §. 5. & Cl. c. 1. tit 2. §. 4.

Eorum qui mittuntur. 8. Non repugnat etiam Constitutionibus, ut mittendi ipsimet sibi eligant ubi, &

& in qua re occupentur: si aliquorum judicio relictum fuerit, ut discurrant quacumque majus DEI obsequium, & animarum profectum assequi se posse arbitrantur (*h*).

h. P. 7. c. 1. §. 1. & 7. & c. 3. §. 1.

SECTIO II.

Qui, & ad quos mittendi.

1.

CEterùm Præpositus Generalis, & quicumque ab eo hanc mittendi facultatem habuerit, diligenter in hujusmodi Missionibus curet; ut quod ad majus DEI obsequium, & universale bonum facit, statuatur. Et si rei difficultas id poscit, præmissis suis, & suorum orationibus, & sacrificijs, & consultatione cum aliquo, vel pluribus ex Societate: quod maximè servandum est, si ob urgentiorem necessitatem Missio inter Infideles instituenda est (*i*).

Deus præ oculis in decernenda Missione.

i P. 7. c. 2. §. 1. & C. D. & P. 9. c. 3. §. 9. & F. & R. Prov. 109.

2. Ad eligendos autem populos, præ oculis habenda sunt aliqua; & cæteris paribus anteferendi qui, aut magìs indigent; aut spondent majorem fructum spiritualem; aut meliùs de nobis sunt meriti; aut quorum pietas latiùs promanare potest; ùt sunt Urbes primariæ; & in eis Principes,

Ad quos potissimùm Missio instituenda.

pes, viri docti &c.; aut ubi, propter malevolorum sermones, alienati à Societate aliqui, ei viderentur reconciliandi (*l*).

l P. 7. c. 2. §. 1. & D.

3. In determinandis verò personis, quas mittere oporteat, attendenda hæc sunt. 1. Ad res graviores, & in quibus plus refert non errare, aptissimi, & quibus maximè fiditur, seligendi. 2. Ubi magni subeundi labores corporis, robustissimi. 3. Ubi pericula spiritualia, in virtute probatissimi. 4. Ad agendum cum prudentibus, & primarijs Viris, conveniunt, qui conversandi cum hominibus gratiam habent, cum exteriori specie (modò, quæ interiora sunt, non desint) quæ ad auctoritatem conferat. 5. Ingeniosis, & literatis ij magìs quadrant, qui in ingenio itidem, ùt plurimùm, aptiores erunt, qui talento Prædicationis, & audiendarum Confessionum pollent (*m*).

Qui ad quasq; Missiones optimi.

m P. 7. c. 2. F. & R. Prov. 109.

4. Quod ad numerum attinet, & combinationem hujusmodi Operariorum, sua etiam consideratio adhibenda. 1. Conveniret non mitti unum, sed saltèm duos, 2. Plures etiam mitti possent, cùm suppeteret copia hominum; & numero messis responderet. 3. Concionatori adjungendus Confessarius, inexpertus exercitato, cir-

Quomodo invicem associandi.

circumſpectus animoſo; ità ut diverſitas utrumque juvet, non diſcordiam generet (*n*). *n* P. 7. c. 2. F.

5. Qui primo loco in Patentibus nominabitur, Superior erit Miſſionis; alter Admonitor: & ſi Provinciali videbitur, omnes ſubjiciantur Superiori vicinioris domûs (*o*), cui Superiori etiam jure Societatis communi ſubduntur (*p*). Quod ad modum mittendi ſpectat, Provincialis det operam; ut pedeſtri itinere proficiſcantur, habitâ ratione ſolius neceſſitatis in equitando: Præter patentes literas, videat an aliâ epiſtolâ dirigendi ſint ad loci Præſides (*q*). Inſtructionem etiam ordinariè mittendis dabit rerum gerendarum, plerumque in ſcriptis (*r*).

Cui parere debeant, & quomodo dirigendi.

o In. 12. §. 15. & R. Prov. 109.

p C. 11. D 32. & P. 7. c. 3. A.

q P. 7. c. 2. §. 1. G. L. M. & C. 3. D. 37. & R. Prov. 115. & R. Miſſ. 4. 5. & In. 12. §. 15.

r P. 7. c. 2. §. 2. & L. & N. & c. 1. §. 5. & F. & G.

SECTIO III.

Quid præſtare Mittendi debeant.

Ex parte verò eorum, qui mittuntur, non pauca ſervanda ſunt; ſeu conſiderentur quæ ad ipſorum animos, & cultum corporis ſpectant; ſeu quæ ad Proximorum utilitatem referuntur.

1. Ipſi, nullâ ratione, ſe ingerent ad eundum, vel manendum, in hoc loco potiùs, quàm in illo; ſed plenam, ac omninò li-

Indifferentia Mittendorum.

liberam sui dispositionem Superiori relinquent; postquam ei suæ conscientiæ plenam rationem reddiderint, ut meliùs in Missionibus dirigi possint (s). Hinc planum fit prohiberi; nè quis magnæ auctoritatis intercessiones adhibeat, ad aliquem de Societate petendum, nisi id Superiori probari intellexerit (t). Non tamen his repugnat proponere, debita cum indifferentia, motus animi, qui in contrarium occurrunt (u).

s P. 7. c. 2. §. 1. & c. 3. §. 1. & Ex. c. 4. §. 35. & R. Miss. 2. 3.

t P. 7. c. 2. K.

u P. 7. c. 2. I. & Ex. c. 8. A. & P. 5. c. 4. F. & R. Miss. 3.

Servandi mores, & disciplina religiosa.

2. Dum mittuntur, rem maximi ponderis in Societate sibi esse commissam intelligant: & ità se comparent, ut apta DEI instrumenta esse possint. Quantumlibet occupati nè obliviscantur propriæ perfectionis: servent cum DEO, & inter se unionem; & Orationem matutinam, & Examen vespertinum, quoad ejus fieri poterit, nunquam intermittant: servéntque Regulas Societatis. Apud alios verò se integritatis, & gravitatis exemplum præbeant (x).

x R. Miss. 1. & 25. 26. & In. 12. §. 2.

Paupertas, & ædificationis præsidia.

3. Paupertatem sectentur non modò in itinere, ùt suprà dictum est, sed & in Hospitio; quod Xenodochium esse oporteret, si mundum aliquod reperiretur; aut honesta domus; in qua fœminas non au-

diant.

diant. Invitationes ad mensam declinandæ. Victus potiùs, quàm pecunia pro eo comparando, accipiendus; ísque sufficiens quidem, sed qui sit ædificationi: acceptæ autem pecuniæ rationem Superiori reddent; &, si quid ejusdem superfuerit, pariter illi tradent (y). Quamquam in Missionibus præcipuè cavendum est, nè à Pœnitentibus, Amicis, ac Devotis pecunia ulla accipiatur ad proprium usum, cùm nec ad id facultatem Superiores dare possint (z).

y Re. Miss. 6. Or. c.1. §.18. & In.13. §.3. & 8. & C. 6. D. 39.

z Ex. c. 1. §. 3. & P. 6. c. 11. §. 7. & C. 5 D 29. & C. 6. D. 21. & C. 12. D. 39. & Or. c. 4. §. 9.

Reverentia erga Prælatos.

4. Cùm ingressi fuerint loca, in quibus Ordinarij resident, eos quamprimùm adeant; & oblatâ submisè operâ suâ, facultatem modestè petant ministeria Societatis exercendi: tum omnes, quorum auctoritate opus habent, benevolos sibi facere studeant, Parochos præsertim, ac Religiosos, & si quos adversarios esse Societati intellexerint (a).

a P. 10. §. 11. & B. & R. Miss. 7. & 17 & In. 12. §. 3. & 5. & 12.

Quæ Ministeria exercenda.

5. Tum strenuè admovenda manus operi: eáque ferè omnia in Missionibus media adhiberi poterunt; quæ congruunt Societatis Instituto; & superiùs enumerata sunt: nempe ministerium Verbi DEI, Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ administratio, Exercitiorum spiritua-

 lium

lium traditio, Ecclesiasticorum instructio, Catechesis ad Pueros, & alios rudes, Pauperum in Xenodochijs, & Carcere publico visitatio (*b*).

b P. 7. c. 3. §. 2. & A. & Reg. Miss. 10. 11. 12. & In. 12.

Quæ antefe-renda.

6. At in hisce Ministerijs eligendis infrascripta serventur. Cùm Societas spiritualia, & corporalia obsequia Proximis præstare possit; ubi utrisque par non est, priora præferantur. Eadem est ratio de magìs urgentibus, magìs proprijs nostri Instituti, destitutis aliorum ope; obnoxijs discrimini, secum fructum laturis, ad plurium bonum spectantibus, diutiùs permansuris, si cætera sint paria, adjiciendus potiùs est animus, quàm oppositis, seu Ministerijs, seu operibus: ac demum, quæ alijs præferenda, communicato consilio cum Superiore propinquiore, statuendum est (*c*). Ordo verò servandus in hisce Ministerijs, etsi certus præscribi non potest, juverit tamen ab humilioribus inchoare (*d*). Extat in Regulis Missionum Methodus ordinandæ Missionis; ad quam possunt adjicere Provinciales, quæ pro locorum, ac Missionum varietate opportuna videbuntur (*e*).

c P. 7. c. 2. §. 1. & E. & c. 2. A. & c. 3. §. 2.

d R. Miss. 13.

e R. Miss. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. &c. & 27. In. 12. §. 1. & 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10.

Zelus, & prudentia quomodo jungenda.

7. Indicantur præterea nonnulla, quà præstanda, quà cavenda; ut in Ministerio tam

tam multa exercitamenta complectente, magnósque animorum motus ciere solito, singula ad perfectam prudentiæ normam exigantur. 1. Amoveant suspicionem, se gratiâ reformandi, aut visitandi Cleri venisse (*f*). 2. Parochi, aliorúmque virorum idoneorum consilia, & opem exquirant (*g*). 3. Ità se omnibus omnia faciant, ut magnitudinem tamen animi præseferant, religiosæ modestiæ simul, & sanctæ libertatis tenaces (*h*). Si eleemosyna alicui largienda sit, cautè, & secretò fiat (*i*). 4. Non prætermittant occasionem Divini servitij, quam possint arripere, sinè injuncti operis detrimento; licebítque pariter excursiones breves aliò facere, cum spe fructûs (*l*). 5. Firmitatem, quantum licet, rebus perfectis procurent: non condant autem Statuta Congregationi ulli, inconsulto Superiore (*m*). 6. Tempus stationis, ubi à Summo Pontifice definitum non est, metiendum, comparando eum fructum, qui in ea percipitur, cum eo, qui speratur alibi. Cùm autem revocari aliquem oportebit, ijs medijs Provincialis utatur; ut illi, à quibus evocatur, non offendantur (*n*). Et ad hunc etiam finem, scribant, qui versantur in Mis-

f R. 8. 18. 19. & In. 12. §. 3.

g R. Miss. 4. & In. 12. § 4.

h R. Miss. 15. 16.

i In. 12. §. 11.

l P. 7. c. 1. §. 7. & R. Miss. 20. 21.

m R. Miss. 22. 23.

n P. 7. c. 2. H. & C. 2. D. 12.

(o) P.7. c. 2. §. 2. & H. & P. 8. c. 1. L. & C. 2. D. 54. & Formu. scrib. §. 5. & R. Prov. 108. & R. Miss. 24. & In. 12. §. 13.

Missionibus, ad suum Provincialem, aut ab eo designatum, singulis hebdomadis, vel quoties ille præscripserit, ei declarantes successum Missionis (*o*).

Missiones insignes.

8. De Missionibus insignibus, quarum Operarij per varias Provincias sparsi essent, non segregandis in peculiaribus suæ nationis Domicilijs, subdendísve Superioribus popularibus, actum suprà est P. 4. c. 3. De Missione Sinensi extat luculentum elogium D. 86. C. 7.

Anacephaleosis omnium Ministeriorum.

9. Sed ut unum sub aspectum conjiciamus omnia, quæ ad excolendam Christi Domini vineam, otiúmque discutiendum ferè ubique præstari possunt ex In. 4. § 3. hæc enumerantur. Docere doctrinam Christianam, tradere Exercitia, quærere, & inducere homines ad ea peragenda, visitare hospitalia, & carceres; quærere eleemosynas ad subsidium ibidem detentorum, apud eosdem concionari, reducere eos, qui sunt in malo statu, juvare Confraternitates, ubi sunt, juxta nostrum Institutum, & ubi non sunt introducere; adire scholas Externorum, & in eis, consentientibus Ludimagistris, aliquas exhortationes habere; Juventutem ad Confessionem allicere, quamvis melius

liùs sit curare, ut ipsi Magistri per se hoc faciant; visitare infirmos, ad eos consolandos, & spiritualiter juvandos; quâ ratione juvantur etiam propinqui, qui adsunt, & fiunt amici; & facilè adduci possunt ad frequentanda Sacramenta: Pro hoc etiam confert, cùm Proximi veniunt ad nostrum Templum, libenter eos admittere, & audire in Confessione; & cùm occurrunt nobis in via, invitare eos qualibet occasione. Juvabit facere interdum Conferentias de modo juvandi Proximos. Præterea possunt fieri Missiones ad loca vicina. Proderit etiam non casu, sed consideratè, & cum examine gestorum juvare Proximum. Denique curandum esset, ut omnes intelligerent, Societati nihil gratius esse posse, quàm in omnibus rebus consentaneis Instituto, adhiberi qualibet horâ.

CAPUT III.

De Corporalibus Ministerijs exhibendis, aliquibúsq; alijs vitandis.

1.

Corporalibus etiam pietatis operibus, quantum spiritualia, quæ proponenda sunt, permittent, & vires patientur, *Adjumenta temporalium necessitatum.*

incumbendum est; præsertim in Xenodochijs eos invisendo, & aliquos, qui eis inserviant, mittendo; & dissidentes ad concordiam revocando; sic etiam pauperes, & in custodijs publicis detentos sublevando, & ut alij sublevent, curando. Non convenit tamen misceri nos cum aliqua Congregatione; nec apud nos aliquos Conventus haberi; nisi qui ad nostrum peculiarem finem instituuntur (*a*).

a P. 7. c. 4. §. 9. & G. & c. 2. E. & P. 9. c. 6. §. 4. & B. & In. 4. §. 3.

Eleemosynæ è nostris bonis largiendæ.

2. Externis etiam pauperibus eleemosynæ aliquæ erogandæ sunt, pro Collegij, vel Domûs facultate; & in illis præsertim locis, ubi reditus Ecclesiasticorum bonorum percipiuntur: eæque juxta præscriptum Provincialis (*b*); & si qui ad januam accedunt, à Janitore benignè accipiendi, & juvandi etiam, juxta Superioris arbitrium (*c*).

b R. Prov. 96.

c R. Jan. 10.

Negotia Status vetantur.

3. Ea verò quæ vitanda sunt Nostris, nè in Proximorum utilitatem effusi longiùs provehantur, quàm Religiosa Charitas patiatur, ex sequentibus patent. Nullus publicis, & secularibus Principum negotijs, quæ ad Rationem Statûs, ùt vocant, pertinent, per quoscumque requisitus, ulla ratione se immisceat: ídque præcipitur in

in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub pœna inhabilitatis ad quævis Officia, & Prælationes, vocíſque activæ, ac paſſivæ privationis: commendatúrque Superioribus, ut propenſos ad hujuſmodi negotia amovere procurent, ſi alicubi degant, ubi periculum talium curarum immineat (*d*).

d P. 6. c. 3. §. 7. & C. 5. D. 47. 48. & 79. & 80. & Or. c. 11. §. 4. & Paul. V. p. 309.

4. Quæ autem pertinent ad ſolam conſcientiam Principum, aliorúmve, qui petunt conſilium, non eo Decreto prohibentur; ſed quæ eò non referuntur, ùt ſunt ex: gr: Principum fœdera, Succeſſiones, Bella: harum enim, & ſimilium rerum publicis conſilijs intereſſe, aut operam ijs tractandis impendere, interdicitur (*e*).

Quænam cenſenda negotia Statûs.

e C. 7. D. 46. & Or. c. 11. §. 4. &c.

5. Nec in familiaritatem Principum ſeſe inſinuare Noſtros convenit; nec alijs negotijs ſecularibus, etiam rerum particularium, præſertim propinquorum occupari: niſi fortè interdum, judicio Superiorum, charitas aliud ſvaderet. Abſtineant etiam à Teſtamentorum executione: & delatam Legatorum confidentialium curam non acceptabunt (*f*). Sacerdotes verò etſi, cùm opus eſt, ægrotos ad condenda teſtamenta hortari deceat; ijs tamen conficiendis non aſſiſtant (*g*). Nullus ſe examinari in cauſis civilibus permit-

Quæcumq; negotia ſecularia vitanda.

f P. 6. c. 3. §. 7. & D. & C. 5. D. 48. & 80. & C. 8. D. 56. & C. 12. D. 38. & R. com. 41.

g R. Sac. 28.

tat; nisi, qui ad peccatum obligare potest, compelleret; aut sinè licentia sui Superioris; quæ minimè danda, nisi in causis valdè pijs; & quæ in nullius detrimentum vergant; in criminalibus autem nunquam (*h*). Eorum verò nullus, etiam Procuratorum, qui Romam veniunt, Externorum negotia suscipiat, sinè facultate Provincialis: quam raró admodum, nec nisi gravioribus de causis concedet (*i*).

h P.6. c. 3. §. 8. & E. & C. 7. D. 13.

i Or. c. 4. §. 2.

Examinare pro Ordinarijs quatenus liceat.

6. Quando declinari non potest ministerium examinandi ad Ordines, aut alia munia Ecclesiastica, ut simul judicium ferendum sit de sufficientia promovendorum, quod quidem non est consentaneum nostro Instituto; ità judicium temperetur, ut sit solùm de sufficientia doctrinæ, non autem morum, aut aliorum requisitorum. Possit tamen dispensare P. Generalis, ubi hoc expediens judicaverit (*l*).

l C.2. D. 72. & C. 4. D. 63. & R. Prov. 104.

Seminaria quæ admitti possint.

7. Seminaria Externorum adolescentium à Nostris gubernanda non admittentur, nisi ex dispensatione P. Generalis, quando plures circumstantiæ confluent: & in admissis peculiares Magistri non concedendi (*m*). Non recusanda autem Seminaria, quæ in Gallia condunt Episcopi; ubi Clerici per Exercitia spiritualia, & no-

m C. 2. D. 18. & C. 3. D. 24. & C. 4. D. 13. & C. 12. D. 25. & in C. 3 Interrog. §. 4.

notitiam rerum Ecclesiasticarum, proximè erudiuntur ad vitam Ecclesiasticam (*n*) *n* C. 12. D. 26.

Monialium regimen prohibetur.

8. Curam suscipere Mulierum Religiosarum quarumcumque, & Confessiones ordinariè audire earumdem in communi viventium est vetitum; neque ad id cogi possumus (*o*).

o P. 6. c. 3. §. 5. & R. Præp. 47. & Rect. 68. & C. 7. D. 56. & C. 8. D. 11. & Paul. III. p. 44.

Et Parochiale.

9. Interdicitur etiam suscipere curas Parochiales animarum (*p*). Jus autem illud Collegij Gandiensis præsentandi tres Parochiales Neophytorum visum fuit retinendum; ut meliùs consuleretur illorum spirituali utilitati (*q*).

p P. 4. c. 2. §. 4. B. & P. 6. c. 3. §. 5. 6. & C. & C. 1. D. 124. & C. 2. D. 59.

q C. 1. D. 136.

Et offensio Proximorum.

10. Ut cum omni demum hominum ordine religiosa charitas foveatur: caveant Nostri, nè alios quoscumque Externos, maximè verò Religiosos, aut Viros primarios, vel lingva, vel calamo, aut quacumque alia ratione offendant: & Superiorum erit in hujusmodi noxas inquirere, & animadvertere, exhibitâ quamprimùm satisfactione debitâ. Et Consultores hac de re Superiores mediatos monebunt (*r*). Speciatim verò graviter comendatum, ac districtè præceptum est, ut de Prædicatorũ Ordine magnificè Nostri sentiant, & loquantur; & cũ ejus Religiosis mutuæ hospitalitatis, aliísq; charitatis officijs certare studeant (*s*).

r P. 3. c. 1. §. 9. & P. 4. c. 16. D. & P. 6. c. 3. §. 8. & P. 7. c. 2. H. & P. 10. §. 11. & B. & C. 12. D. 17.

s C. 8. D. 12. & C. 11. D. 19.

CAPUT IV.

De Scholis publicis instituendis, moderandísque.

SECTIO I.

De Scholarum publicarum Institutione, & methodo universè.

I.

Scholæ admittuntur ob Externorum utilitatem.

INter Societatis Ministeria unum est ex primarijs, omnes Disciplinas, Instituto nostro congruentes, ità Proximis tradere; ut inde ad Conditoris nostri cognitionem atque amorem excitentur (*a*). Quare opportunè hìc exponuntur, quæ de Scholis publicis constituta sunt, cùm de privatis actum jam sit Parte III. ubi Scholasticorum nostrorum Institutio traditur. Habitâ igitur ratione, non solùm profectûs in literis Scholasticorum nostrorum; sed etiam profectûs in literis, & moribus Externorum, Scholæ aperiantur, saltèm in Disciplinis humanioribus; in gravioribus autem, pro Locorum, in quibus Collegia fuerint, ratione (*b*).

a St. R. Prov. 1.

b P. 4. c. 7. §. 1.

Etiam Universitates.

2. Eadem Charitatis ratio extendi poterit ad Universitatum curam suscipiendam; ut in eis hic fructus latiùs pateat, tam

tam in ſcientijs, quæ traduntur, quàm in hominibus, qui ad eas conveniunt, & gradibus, ad quos promoventur (*c*). Erítque Provincialis, omni ſtudio, per ſe curare,& Rectori etiam valde commendare; ut tam multiplici Scholarum noſtrarum labori fructus, quem gratia noſtræ Vocationis exigit, abundè reſpondeat (*d*).

c P.4. c.11. §.1.

d St. R. Prov. 1. 2.

3. Ad hunc finem meliùs conſequendum, norma petenda eſt à Ratione ſtudiorum, quam ex Regulis Collegij Romani confici, approbaríque à Præpoſito Generali eædem Conſtitutiones monuerunt (*e*): addúntque ſingula attemperanda circumſtantijs locorum, temporum, ac Perſonarum; nitendo tamen, ut omnes ad unum, qui communis ſit, Ordinem ſtudiorum ſeſe componant (*f*). At Provincialis partes ſunt, excubare, ut omnes Regulæ, quæ ad Rationem Studiorum pertinent, obſerventur. Quod ſi alicubi mutandum aliquid cenſeret, referat ad Generalem (*g*). Confectus igitur is Ordo, magno, ac diuturno labore, à ſex Patribus deputatis, non ſemel in Provincijs examinatus, atque experientiâ probatus, auctus etiam Decretis plurium Congregationum (*h*), à multis jam annis dirigit Societatis Scholas.

Ad unam Rationem ſtudiorum omnes ſe componant.

e P.4. c.7. §.2. & C. & c.13.A.

f P.4. c.6. E.& K. & c. 7. §. 2. & c. 13. §. 1. 2. 3. & A. & C. & §. 5. & c. 15. C. D. & c. 17. §. 8. & M.

g St. R. Prov. 38. 39.

h Præf ad Rat. St.& Hiſt. Soc. p. 5. l. 4. in. & C. 6. D. 41.

SE-

SECTIO II.

De Classibus inferioribus.

I.

Literæ humaniores potissimùm tradendæ.

QUamquam alios instituere in legendo, & scribendo opus Charitatis esset; tamen, propter Personarum Societatis penuriam, hoc ordinariè docere non consvevimus; & universè illud curandum est, ut quando Scholæ pauciores sunt; altiores semper, quoad ejus fieri potest, retineantur, sublatis infimis (*i*). Nostra autem mens esset, ut in Collegijs communiter Literæ humaniores, ac lingvarum prælegerentur (*l*), cùm hac ratione animarum auxilium, præsertim adolescentium, summoperè promoveri compertum sit. (*m*).

i P.4.c.12.C.& St.1. R.Prov.21. §.1. & 4.

l P.4. c. 5. §. 1. & c. 7. B. & c. 12. §. 2. & B.

m In. 20. init. & C. 7. D. 26. §. 1.

Quot classes, & quarum linguarum intuendæ.

2. Tres ordinariè erunt Præceptores in tribus Grammaticæ classibus; quartus humaniores Literas; quintus Rhetoricam prælegat: & in horum classibus Græca lingva, & Hebraica, & si quæ alia disceretur, est prælegenda (*n*). Sed quia pro varietate causarum, & Personarum lingvæ sacræ priùs, aut posteriùs explicari possunt (*o*); ut Hebræa in Theologica Classe traderetur, institutum est (*p*). Quoad literas autem

n P.4.c.12. §.2. & c. 13. B.

o P.4. c. 6. §. 5. & D.

p St. R. Prov. 8.

tem Græcas attinet; propter earum multiplicem utilitatem, Generali enixè commendatum eſt; ut earum curam non in minimis ſuæ providentiæ partibus collocet (*q*). Aliarum præterea lingvarum, qualis eſt Chaldaica, Arabica, & Indica, ubi utiles ad eos populos juvandos viderentur, Præceptores inſtitui poſſent (*r*). In Latina verò docenda, Provincialis dabit operam, ut noſtri Magiſtri utantur Grammaticâ Emmanuelis (*s*).

q C. 8. D. 16.

r P. 4. c. 12. §. 2. & B.

s St. R. Prov. 23.

Quomodo eædem dividendæ, contrahendæ.

3. Quod ſi tantum negotij aliquæ Claſſes exhiberent, ut unus Magiſter eis ſolus non ſatisfaceret, Adjutor aliquis ei adjungetur: & ſi hoc non ſufficiet; geminari poſſet claſſis ea, quæ ſic numero abundaret. Contra verò, ſi exiguus numerus, vel Auditorum diſpoſitio tot claſſes, & Præceptores non exigeret; locus erit prudentiæ, ad eum numerum moderandum; ità tamen, ut ſemper graduum diſtinctio ſervetur: quorum tres ad Grammaticam, reliqui duo ad Humanitatem, & Rhetoricam pertineant. At quæ de claſſibus inferioribus tum multiplicandis, tum ordinandis, ut earum quælibet intra ſuos ſe fines contineat, ſervanda ſunt, habes in Ratione Studiorum (*t*).

t P. 4. c. 13. B. & St. R. Prov. 21. & R. Præf. inf. 8. & Reg. Profeſ. inf. 12. 13. & R. ſing. claſſ. infer. à Rhet. ad inf. Gramm.

4. Por-

Exercitationes præscriptæ.

4. Porrò cùm in hisce classibus exercitationes varias pro Scholæ gradu, esse oporteat; nullâ enim re magis adolescentium industria, quàm satietate langvescit (*u*): quid in singulis ab earum Magistris præstari debeat, peculiaribus Regulis statutum est (*x*). In universum illud omnibus hujusmodi classibus Constitutiones præscribunt: oportere, ut illarum studiosi Latinum Sermonem sibi reddant familiarem, latinè communiter loquendo (ijs Scholis exceptis, in quibus discipuli latinè nesciunt) & stylum scribendo, ac pronunciationem composita benè pronunciando, expoliant: & sua etiam stata tempora habeant ad disputandum (*y*).

u R. Prof. inf. 24.

x St. p 118. &c.

y P. 4. c. 6. §. 12. 13. & c. 13. §. 3. & R Prof. inf. 18.

At in Ratione studiorum distinctiùs eadem traduntur: & I. Quid in Prælectione servandum sit, exponitur R. Prof. inf. 27. 28. 29. II. Scribendi argumentum quale dictandum, quomodo recognoscendum, ibid. R. 20. 21. 22. 23 24. & 30. III. Exercitatio memoriæ, & Repetitiones, ib. 19. 25. 26. & 36. IV. Disputationes, R. Præf. inf. 33. & Prof. inf. 31. & 34 V. Declamationes, aut solennes, & raræ, aut privatæ, & frequentiores. R. Præf. inf. 32, & Profess. inf. 32. 33. VI. Em-

VI. Emblemata,& Carmina propalam collocanda celeberrimis aliquot diebus, sed priùs recognoscenda. R. Præf. inf. 3. & Prof. inf. 32. VII. Ad excitandam diligentiam discipulorum munuscula, seu Præmia quæ danda, & quo aliquando apparatu, nunquam verò nostro sumptu; & qui Magistratus creandi. C. 1. D. 123. & Stud. R. Rect. 14. & Præf. inf. 35. 36. & Prof. inf. 35. & 39. Leges verò Præmiorum solennium St. p. 100. VIII. Comœdiæ, & Tragœdiæ rarissimè agendæ; & nonnisi Latinæ, ac decentes, nunquam verò in Ecclesia; nec persona muliebris inducatur. R. Prov. 58. & St. Rect. 13, IX. Diebus feriatis habendæ exercitationes inter Academicos, tum Rhetoricæ, tum Grammaticæ Auditores. Academiæ R. St. p. 169. & 171.

Quamdiu in Scholis singulis immorandum.

5. Demum spatium temporis in Literis Humanioribus insumendum, propter ingeniorum varietates, aliásque causas, non est limitandum. Videatur autem, an ingenio valentibus dimidius annus in quavis quatuor classium inferiorum sufficiat, & duo in suprema, complectente etiam Rhetoricam (z). Quam quidem Rhetoricæ facultatem curandum est, ut Alumni

z P. 4. c. 15. §. 1. & A.

noſtri, ſive Convictores, annum audiant, antequam Philoſopiam aggrediantur. Ceteris quoque Externis idem ſvadendum, ſed cogendi non ſunt. Si qui tamen planè velint ad Philoſophiam accedere, poſſet cum illis agi, quod in Conſtit. L. D. Part. 4. cap. 17. ſtatuitur (*a*).

a P.4. c.5. §. 3. & c. 13. E. & St. R. Rect.12.

Per quem, & quomodo in ſuis claſsibus Scholaſtici collocandi.

6. Et quidem Rectoris erit per ſe, vel per Cancellarium, ſemper obſervare; ut qui novi accedunt examinentur; & convenientibus ſinguli claſſibus collocentur, ejuſdémque diſcretioni relinquitur (auditâ ſententiâ eorum, qui ad id munus deſignati ſunt) quamdiu quiſque in qualibet facultate verſari debeat (*b*). Porrò in admittendis Scholaſticis ad inferiores claſſes, ijſdémque ulteriùs promovendis, ſerventur R. Præf. inf. à 9. uſque ad 26. ubi ſtatuitur neminem, eo quòd ignobilis ſit, & pauper, excludendum; arcendos verò nimiùm teneros, & prorſus ignotos, & ab infima claſſe provectiores ætate.

b P.4. c.5. §. 2. 3. & C. D. & c.13. §.4. & E. & c. 15. §. 1. & A, & c.17. §.2.

SECTIO III.

De Claſſibus ſuperioribus in communi.

Quare Sacræ, & naturales ſcientiæ pertractandæ.

1.

CUm Societatis, atque ſtudiorum ſcopus ſit, Proximos ad amorem DEI, & ſalu-

salutem suarum animarum juvare; cúmque ad eum finem medium magìs proprium sit facultas Theologiæ; in hanc potissimùm Societatis Universitates incumbent: ac diligenter, per idoneos admodum Præceptores, quæ ad Scholasticam doctrinam, & Sacras Scripturas pertinent, ac etiam ex Positiva, quæ ad præfixum hunc nobis finem conveniunt, pertractabunt (*c*). Et quoniam Artes, vel Scientiæ naturales disponunt ad Theologiam, & ad perfectam cognitionem, & usum illius inserviunt; hæ pariter tractandæ sunt (*d*): sic tamen ut veræ Theologiæ Scholasticæ inserviant (*e*).

c P.4. c.12. §.1. & C. 2. D. 9.

d P.4. c.5. §.1. & c. 12. §. 3.

e C. 3. D. 47. & R. Prov. 53.

2. Moralis etiam scientia, & Mathematica, quatenus tamen ad finem nobis propositum conveniunt, tradentur (*f*). Sed Medicinæ, & Legum studium, ùt à nostro Instituto magìs remotum, in Universitatibus Societatis, vel non tractabitur; vel saltèm ipsa Societas per se id oneris non suscipiet (*g*).

f P.4. c. 12. C.

g P.4.c.12.§.4.

Doctrina solida & uniformis.

3. Et hæ quidem facultates tractandæ. De ratione autem servanda in communi, dum traduntur, hæc decreta sunt, præter ea quæ sigillatim pro singulis classibus præscribuntur in Ratione studiorum, &

attingentur infrà Sect. proximâ. Primò sequantur Nostri in quavis Facultate securiorem, & magìs approbatam Doctrinam, & eos Auctores, qui eam docent; novitásque, & diversitas opinionum eliminanda (*h*). Hujus verò Constitutionis ea est sententia. 1. Ut Nostri non inducant novas opiniones. 2. Ut si quando contra communem senserint, sequantur quod Societas judicaverit. 3. Ut in Controversijs, in quibus neutra opinio est adeò communis, redigantur ad conformitatem, ut sic idem sapiamus, idem dicamus omnes (*i*). In ijs verò quæstionibus, in quibus liberum est quamcumque partem sequi; ità defendatur una pars, ut alterius etiam partis, ac multò magìs prioris Professoris, si contrarium docuerit, existimationi consulatur. Quin etiam, si conciliari possunt Auctores, id nè negligatur, optandum est (*l*); & quæ opiniones alicubi Catholicos graviter offendere scientur, eas ibi nemo defendat (*m*). Et quidem ad coërcendam divagandi in opinando licentiam, utile fuerit Summas tum Philosophicam, tum Theologicam conficere; quæ usui Societati sint, ubi ratio temporum id permiserit (*n*).

h Ex. c. 3. §. 11. & P. 3. c. 1. §. 18. & O. & P. 4. c. 5. §. 4. & c. 14. §. 1. & R. Prov. 54. & Rect. 39. & St. R. Prov. 16. & C. 5. D. 6. & 41. & R. Rev. 6. & R. Prof. sup. 6. 7.

i C. 5. D. 50.

l C. 5. D. 41. & R. Prof. sup. 5.

m C. 5. D. 41. & R. com. Sup. 6.

n P. 4. c. 14. B. & C. 5. D. 70. & C. 7. D. 83.

4. At

4. At in habendis prælectionibus Professores nè adducant opiniones inutiles, obsoletas, absurdas, & manifestò falsas; nec illis refutandis nimis immorentur. Conclusiones pondere potiùs, quàm numero argumentorum probent: non digrediantur: studeant brevitati: in referendis Doctorum auctoritatibus nec sint nimij, nec parùm fideles. Si quis citra dictationem docere potest, ut quæcumque scribenda sunt, commodè valeant ab Auditoribus excipi; is nè dictet, optandum; qui verò dictant, intermisceant explicationem, & Auditores ad eos Auctores, qui copiosè, & accuratè materiam aliquam pertractârunt, rejiciant (*o*).

Prælectiones quomodo habendæ.

o R. Prof. Sup. 7. 8. 9. 10.

5. Præterea commendatur Auditoribus, ut quæ audierint diligenter adnotent; suúmque privatum studium, & quietum habeant; in quo selectum aliquem Commentarium videre proderit (*p*).

Eædem quo pacto excipiendæ.

p P. 4. c. 6. §. 8. & I. & §. 14. & M. & §. 16. & O.

6. Ijdem assidui esse debent in repetendis, quæ audierint. Atque hæ repetitiones in Scholis etiam fient (nam de domesticis suprà dictum est Part. 2. c. 5. sect. 4.) nec modò ultimæ lectionis, verùm & hebdomadariæ, & longioris temporis. Si quid verò non intellexerint, Magistrum consulant (*q*).

Repetitiones.

q P. 4. c. 6. §. 8. & H. & c. 13. §. 3. & D. & R. Prof. Sup. 11. 12. 13. & R. Academ. Theol. 2. 3.

 7. Per-

Disputationes habendæ.

7. Perutiles porrò ſunt Diſputationes; quas propterea frequentes eſſe oportet: quibus dies, & horæ certæ conſtituantur; ubi non ſolùm cum condiſcipulis, ſed & cum provectioribus, aut minùsprovectis, & Præceptores etiam ad invicem diſputabunt, ſemper qua decet modeſtia obſervata, & aliquo præſidente; qui contentionem dirimat, & quid doctrinæ elici oporteat ex diſputatis declaret (r). Sunt autem conſtitutæ diſputationes tum Hebdomadariæ, tum Menſtruæ in Ratione ſtudiorum (s). Quo prævio examine, & qua lege habendæ ſint annuæ, & ſolennes Diſputationes, pro Philoſophis vide in R. Præf. 19. uſque ad 26. & pro Theologis R. Præf. 7. uſque ad 16. & R. Academ. Theol. 8. 9.

r P. 4. c. 6. H. & §. 10. & c. 13. §. 3.

s R. Præf. 16. R. Prof. Sup. 12. 14. 15. 16. 17. 18. & R. Phil. 17. 18. & Theol. 14. & R. Moral. 4. & Acad. Theol. 1. 4. 5. 6. 7.

SECTIO IV.

Quid in Claſſibus Philoſophiæ, & Theologiæ Scholaſticæ ſervandum ſit.

1.

Ariſtotelem quatenus ſequi debeant.

PHiloſophiæ Profeſſores ſectari debent Ariſtotelis doctrinam; niſi ea alicubi recederet à ſententia communi; aut repugnaret Fidei Orthodoxæ: quam adversùs eundem, reliquóſque Philoſophos tueri debent, juxta Lateranenſe Conciliũ (t).

t P. 4. c. 14. §. 3. & C. 5. D. 41. & R. Prof. Phil. 2.

2. Ari-

2. Aristotelis Interpretes de Christiana Religione malè meritos, non sinè magno delectu, aut legant, aut in scholam proferant: immo verò eorum insectentur errores, & auctoritatem deprimant: & ità demum Philosophiam interpretentur, ut Theologiæ Scholasticæ ancillari faciant. Contrà verò de S. Thoma loquantur honorificè, etiam quando ab eo discesserint, quod gravatè facient (*u*).

Ejus Interpretes, & S. Thomas quo loco habendi.

u P. 4. c. 14. §. 3. & C. 3. D. 47. & C. 5. D. 41. 42. 43. & R. Prov. 53. & post D. 56. Cō: 5. Præf. PP. Deput.

3. Quò verò eorum Doctrina sit tutior, & Theologiæ serviat, oporteret non modò cursum Theologiæ absolvisse, sed eandem biennio repetijsse. Si qui autem fuerint proni ad novitates, removendi à docendi munere (*x*). Ad compescendam autem novarum, & inutilium quæstionum licentiam commendatum est P. N. ut curet executioni mandari, quæ hoc in genere præscripta sunt, ejúsque prudentiæ remissa monita PP. Deputatorum (*y*). Ex his monitis confecta est Ordinatio, in qua §. 3. 4. 5. 6. indicantur materiæ suis quæque annis Philosophici cursus tractandæ; rejectis quæ aut alibi, aut nusquam docenda sunt. At §. 9. 10. 11. 12. 13. statuuntur plura, quibus prædictis incommodis occurratur (*z*); quamquam Indi-

Nova & inutilia resecanda, Materiarū ordo servandus, & cursûs spatium.

x C. 5. D. 41. & St. R. Prov. 16.

y C. 9. D. 23.

z Ord. pro Stud.

cem ſententiarum tradendarum, omittendarúmque in ea Ordinatione contentum reformandum non ſemel decretum eſt (*a*). Ante hanc Ordinationem præſcriptus eſt in pleríſque materijs ordo ſervandus toto triennio (*b*). Quod quidem ſpatium implendum eſt ubi ſunt Noſtri; & ſingulis quibúſque annis hujuſmodi Philoſophiæ curſus inchoabitur. Pro ſolis tamen Externis permiſſum Provinciali id tempus contrahere (*c*).

a C. 11. Act. 11. & C. 12. D. 56. §. 3.

b R. Philoſ. 9. 10. 11.

c P. 4. c. 15. §. 2. & C. 2. D. 69. & St. R. Prov. 37.

Reliqua in Regulis videnda.

4. Demum ſervanda ſunt, quæ in Regulis Profeſſoris Philoſophiæ traduntur St. p. 74. &c. ſuáſque pariter obſervare debent Ethicæ, & Mathematicæ Magiſtri, quas habet Ratio ſtud. p. 81. & 82. præter eas, quæ univerſis latæ ſunt, ipsíſque etiam Theologis (de quibus ſtatim) communes (*d*).

d St. p. 37. &c.

ProfeſſoresTheologiæ S. Thomæ ſint addicti.

5. In Theologia prælegatur Doctrina Scholaſtica D. Thomæ, & Magiſter Sententiarum. Cæterùm cùm Doctrina D. Thomæ, ſit ſolidior, ſecurior, magìs approbata, & conſentanea noſtris Conſtitutionibus; is Doctor à Noſtris tanquam proprius habendus; adeò ut ad Cathedras Theologicas minimè ſint promovendi, qui S. Thomæ addicti non fuerint (*e*).

e P. 4. c. 14. §. 1. & C. 5. D. 41. §. 1. & C. 7. D. 83. & Ord. pro Stud. §. 7. & PP. Dep. Con. 5. ex D. 42. poſt D. 56. & St. R. Prov. 9. §. 2. & Præf. 4 & Prof. Theolo. 2. 10. 11. 12. 13.

6. De

6. De Conceptione tamen Beatæ Mariæ, ac de ſolemnitate Votorum ſequantur ſententiam communem (*f*); & in reliquis non ſic S. Thomæ adſtricti eſſe intelligantur, ut nulla prorſus in re ab eo recedere liceat, & præſertim in quæſtionibus merè philoſophicis, aut etiam in ijs, quæ ad Scripturas, & Canones pertinent; & ubi S. Doctoris ambigua ſententia fuerit (*g*).

Nonnunquam diſcedere ab eo poſſunt.

f C.5. D.41. §. 1. & Re. Prof. Theol. 3.

g PP. Deput. Con. 5. poſt D. 56. & R. Prof. Theol. 2. 3. 4.

7. In docendo corroborandæ primùm Fidei, alendæque pietatis cura habeatur. Quare in ijs quæſtionibus, quas S. Thomas ex profeſſo non tractat, nemo quidquam doceat, quod cum Eccleſiæ ſenſu non bene conveniat; quódque aliquo modo ſolidæ pietatis firmitatem minuat (*h*).

Studeant corroborandæ Fidei, & Pietati.

h C. 5. D. 41. §. 2. & R. Prof. Theol. 5.

8. Et quia, ùt ſuprà diximus, defendendæ non ſunt opiniones ullæ graviter offenſivæ Catholicorum; in ſpecie interdicitur in virtute ſanctæ Obedientiæ, ſub pœna excommunicationis, & alijs, affirmare licitum eſſe cuique Perſonæ, quocumque prætextu Tyrannidis, Principes occidere; ſeu mortem eis machinari. Et Provinciales negligentes in curanda executione hujus Decreti, non modò eaſdem pœnas incurrunt, ſed etiam officio privari de-

Aliqua Doctrinæ præſcriptæ.

i Catal. cenſ. C. 5. §. 1. & C. 8. D. 23. & C. 9. D. 24.

debent (*i*). In virtute etiam ſanctæ Obedientiæ vetitum eſt, nè quis de poteſtate Summi Pontificis ſupra Principes aliquid evulget, niſi Romæ probatum (*l*). Prohibetur demum in virtute ſanctæ Obedientiæ, ſub pœna excommunicationis, & alijs; nè ullus publicè, vel privatim doceat, ùt veram, aut tolerabilem opinionem dicentem in re Venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæſitam, ſeu etiam admiſſam, propter levitatem materiæ, excuſari à mortali; aut placere ſibi ſignificet, aut ſecundùm eam conſilium cuiquam det. Itémque ſi quis aliquem è Noſtris contra prædicta deliquiſſe noverit, tenetur in virtute S. Obedientiæ aperire (*m*).

l Catal. cenſ. c. 5. §. 4.

m Catal. cenſ. c. 4. §. 2. & C. 9. D. 24.

Ordo, & ſelectus quæſtionũ tradendarum.

9. Ordo ſervandus in patiendis quæſtionibus Theologicis, aut etiam aliquibus declinandis, per annos ſingulos, traditus eſt in R. Prof. Theol. à Reg. 7. uſque ad finem, & in Ord. pro ſtudijs §. 7. & §. 13. & §. 15. 16. cum inſertis Indicibus. Quæ Ordinatio, quatenus ad Theologos pertinet, ideo facta eſt; ut ſemotis inutilibus quæſtionibus, utiles tantùm, ac magìs neceſſariæ in Theologia traderentur; quod Cong. 9. Decr. 31. P. N. commen-

mendaverat. Quadriennio curſus Theologicus abſolvendus eſt; ſic libris prælegendis diſtributis; ut quolibet quatuor annorum, quivis Studioſus inchoare poſſit (*n*). De Repetitionibus Domeſticis actum eſt Part. 2. cap. 5. ſect. 4.

n P.4. c.9. §.3. & c. 15. §. 3. & B. & D. & P. 5. c. 2. §. 2. & St.R.Prov.9 §.1. & R. Prof. Theol. 7.

SECTIO V.

De Scholis Sacræ Scripturæ, & Linguæ Hebrææ.

1.

Studia Sacræ Scripturæ quãti facienda, & quibus demandanda.

STudia Scripturæ Sacræ ſummo in pretio ſemper in Societate habita, eodem in poſterum loco eſſe debent; cùm hæc ſacra eruditio Anima ipſa veræ Theologiæ dici queat; ſumméque neceſſaria ſit ad Miniſteria propria Societatis. Quapropter Provincialium erit hujuſmodi ſtudia ſtrenuè promovere: quod perficient; ſi viros ad id muneris eligant, non ſolùm lingvarum peritos, ſed etiam in Theologia ſcholaſtica, cæteríſq; ſcientijs, in eruditione, & eloquentia benè verſatos (*o*).

o C.13. D.15.& St. R. Prov. 5.

Profeſſorum obligationes.

2. Hi porrò intelligent ſuas eſſe partes, Divinas literas, juxta germanum, literalémque ſenſum, & qui rectam in DEUM fidem, bonorúmque morum inſtituta confirmet, piè, doctè, graviter, explicare.

At-

Atque inter cætera illud præcipuum ſit; ut verſionem ab Eccleſia approbatam defendant (*p*). Præter hæc quid à Profeſſore Sacræ Scripturæ ſervandum ſit, in ejus Regulis exponitur p. 43. in Rat. Stud.

p P.4.c.5. §.5. & R.Prof. Sac. Script. I. 2.

Vtilitas linguæ Hebrææ, & à quo hæc tradenda.

3. Et quia eadem Theologiæ Doctrina, ejúſque uſus exigit etiam Hebraicæ lingvæ cognitionem; hujus idoneus Profeſſor conſtituetur, idem, qui & Sacræ Scripturæ, ſi commodè poſſit, aut ſaltèm ſit Theologus. Optandúmque, ut eſſet etiam lingvarum peritus, Græcæ ſcilicet, Chaldaicæ, & Syriacæ (*q*).

q P. 4. c. 6.§ 3. & c. 12. §. 2. & St. R. Prov. 7.

Profeſſoris Leges.

4. Is autem nihil antiquius habeat, quàm ut prima ipſa ſanctæ Scripturæ verba perquàm integrâ Fide interpretetur; & verſionem ab Eccleſia approbatam defendat. Tum verborum vim potiùs, quàm ſententiarum expendat. Quare adhibeat etiam explicationem Grammaticæ, & lingvæ aſperitatem emolliat (*r*).

r R. Prof. lin. Hebr.

SECTIO VI.

De Scholis Theologiæ Moralis.

I.

Hæ Scholæ ubi conſtituendæ, & de qua materia.

PRæter Theologiam Scholaſticam tradenda eſt Poſitiva; quæ ſcilicet complectitur Concilia, Decreta, Doctores

San-

Sanctos, & res alias morales, ſeu caſus conſcientiæ: non attingendo tamen eam partem Canonum, quæ foro contentioſo inſervit (*s*). Immo hæc Lectio caſuum conſcientiæ in Collegijs communiter habenda eſſet (*t*). Quin etiam in ſingulis Domicilijs conſtituendus aliquis, bene verſatus in hac materia, ut interrogantibus ſatisfacere poſſit (*u*).

s P. 4. c. 5. §. 1. & B. & c. 12. §. 1. & c. 14. §. 1. & C.

t P. 4. c. 7. B.

u R. Prov. 57.

Quot earum Profeſſores.

2. In eo verò Collegio, ubi eſt pro Noſtris Seminarium, caſuum conſcientiæ duo collocentur Profeſſores; qui univerſas ejus materias inter ſe diviſas biennio explicent; vel unus, qui binas quotidie lectiones habeat, citra Scholaſticum apparatum; eóque tendentes, ut peritos Sacramentorum adminiſtratores efficiant (*x*). Ad juvandos autem hoc in genere univerſos Theologiæ Scholaſticæ ſtudioſos, duabus ejus lectionibus, & Sacræ Scripturæ adjiciatur, ubi fieri poterit, quarta Lectio moralis Theologiæ; qua ex profeſſo, ſuccinctè tamen, explicentur materiæ Morales; quas Scholaſticæ Profeſſores prætermittunt, aut vix attingunt (*y*).

x St. R. Prov. 12. & R. Prof. Caſ. 1. 2. 3. 4. 5. &c.

y C. 7. D. 33. §. 7. & St. Rc. Prov. 9 §. 1. & R. Prof. Theol. 7. §. 5.

Opinionum laxitas vitanda.

3. Ut verò hæc materia, quæ tanti in utramque partem ponderis eſt, ad ſalutem ani-

animarum, quâ decet dignitate, & integritate tractetur à Societate; cui laxitatem opinionum parum benevoli homines affingunt. I. Professores hujus facultatis attendant maximè quod monet C.5.D.41. pro Theologis; nec quod probabile reputant, illico putent sibi permissum vulgare. Sciántq; Societatem, nec prohibuisse, nec prohibere, quominus tueri possint sententiam contrariam asserentibus, in agendo licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, faventem libertati, relicta probabiliore, stante pro præcepto. Superiores autem, si quos novitatum amantes, aut parùm cautos in docendo compererint, à munere docendi submoveant, pœnísque alijs, si opus fuerit, coërceant. II. In librorum editione oneranda Censorum Fides, & conscientia, ut severos se potiùs exhibeant. III. Cautè Nostri respondeant in privatis congressibus, & nunquam scripto, præsertim in rebus gravioribus, nisi consulto, & probante Superiore (z). IV. Commendatur P.N. ut non tantùm transgressores prædictarum legum loco, & cathedra moveat: sed ipsos etiam Superiores, si quando in cohibenda illa liberiori opinandi licentia negligentiores fuerint, severè puniat (a). SE-

z C. 11. D. 22. & C. 12. D. 28. & C. 13. D. 18.

a C. 12. D. 28.

SECTIO VII.

De Gradibus Scholasticis conferendis.

1.

GRadus Literarios conferendi potestas concessa est; I. pro Scholasticis tantummodo, qui de Societate sunt, & non sinè aliquibus conditionibus respectu Universitatum externarum, si in illis extiterint (*b*). II. Est concessa amplior; ità ut conferri possint etiam Externis pauperibus nostras Scholas frequentantibus, quin & divitibus: modò hos Universitatis Officiales recusaverint promovere, & solutis per eosdem suis juribus Universitatibus, ubi illæ sunt (*c*). III. Quia prædictæ facultates fuerant concessæ Generali; ità ut per Præpositos, & Rectores eam exercere tantùm posset: permissum eidem est, ut prædictos Gradus conferre possit per Præfectum Studiorum (*d*): immo ad hunc hujusmodi collatio spectat (*e*). IV. Quicumq; modo prædicto promoti sunt, gaudent omnibus privilegijs, & prærogativis, quibus gaudent in Universitatibus promoti (*f*).

Facultas Societati concessa.

b Jul. III. pag. 57. & Comp. privil. V. Gradus §. 1. 2.

c Pius IV. p. 91.

d Greg. XIII. p. 190.

e P. 4. c. 17. §. 2.

f Jul. III. pag. 75. & Pius IV. pag. 92.

2. At Promovendi; I. Ultra communem studiorum curriculum, ad Actus Scho-

Prærequisita Promovendorum.

Scholasticos celebrandos, & Gradum Magisterij, seu Doctoratûs suscipiendum, debent plus temporis impendere: in Philosophia quidem dimidium Anni, duos verò in Theologia (*g*). Poterit tamen dispensari, ut sufficiat tres Philosophiæ annos, Theologiæ quatuor præmisisse (*h*). II. Probandi sunt diligenti examine; & ordinariè etiam publico; & judicati idonei ad eandem scientiam prælegendam, nullo loco certo frui debent, postquam promoti sunt (*i*). III. Jllis permittendi non sunt nisi exigui admodum sumptus; quare vetantur Convivia, chirothecæ &c. sed quemadmodum Societas gratis docet, ità & gratis promoveat (*l*). Immo universè cavetur, nè pro re ulla quisquam de Societate sibi, aut Collegio accipere permittatur. Quandoquidem præmium nostrum solus Christus Dominus, qui est merces nostra magna nimis (*m*). De qua Constitutione actum, ubi de Paupertate sermo fuit, Part. 4. cap. 2. sect. 1. Demum Provincialis est curare, ut prædictæ Constitutiones accuratè serventur. At ubi hæ non obstant, in Promotione ritus cujusque loci servetur. (*n*).

g P. 4. c. 15. §. 2. 3.

h P. 4. c. 15. B.

i P. 4. c. 6. §. 17. & c. 15. §. 4. & E.

l P. 4. c. 6. §. 17. & c. 15. §. 4. & F.

m P. 4. c. 15. §. 4.

n St. R. Prov. 31.

SE-

SECTIO VIII.

De Vacationibus, & Academijs.

1.

SAltèm singulis hebdomadis dies unus à prandio quieti destinatus sit; in reliquis conferatur cum Provinciali, quis ordo in Vacationibus, vel intermissionibus Studiorum ordinarijs sit tenendus (*o*). Ordo verò semel constitutus dierum, quibus docendum, & vacandum est, constanter servandus (*p*). Et quidem is decretus jam est in Ratione studiorum: complectitúrque Vacationes tam generales, quàm particulares (*q*). Jllas autem, & maturè cognoscere, & Magistris significare, ad Præfectum inferiorem pertinet (*r*).

Vacationum stata sint tempora.

o P.4. c. 13. F.

p St. R. Prov. 35. 36.

q St. R. Prov. 37. & St. Rect. 19.

r R. Præf. inf. 7.

2. Vacationibus non temerè subduntur Academiæ, quòd præcipuæ harum exercitationes diebus feriatis habeantur. Academiæ nomine intelligimus cœtum Studiosorum ex omnibus Scholasticis delectum; qui, aliquo ex nostris Præfecto, conveniunt; ut peculiares quasdam habeant exercitationes ad studia pertinentes (*s*).

Academia quid sit.

s R. Acad. 1. & Præf. inf. 34.

3. Hoc ex numero omnes censentur, qui sunt ex Congregatione Beatæ Virgi-

Quinam Academici.

nis, eo ipſo quòd in illam recipiuntur; & Religioſi, ſi qui noſtras Scholas frequentant. Ceterùm, ubi mos tulerit, & Rectori viſum fuerit, alij etiam admitti poterunt (t). In tres ferè Academias Scholaſtici partiendi ſunt; ità ut in unam Theologi, & Philoſophi conveniant; in alteram Rhetores, & Humaniſtæ: in tertiam omnes Grammatici (u).

t R. Acad. 2. & St. Rect. 23.

u R. Acad. 5.

Exercitationes petendæ ex Regulis.

4. Tempus conveniendi ad Academicas exercitationes, & harum deſcriptio, petenda ex Regulis: quæ omnia diſtinctè tradunt; habentúrque in Ratione ſtudiorum pag. 161. &c.

CAPUT V.

De Officialibus Scholarum publicarum.

SECTIO I.

De Præfectis Studiorum.

EXtra controverſiam eſt, primas partes in gubernanda Univerſitate eſſe Rectoris (a). Sed quia ejus munus, pluriúmque aliorum, qui in adminiſtratione domeſtica ei inſerviunt, infrà exponitur; hìc tantùm agetur de ijs Officialibus, quos idem

a P. 4. c. 17. §. 1.

idem Rector habere debet pro regendis omnium studijs, & disciplina Scholasticorum externorum.

1. Igitur præter quatuor Consiliarios, seu Assistentes, de quibus infrà, ubi de officio Rectoris distinctiùs agitur: Primus se offert Præfectus studiorum; qui Cancellarius in Constitutionibus appellatur (*b*), & à Provinciali adjungendus Rectori est, quem Generalis designaverit (*c*). At sicubi fortè Cancellarius est à Præfecto distinctus; Provincialis erit statuere, quæ Regulæ utrique communes, vel propriæ alterutri esse debeant (*d*). Nec repugnat in eandem personam Rectoris, & Cancellarij munus convenire (*e*). Præfectus igitur studiorum vir erit in literis egregiè versatus; qui & zelo bono, & judicio ad ea, quæ sunt ei committenda, polleat; cujus sit munus generale Rectoris instrumentum esse, ad studia bene ordinanda (*f*).

Præfectus Generalis Studiorum qualis eligendus.

b P.4. c.17. §.1.

c R. Prov. 27. & St. R. Prov. 2.

d R. Præf. St. 2.

e P.4. c. 17. C.

f P.4. c. 5. §. 1. & c.13. §.4. & c 15. §. 1. & c. 17. §. 2. & St. R. Prov. 2. & Præf. 1.

2. In particulari ad ipsum spectat disputationes in Actibus publicis dirigere; in quibus suum cuique dicendi tempus distribuat: & quid doctrinæ elici oporteat ex disputatis declaret (*g*). Quamquam non obligatur Societas semper ad dandum

Disputationes dirigit.

g P.4. c.6. §.10. & c. 17. §. 2. & St. R. Præf. 6.

hujuſmodi Præſidem. Antiquiſſimus enim Præceptorum, qui diſputant, poterit præſtare, quod ex hoc officio, juxta Rectoris judicium, conveniet (*h*).

h C. 1. D. 30.

Quæ facultates illi communicentur.

3. Idem Præfectus eſt Rectoris inſtrumentum ad diſcernendum, an ſufficiens doctrina ſit eorum; qui ad actus, & gradus (quos quidem ipſemet dabit) ſunt admittendi (*i*); & universè Rector ei omnem tribuet poteſtatem; quam ad rectam ejus officij adminiſtrationem pertinere judicabit (*l*).

i P. 4. c. 17. §. 2. & Greg. XIII. p. 190.

l St. R. Rect. 2.

Alia ejuſdem jura, & obligationes.

4. Eidem parere debent Profeſſores, & Scholaſtici omnes; tum, qui in eodem Collegio, tum ſi qui in Convictorum, & Alumnorum Seminarijs fortè degunt; ipſíque in Seminarijs ſtudiorum Præfecti (*m*). Nihil tamen immutare debet ex ijs; quæ habentur in ordine Studiorum: ſed ubi opus eſt, referat ad Superiorem (*n*). Immo Regulas ab Auditoribus, Profeſſoribúſque omnibus ſedulò curet obſervari; præcipuè verò quæ ſunt de Doctrina Sancti Thomæ, de delectu opinionum, de tradendis omnibus materijs: de Actibus Theologicis, & Philoſophicis, & prævijs ad eos Examinibus, & Theſibus (*o*). Per Magiſtros omnibus Auditoribus tempus ità

m St. R. Prov. 2. & com. ſup. 4.

n R. Præf. 3.

o R. Præf. à 4. ad 26.

ità diſtribuat, ut publicè privatímq; illud benè collocent (*p*). Nihil publicè recitari patiatur, quod non ipſe recognoverit (*q*). Invigilet cùm Concluſiones defendendæ; maximè verò imprimendæ erunt (*r*). Curet nè Scholaſtici Libris, aut utilibus careant, aut abundent inutilibus (*s*).

p R. 27.

q R. 28. & R. Inf. 3.

r R. 4.

s R. 29. 30.

5. Ob Gymnaſij amplitudinem, ac varietatem Præfecto Generali ſtudiorum addi poteſt alter; qui, ex ejus præſcripto, ſtudijs inferioribus moderetur; quin & tertius, qui Scholarum atrio præſit (*t*). Præfectus igitur Scholarum inferiorum, eſt inſtrumentum Rectoris, tam in ſcholis, quàm in moribus (*u*). In ijs, quæ ad mores pertinent, Rectorem tantùm; in ijs verò, quæ ad ſtudia, generalem ſtudiorum Præfectum conſulat (*x*). Ubi verò is non adeſſet, ipſe recognoſcat, quæ publicè declamantur; & noſtris Scholaſticis libros diſtribuat, utrumque Rectore probante (*y*). Magiſtrorum inferiorum, & Auditorum Regulas ſedulò curet obſervandas. Eoſdem Magiſtros inſtruat, defendat; nec patiatur Scholarum præſcriptum ordinem permiſceri. Eoſdem viſitet decimoquinto quoque die; ferias promulget. Ipſi verò ſuo Præfecto parere

Præfectus ſtudiorum inferiorum.

t St. R. Prov. 3. & St. R. Rect. 22.

u R. Præf. inf. 1.

x R. 2. 3.

y R. 50.

z R. 4. 5. 6. 7. 8. & R. Prof. inf. 11. 12. & sequ. usq; ad finem. debent in ijs, quæ ad studia, & Scholæ disciplinam pertinent (z). In novis Auditoribus admittendis examen doctrinæ, morum, ætatis, conditionis adhibeat (a). a R. 10. 11. 12. Promoveat ad superiores classes ordinariè semel in anno: præmittat examen juxta Reg. St. pag. 98. & expendat Magistri b R. à 13. ad 26. & R. Prof. inf. 37. 38. notas in Catalogo, cuilibet discipulorum adscriptas (b). Catalogum librorum explicandorum initio studiorum curet; & c R. 27. 28. nè libri usui futuri apud Bibliopolas desiderentur (c). Singulis Auditoribus scamna assignet, Nobilioribus quidem commodiora; Nostris verò, & alijs Religiosis d R. 29. separata (d). Studij horas distribuat. Non facilè immunitatem à Versibus, & e R. 30. 31. Græcis discendis cuiquam tribuat (e). Declamationes, Disputationes, Academias dirigat (f). f R. 32. 33. 34. De præmijs distribuendis publicè, aliísque similibus incitamentis, nè Regulæ negligantur, det operam g R. 35. 36. (g). Ad continendos autem in officio Auditores, servet quod infrà explicabitur, h R. à 37. ad 49. & in ipsius Regulis continetur (h).

SECTIO II.

De Magistris.

Quæ multa præstanda sunt à Magistris Societatis, referuntur in ipsorum Re-

Regulis tum communibus, tum particularibus; & magna ex parte indicantur toto hoc tractatu de Scholis. Addenda hìc solùm, quod in ijs eligendis, instituendísque præscriptum est.

Quinam Magistri ordinariè constituendi, & quantoperè fovendi.

1. Magistri diversi pro captu, & numero audientium constituendi, & omnes, si fieri potest, ex Societate sint: quamvis, si necessitas urgeret, Externi esse possint: optandúmque ut docti, diligentes, & profectus studentium studiosi sint (*i*). Rector verò charitate Religiosa Magistrorum alacritatem foveat; curétque nè muneribus domesticis graviùs onerentur (*l*).

i P.4. c. 6. §.6. & c. 13. §. 3. & B. & C.2. D.9.

l St. R. Rect. 20.

Præcipuè commendãtur Magistri inferiores

2. Cùm studium literarum humaniorum, magno Reipublicæ Christianæ commodo, Societas usurpaverit; harum Magistros speciatim Superioribus commendavit: ut eos, quantâ possunt benevolentiâ in Domino prosequantur: suósque omnes ad munus illud alacriter, & constanter obeundum adhortentur: est enim proprium Societatis Ministerium, nec certo temporis spatio, nec certis personis addictum (*m*).

m C.7.D.26. & C. 8. D.8.

Iidem formandi.

3. Nè autem hujusmodi Magistri, docendi rudes, ad docendum accedant; priùs instituantur ab aliquo peritissimo

n St. R. Prov. 30. & St. R. Rect. 9. & Praef. inf. 5.

o St. R. Prov. 24. 25.

p St. R. Prov. 22.

q St. R. Prov. 29.

r St. R. Prov. 28.

s St. R. Prov. 26. 27.

Magistri aliqui extraordinarij

t P. 4. c. 13. C.

u C. 1. D. 118.

privatâ Academiâ (*n*). Perpetui etiam harum literarum Professores parentur; proderítque aliquos ea conditione in Societatem recipere, ut vitam suam huic Ministerio dicare velint (*o*). Curandum verò, ut bini saltèm, aut terni in qualibet Provincia his literis, & eloquentia praestantes habeantur (*p*); & quilibet initium docendi faciat ab ea Schola, qua superior Scientia sit (*q*): nec, qui audituri sunt Philosophiam, scholis praeficiantur (*r*). Etsi non facilè à docendi munere Scholastici eximendi; tamen in eo non admodum detinendi, qui praestant concionandi talento; nec ante Theologica studia, qui in his plùs caeteris profecturi in quolibet cursu sperantur (*s*).

4. An verò in Universitatibus, praeter ordinarios Praeceptores, esse aliquos oporteat; qui, more publicorum Professorum, legant quamlibet disciplinam majori cum apparatu, prudentia id constituet (*t*). Cathedrae publicae in Universitatibus, aut alibi, si spontè offerantur, & gratis praelegatur, neque intercedat ulla disceptatio suffragiorum, & oppositio, admitti possunt, annuente P. Generali (*u*). Nullis Seminarijs Externorum adolescentium con-

concedantur Præceptores ſeparati ab ijs, qui in Scholis noſtris docent (*x*). *x C.2. D.18. & C. 12. D. 25.*

SECTIO III.

De reliquis Officialibus.

1.

SIt etiam Secretarius, qui librum habeat, ubi omnium Scholaſticorum nomina ſcribantur; quique eorum promiſſionem, citra jusjurandum, de Obedientia Rectori præſtanda, obſervandíſque ſuis Regulis admittat: & ſigillum Rectoris, & Univerſitatis habeat: omnia verò ſinè ullis expenſis fient (*y*). *Secretarius.* *y P.4.C.17. §.3.*

2. Erit & Notarius ad faciendam publicam fidem de ſuſceptis Gradibus: & alijs, quæ occurrunt: & aliquid moderati emolumenti percipere exinde poterit ab Externis; dummodo nihil in Societatem redundet. Ad teſtimonium autem Noſtris reddendum literæ patentes Rectorum ſatìs erunt (*z*). *Notarius.* *z P.4.C.17. §.4. & F.*

3. Sint & duo vel tres Bidelli; unus ad facultates Lingvarum, alter ad Artium, tertius ad Theologiæ functiones deſtinatus. Hi ex Societate non erunt; & commodum ſtipendium accipient, & unus eorum Corrector eſſe poterit (*a*). *Bidelli.* *a P.4.C.17. §.5. & G.*

4. In quavis prædictarum trium facultatum sit Decanus, & duo alij Designati ex ijs, qui meliùs res facultatis illius callent; quorum operâ Rector utetur in ijs consultandis, quæ ad facultatem singulorum pertinent, advocato semper Cancellario, & ordinarijs suis Assistentibus: & in ijs, quæ ad omnes pertinent, omnes vocentur. Quin erit Rectori liberum alios de Societate, vel extra eam, ad Congregationem vocare. Decisio tamen rerum ex suffragijs horum non pendet; quamvis & exquirenda, & habenda in pretio à Rectore sunt: adeò ut refragantibus omnibus nihil statuat, inconsulto Provinciali (*b*). Singulis, aut alternis saltèm mensibus consultationes habeat omnium Magistrorum infra Logicam, præsente utroque Præfecto; cæterorum etiam interdum, præsente Præfecto generali (*c*).

b P.4. c.17. §.5. 6. & H. & P.9. c. 6. §. 14. & R. Rect. 14.

c St. Rect. 18.

Syndici.

5. Erit Syndicus unus generalis, qui tam de personis, quàm de rebus, de quibus videbitur, Rectorem, & Præpositum Provincialem, & Generalem admoneat. Qui quidem Syndicus vir magnæ fidelitatis, & judicij esse debebit. Quod officium conjungi potest cum Collateralis, vel Consiliarij officio. Præter hunc habebit

Re-

Rector Syndicos particulares, ut de qualibet classe ad eum referant (*d*).

d P. 4. c. 17. §. 7. & I. K L. & R. Rect. 48. & St. R. Bid.

6. De insignibus autem, quibus distingventur Rector, & reliqui ejus Officiales; an & quibus uti debeant; statuet Generalis in qualibet Universitate, quod ad majorem Dei gloriam constituendum esse judicabit (*e*).

Insignia Rectoris, & Officialium.

e P. 4. c. 17. §. 8. & M. & C. t. D. 131.

CAPUT VI.

De Pietate, & Disciplina Scholasticorum externorum.

SECTIO I.

De Pietate in ijs fovenda.

1.

Mores pij in Scholasticos inducendi.

Diligenter curetur, ut qui Literas discendi gratiâ ad Collegia Societatis se conferunt, simul cum illis mores Christianis dignos addiscant (*a*). Magistri igitur orent Deum sæpe pro suis Discipulis; eósque vitæ suis exemplis ædificent (*b*). Eorumdem intentio feratur, tam in Lectionibus, quàm extra eas, ad illos ad amorem Dei, & virtutum movendos; & ut omnia sua studia ad hunc finem referant: Ad cujus excitandam memoriam, præmittatur Lectioni brevis oratio; vel ejus loco Præceptor signo Crucis se muniat (*c*).

a P. 4. c. 7. §. 1. 2. & c. 16. §. 1. & St. R. Prov. 1. & St. R. Rect. 1. & R. Præf. 1. & R. com. sup. 1. & R. Præf. inf. 1. & Reg. com. inf. 1.

b R. com. inf. 10.

c P. 4. c 8. A. & c. 16. §. 4. & C. & R. com. sup. 1. 2. & com. inf. 1. 2.

2. Mul-

Sacramenta ab ijsdem frequẽtanda.

2. Multum præterea conferet, si omnes singulis saltèm mensibus, semel ad Sacramentum Confessionis accedant (*d*): curabitque Præfectus, ut in adeundis Confessarijs modestè se gerant (*e*). Classium autem inferiorum discipuli suum nomen descriptum in schedula Confessario tradent (*f*): curandum verò à Provinciali, ut plures Confessarij in Collegijs primarijs, ad eos audiendos constituantur (*g*).

d P. 4. c. 7. §. 2. & c. 16. §. 1. & R. com. inf. 9.

e R. Præf. inf. 46. & comm. inf. 42.

f R. com. inf. 9.

g St. R. Prov. 31. & R. Præf. inf. 46.

Missa, & Concio audienda.

3. Missam etiam quotidie, & Concionem singulis diebus Festis (cùm ea fiet) audient: ex Præceptoribus autem quisque hoc à suis discipulis præstari curabit (*h*). Et quidem superiorum Scholarum discipuli ad Missam, & Concionem hortandi sunt (*i*). Reliqui ex inferioribus deducendi ad Missam, præsente aliquo, aut pluribus Magistrorum; & ad Concionem mittendi (*l*).

h P. 4. c. 7. §. 2. & c. 16. §. 1.

i R. com. sup. 3.

l R. Præf. inf. 45. & com. inf. 3.

Catechismus addiscendus.

4. Prælegatur etiam in Collegijs, aliquo die cujuscunque hebdomadæ, Christiana Doctrina; & ut pueri eam ediscant, & recitent; omnésque etiam adultiores, si fieri potest, eandem sciant, curabitur (*m*).

m P. 4. c. 7. §. 2. & c. 16. §. 2. & R. Præf. inf. 6. & com. inf. 4.

Adhortationes habendæ tum communes, tum particulares.

5. Habebitur præterea singulis hebdomadis ab aliquo ex Scholasticis prove-

ctioribus, sive è Societate sit, sive Externus, sive suo, sive alieno Marte confecta Declamatio Latina, aut Græca de re aliqua, ad ædificationem pertinente (*n*). Præter menstruam, & communem omnibus arbitrio Rectoris (*o*), fiat in singulis Classibus inferioribus pia adhortatio hebdomadaria; in superioribus paulò rarior: sed utrobique Auditores incitandi sunt, etiam privatis colloquijs, ad orandum Deum, ad excutiendam conscientiam, frequentanda Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, vitandas pravas consvetudines, vitiorum fugam, prosecutionem virtutum (*p*). Nemo verò incitandus ad capessendam Societatem, & talia agitantes ad Confessarium rejiciendi (*q*).

n P. 4. c. 6. §. 13. & c. 16. §. 3. & B. & S. R. Rect. 11.

o St. R. Rect. 21.

p P. 4. c. 4. §. 6. & St. R. Rect. 21. & com sup. 3. & com. inf. 5.

q R. com. inf. 6.

6. Detur opera à Rectore, ut Congregatio D. Mariæ Annunciatæ ex Romano Collegio in suum propagetur; cui qui nomen non dederit, non esset in Academiam admittendus (*r*). De Congregationibus B. V. actum est suprà cap. 1. sect. 7.

Congreg. B. V.

r St. R. Rect. 23.

SECTIO II.

De Disciplina exigenda ab externis Discipulis.

1. IN Scholis nec juramenta, nec injuriæ, nec dissolutum quid permittatur (*s*); &

Scandala prohibenda.

s P. 4. c. 16. §. 4.

t P. 4. c. 5. E. & c. 14. §. 2. & D. & St. R. Prov. 34. & comm. inf. 8.

& procul habeantur libri Poëtarum, & quicumque alij non expurgati, qui honestati, boníſque moribus nocere queant (*t*).

Regularum obſervantia quomodo exigenda.

2. Quæ omnia, cum additamentis aliquibus, comprehendunt Regulæ Scholaſticorum externorum in Ratione ſtudiorum p. 158. Hæ propalam affigendæ, & legendæ in inferioribus claſſibus ſingulis menſibus (*u*), atque primò in Scholas admiſſis oſtendendæ; exacta ab ijs promiſſione (citra juramentum tamen) de Obedientia, & Obſervatione ſuarum Conſtitutionum; relatíſque in matriculam eorum nominibus. Ad quæ ſervanda compellantur, qui facilè compelli poſſunt. Amanter quidem perſvadere convenit; ſed ad id nè cogantur: nec ſi id non præſtiterint, à Scholis expellantur: dum tamen nec diſſoluti, nec alijs offendiculo eſſe videantur (*x*).

u R. Præf. inf. 49.

x P. 4. c. 16. A. & c. 17. §. 3. & D. & Præf. inf. 81.

Correctio quæ adhibenda.

3. At propter eos, qui tam in ſuis ſtudijs, quàm in moribus peccaverint; & cum quibus exhortationes non ſufficiunt, Corrector, qui de Societate non ſit, conſtituatur; qui capaces hujus animadverſionis caſtiget: quamquam in Correctore externo, ſicubi neceſſe fuerit, à Generali diſ-

dispensari poterit (*y*). Incorrigibiles autem, & alijs offendiculo futuri, à Scholis, judicio Rectoris, removeantur (*z*). Quod si casus aliquis accideret, ubi in remedium offendiculi præstiti satis non esset à Scholis expellere, sed etiam à Civitate expelli, vel in carcerem conjici oporteret; videat Rector, quid præterea conveniat providere: quamvis, quoad ejus fieri poterit, in spiritu lenitatis, pace, & charitate cum omnibus conservata, sit agendum (*). Enucleatiùs autem traduntur, quæ ad continendos in disciplina Scholasticos pertinent, in Reg. Præf. inf. à 37. usq; ad 50.

y C. 1. D. 35.

z P. 4. c. 7. §. 2. & D. & c. 16. §. 5. & c. 17. G. & R. com. inf. 40.

* P. 4. c. 11. B. & c. 16. D.

Pœnæ graviores per externæ potestatis Ministros infligendæ.

4. Cùm autem officium judicandi in criminalibus, quin etiam in civilibus rebus, religiosæ quieti, & muneribus minimè congruat; jurisdictio hujusmodi, quam per se, vel per alios à se dependentes Societas exerceat, non admittatur. Quamvis conveniat Justitiæ ordinariæ, sive Secularis, sive Ecclesiasticæ Ministros, circa punitionem Scholasticorum, voluntatem Rectoris sibi significatam exequi. Et ad hoc, & similia à Principe, vel à suprema Potestate, hujusmodi facultatis scriptum habere testimonium oportebit. (**)

** P. 4. c. 11. §. 3. & B.

CA-

CAPUT VII.

De Libris scribendis, edendísque.

1.

Scriptores Professi possunt à Collegijs sustentari.

REfertur etiam ad juvandos proximos, medijs literis, Librorum scriptio, atque editio In eorúmque gratiam, indultum est, ut qui talento ad id sunt præditi, cum expressa facultate Præpositi Generalis, licèt Professi sint, possint ad aliquod tempus in Collegia se recipere (*a*).

a P. 6. c. 2. C.

Libri antequã edantur examinandi.

2. Cæterùm à nullo Libri scripti edi possunt in lucem sinè approbatione, atque consensu ejusdem Præpositi: qui eorum examinationem saltèm tribus committat, sanâ doctrinâ, & claro judicio in ea facultate præditis: ut non aliter in publicum prodeant; quàm si ad ædificationem fore videbuntur (*b*). Sed in Libris, qui Theologiam speculativam, aut Controversias, aut doctrinam morum continent, quatuor Censores integrum librum examinent: leviora tractantes, à duobus tantummodo prælegantur (*c*).

b P. 3. c. 1. §. 18. & P. 4. c. 6. O. & P. 7. c. 4. §. 11. & R. Prov. 60. & C. 5. D. 9.

c R. Rev. 2.

Revisores ad hoc instituti.

3. Ad exercendam hanc Librorum censuram adsunt Præposito Generali quinque Viri ex quinque Assistentijs selecti, præstanti judicio, & doctrina, ad quorum directio-

rectio-

rectionem jussu Congr. 8. editæ sunt Regulæ, quas recognitas approbavit Congr. 10. Dec. 11. & Provincijs omnibus voluit communicari, iisque perinde, ac Romanos teneri, qui extra Urbem ad censendos Libros designabuntur (*d*). *d* R. Rev. 35.

4. Summa verò harum Regularum hæc est. 1. Sui muneris gravitatem Revisores intelligant; cùm in re maximi momenti Generali operam navent (*e*). 2. Pro conditione materiæ, plures pauciorésve Librum totum, & ipsas epistolas præliminares perlegere tenentur (*f*). 3. Duplex Judicium instituendum: alterum, an Liber sit edendus necne? alterum, si edendus, an, & quomodo corrigendus (*g*)? 4. In Rebus majoris momenti cautè procedendum, tum in ferenda, tum in exponenda sententia (*h*). 5. Absolutis cujusque Libri consultationibus, tum ejus approbationem, tum censuras P. N. subscriptas ab omnibus exhibebunt, si in eas major pars consenserit: separatim verò quisque scribet ad P. Generalem id, in quo discrepaverit (*i*). 6. Censuras Librorum ad ea maximè dirigent; quæ in Ratione studiorum præcipiuntur: nec ducantur exemplo non communi priorum Scripto-

Ab eis servanda.

e R. 1.

f R. 2. & 15.

g R. 3.

h R. 4.

i R. 5.

l R. 6. 7. rum, etiam è Societate (*l*). 7. Quodcumque argumentum Libri ædificationi, & utilitati ſerviat, non ſit mera repetitio aliorum; & mediocritatem non medio-
m R. 8. criter ſuperet (*m*). 8. Nulla ſequi poſſit offenſio, vel Principum, vel Doctorum Catholicorum; quos, ſi oportuerit, mo-
n R. 7. & 9. deſtè refellent (*n*). 9. Nullum Librum recognoſcendum à quoquam accipient, præterquam à P. Generali; quem monebunt, ſi Liber perperam deſcriptus, & in-
o R. 10. diſtinctè fuerit (*o*). 10. Secreti ſint tenaces: nec judicij ſui propenſionem alijs oſtendent; aut patrocinium Libri ſuſcipi-
p R. 11. ent (*p*). 11. Bullas, & quæcumque Romana Decreta ſpectantia ad doctrinam, mores, & editionem Librorum probè cal-
q R. 12. leant (*q*). Cenſurarum, & Librorum recognitorum exempla conſervanda ſunt. Qui in Provincijs extra ordinem Libros recognoſcent, ſint incogniti Auctoribus, cenſuráſque ſuas Provinciali tradent Romam mittendas. Si quid Provincialis ipſe
r R. 15. edere volet, id non faciet, niſi conſulto priùs Generali (*r*).

Pœna in vulgantes typis, quæ probata non ſunt. 5. Si quis verò, ſinè facultate, ſeu proprio, ſeu alieno, ſeu etiam ſuppreſſo nomine, Librum, Libellos, aut folia etiam vo-

volantia, aut demum quidquid prælo, ad publicam lucem, committitur, typis ederet, gravibus, certíſque pœnis puniendus eſt: puta privatione officij, vocis item activæ, & paſſivæ, inhabilitate etiam ad Dignitates, & Prælaturas Societatis, pœnis etiam corporalibus, pro delicti gravitate decernendis. Hæc etiam pœnarum capita ad complices, & conſcios, etiam Superiores, pro ratione culpæ, extendantur: & præſumptio fraudis contra illos ſtare cenſeatur, à quibus accepta ſcripta Externi vulgaverint (*s*).

s C. 11. D. 18. & R. Rev. 15.

PARS VI.

De Præposito Generali.

HActenus explicata hominum, ac rerum series consistere nequaquam posset custodibus destituta; imponendi ergo fuerunt domestici Præsides, quorum auctoritate, sua vis Legibus, suum obsequium Socijs constaret. Horum Præsidum qualitates, & jura hìc exponentur, initio ducto à Supremo, qui Præpositus Generalis dicitur; atque unus sextam hanc Partem implebit.

CAPUT I.

De Ejus Qualitatibus, & Facultatibus.

SECTIO I.

Dotes prærequisitæ in Præposito Generali.

IN seligendo eo, cui universæ Societatis regimen demandandũ est, attendenda sunt plurima.

1. Ut

1. Ut cum DEO quàm maximè conjunctus, & familiaris, tam in oratione, quàm in omnibus ſuis actionibus ſit. Præterea omnium virtutum exemplo, ac præcipuè Charitate in omnes, & humilitate conſpicuus; tum exteriùs compoſitus, præſertim in loquendo. Miſceat benignitati ſeveritatem: nec ſe dejici adverſis, aut proſperis efferri permittat. *Religioſæ Virtutes.*

2. Præclaro intellectûs, & judicij dono polleat; doctrináque, ſed magìs prudentiâ, valeat: & in rebus ſpiritualibus exercitatione. Vigilantiam, ſollicitudinem, & conſtantiam in rebus aggrediendis perficiendíſque præſeferat. *Alia intellectûs & voluntatis ornamenta.*

3. Ætas media inter ſenilem, & juvenilem, firma etiam valetudo attendenda: nec ſpecies externa ad decentiam, & auctoritatem deſit. *Bona corporis.*

4. Exiſtimatio, ac bona fama; nobilitas, divitiæ, honor, quibus in ſeculo eminebat; ea ſunt, quorum aliqua ratio, cæteris tantùm paribus, eſt habenda. *Bona externa.*

5. Denique ex eorum numero eſſe debet Præpoſitus Generalis; qui in omni virtutum ornatu clariſſimi; & de Societate optimè meriti; & diu in eadem tales eſſe perſpecti ſunt. *Summa præquiſitorum.*

Aliquibus deficientibꝰ quid necessariò desideretur.

6. Et si aliquæ ex dotibus superiùs dictis deessent; certè non desit eximia probitas, & amor erga Societatem; ac judicium bonum; quod etiam idonea doctrina comitetur (*a*); & sit Professus quatuor Votorum (*b*).

a P.8. c. 1. §. 6. & G. & P. 9. c. 2.

b P. 5. c. 1. A. & P. 8. c. 3. A. & C. 1. a. el. D. 6. c. 3.

Nonnulla alia consideranda.

7. Præterea habenda est ratio eorum, quæ 2. & 3. cap. exam. & 2. & 3. cap. Par. 1. Const: dicuntur, & Interrogatorij, quod ante electionem à deputatis PP. conficitur; juxta eas dotes, quas præcipuè attendendas esse temporum conditio persvaserit (*c*).

c Form. Cong. Gen. §. 30.

Omnium aptissimus eligendꝰ.

8. Et in ejus electione jurent singuli Electores se eligere quem aptissimum inter præsentes, absentésque judicant (*d*). Nec immeritò tam multa præscripta sunt; cùm bona, & mala Capitis habitudo in universum corpus redundet (*e*). Quæ forma servanda sit in ejus electione; habes in Formula Congregationis Generalis à §. 2. ad 55.

d P. 8. c. 6. §. 6. & F. & Form. Cong. Gen. §. 29. & 38.

e P. 10. §. 8.

SECTIO II.

De ejus Auctoritate in Genere.

1.

Iurisdictio ejus in Societate summa.

AUctoritas Præpositi Generalis (ut de ea primùm agatur in genere) summa est,

est, quæ propemodum potest esse: nam dicitur expedire, ut ille omnem habeat auctoritatem in universa Societate ad ædificationem: ex qua, præter cetera quamplurima, illud sequetur commodi; ut universus Ordo ad Monarchicam gubernationem compositus, maximè servetur unitus; ipsiúsque membra per universum Orbem dispersa, per omnimodam hanc subordinationem, suo Capiti colligata, promptiùs, atque faciliùs à Summo Capite Christi in terris Vicario, moveri possint (*f*).

f P. 8. c. 1. §.7. & P.9. c. 3. §.1. & Jul.III. pag. 64. & Gregor. XIV. p. 281. & Paul. V. p.310.

2. Hanc auctoritatem liberam, & generalem, & plenam in universos ejusdem Societatis Socios ubilibet commorantes, etiam exemptos, cùm primùm juxta Constitutiones Societatis in ejus Præpositum electus fuerit, habeat & exerceat (*g*).

Et in omnes Socios statim ab electione.

g Paul. III. p. 37.

3. Iubeat autem ea, quæ ad constructionem propositi sibi à Deo, & Societate finis cognoverit esse opportuna: & in Prælatione sua benignitatis, ac mansvetudinis, caritatísq; Christi, Petri, Pauli que formulæ, semper sit memor: & tam ipse, quàm ejus Consultores, ad normam hanc assiduè spectent (*h*).

Relatè tamen ad Institutum, & Christianâ mansuetudine, exercenda.

h Paul. III. p. 12. & Jul. III. p. 64.

SECTIO III.

De Potestate admittendi Socios, Collegia &c. & administrandi Bona temporalia.

I.

Potest admittere ad Novitiatum, & Gradus.

EX tam ampla facultate descendendo ad particularem, 1. Generalis potest per se, & per alios admittere, sive ad probationem, sive ad Gradum Scholastici approbati, aut Coadjutoris formati, sive ad Professionem, quos admittendos judicaverit. Poterit etiam eosdem dimittere (*i*). Quid autem in admissione ad singulos gradus, aut dimissione servandum sit, vide suprà.

i P. 9. c. 3. §. 1. & Greg. XIV. p. 281.

Quatenus possit Provincias instituere, Domos, & Collegia admittere, seu dissolvere.

2. Ad eundem spectat Provinciarum institutio, re tamen diligenter considerata, & cum Assistentibus comunicata (*l*). Ejusdem est Domos, Collegia, & Universitates Societati oblatas acciperes; & in Fundatores, quos duxerit admittendos, admittere. Nequit autem dissolvere Domos, vel Collegia jam erecta, sinè Generali Congregatione (*m*).

l C. 1. D. 108. & C. 2. D. 36. & C. 4. D. 6.
m P. 8. c. 2. §. 2. & P. 9. c. 3. §. 5. & 17. 18. & P. 4. c. 2. §. 3. & Jul. III. p. 62.

Quomodo supplendus defectus Congregationis Generalis

3. Quod si necessitas planè cogat, ut Generalis Congregationis tempus antevertatur; dissolutio pendeat à majori suffragiorum parte, quæ conferent Generalis,

lis, Provincialis intra Europam, & is etiam extra illam, in cujus Provincia resîdet Domus, aut Collegium, quæ in deliberationem veniunt; præterea Assistentes, Procurator Generalis, Secretarius, & duo antiquissimi Professorum cujusque Provinciæ intra Europam (*n*).

in dissolvendis Domibus.

n P. 4. c. 2. A. & P. 8. c.3. §.1. & Jul. III. p. 62. & C.4. D. 23. & 27.

4. Insuper, citra prædictam dissolutionem, penes Præpositum Generalem est facultas agendi quosvis contractus emptionum, aut venditionum quorumlibet Bonorum temporalium, mobilium, & immobilium: neque indiget ad eorum validitatem Socios collegialiter advocare. Ejusdémque est administrare Collegiorum Bona; & si quid relictum fuerit omninò liberum dispositioni Societatis, idem Generalis disponere poterit vendendo, aut huic, vel illi loco applicando, servatis tamen Decretis, quæ circa extractionem Bonorum extra Provinciam Societas condidit, & relata sunt Par. 1. cap. 6. sect. 6. (*o*). Non potest autem Bona Collegiorum, vel in suum, vel Consangvineorum suorum, vel externorum quorumcunque, vel Professæ Societatis usum convertere; cui tamen potest ex iisdem convenientem eleemosynam dilargiri (*p*).

Facultas Generalis circa temporalium Bonorum administrationem.

o P.4.c.2.C. & P.9. c.3. §. 5. 6. & C. 1. D. 77. & 100. & 144. & 59. & Pius V. p. 107. & P. 3. c.1. §.9.& C. 2. D. 15. & 23. & seq. & C. 3. D.16. & ult. & C.4. D. ult. & C.6. D. 8.

p Ex c.1. §. 4. & P.4.c.2. §.5. & A. & F. & c. 10. §. 1. & P. 6. c.2. §.3.& P. 9. c. 3 §. 18. & c. 4. §. 7. & D. & P.10. §.4. & Paul. III. p.14. &Jul.III. p.66. & Gre. XIII p. 168. & 169.

SECTIO IV.

De Facultate circa Superiores, Missiones, Constitutiones, & Privilegia.

1.

Eligit Superiores, & Officiales: excipiuntur ipsius Assistentes, & Admonitor.

q P.9. c.3. §. 3. & 14. 15. 16. & 20. & P. 4. c. 10. §. 3. & c.17. §.1. & Jul. III. p 66. & Greg. XIV. p. 281. & C.1. D.1. & C. 5. D. 20. & 23. & R. Prov. 22. & C. 7. D. 66. & F. Con. Gener. §. 58.

r P.9. c.4. §.6. & c. 5. §. 6. & D. & C. 8. D. 28.

s P.8. c. 4. §. 1. & A. & C. 4. D. 20. 21.

AD eundem Generalem spectat constituere, atque amovere Rectores Collegiorum, ac Domorum Probationis, Præpositos Domorum Professarum, ac Provinciales, Procuratorem etiam Generalem, & Secretarium Societatis, ac quosvis demum Officiales (exceptis Assistentibus, & Admonitore) eamque illis facultatem communicare, quam judicaverit expedire; eandémque restringere, ac revocare: At durante Congregatione Generali, Superiores mutare non potest (*q*). Et si, præ senio, aut gravi ægritudine, muneri vacare nequit, Vicarium sibi potest substituere cum approbatione Provincialium (*r*). Debet etiam ante mortem eligere Vicarium suum; qui vitâ perfuncti locum sustineat: atque hujus Constitutionis praxis ei seriò commendatur (*s*).

Et quocumque velit, Socios mittit.

2. Mittere item suos potest, vel ad perficienda studia, vel ad obeundas Missiones quocunque gentium; eosdémque revocare; modò non à Sede Apostolica de-

detineantur. Si tamen ad tempus indeterminatum ab ea missi fuerint, revocare poterit, & sua cuique munia distribuet (*t*).

3. Sicut ad Generalem pertinet curare, ut Societatis Constitutiones ubique observentur, correctionibus, & pœnitentijs etiam inflictis, ubi necessarium duxerit, ità ad eum pertinebit in illis dispensare; ubi eam esse mentem Constitutionum judicaverit, & non aliter. Poterit etiam dubia pertinentia ad Institutum declarare: Quæ tamen Declarationes non habent vim legum, aut Decretorum universalium, sed tantùm Ordinationum inservientium praxi bonæ gubernationis: cùm illa condere, & abrogare sit tantùm Congregationis Generalis; has verò Præpositi Generalis, non autem inferiorum Superiorum (*u*).

4. Quæcunque Privilegia, Facultates, Indulgenriæ, Gratiæ &c. Societati conceduntur, Præposito Generali concessa intelliguntur; ità ut Personæ Societatis non possint illis uti, nisi quatenus sibi fuerint à Generali communicata (*x*). Cujus etiam est aggregare Congregationi primariæ B. Virginis reliquas per totum Orbem (*y*).

5. Po-

t P.7. c. 1. §. 1. & 6. &c. & B. C. & c. 2. § 2. A.B.C. & H.& P.9. c.3. §. 2. & 9. F. G. H. & Paul. III. p.38. & C.2. D. 12.

Et constitutiones tuetur, declarat, in ijs dispensat.

u P.4. c.10. §.2. & P.9. c.3. §.8. & D. & §.11. & P. 10. §. 13. & Jul. III. p. 64. 65.& Gre.XIII p. 285. & C. 1. D. 143. & C.4. D. 19. & C. 7. D. 76.

Gratiæ Apostolicæ medio Generali Socijs communicantur.

x P. 5. c. 1. A. & P.8. c.1. §.6. & P. 9. c.3. §.10. & Greg. XIII. p. 143. & 144. & Præf. in Cõp. Privil.

y Greg. XIII. p. 259.

Quid possit in ordine ad Congregationes.

5. Poterit convocare Congregationem Generalem, tempúsque ejus, & locum designare: spectátque ad ipsum convocatam dirigere; in eáque, at non in Deputationibus, duo Suffragia habet, & præterea qualitatẽ præcedendi ceteris paribus; ejusdémq; est statuere, ut Provinciales etiam Congregationes convocentur (z). Generalem autem Congregationem dissolvere, sinè consensu ipsius Congregationis, quæ Generali superior est, non debet (a).

z P. 8. c. 2. C. & c. 3 §. 2. & c. 4. §. 2. & c. 5. §. 1. 2. & P. 9. c. 3 §. 12. & F. Con. Gen. §. 57. 58. 62. & C. 1. D. 8. & C. 6. D. 26. §. 3. & C. 7. D. 71. & F. Con. Proc. §. 9.

a C. 1. D. 145. & Form. Con. Gen. §. 75.

Quid post indictam Congregationem Generalem.

6. Non licet Generali Provinciales mutare post indictam certo temporeCongregationem Generalem, usque dum hæc dissolvatur, exceptis casibus, in quibus potest, & ipse Vicarius (b). Quod si literæ designantes novum Provincialẽ missæ ante indictam Congregationem Generalem, post hujus indictionem pervenerint in Provinciam, suum effectum sortiuntur; nisi ante indictam Congregationem antiquus Provincialis triennium non explevisset, & constaret Generalem non voluisse illum ante tempus exauctorare (c). Porrò hactenus dicta de non mutandis Provincialibus post indictam Congregationem, non pertinent ad Provinciales extra Europam (d). At Superiores lo-

b C. 1. D. 1. & C. 4. D. 58. & C. 5. D. 20. & 23. & C. 7. D. 66. & C. 12. D. 30. & 32. & Fo. Con. Ge. §. 58.

c C. 12. D. 30. & 33. & C. 13. D. 21.

d C. 12. Act. 49.

locales à Generali mutari poſſunt, modò abſolverint tempus Regiminis, etiam poſt indictam Congregationem Generalem, & ante inchoatam Provincialem (*e*). *e* C. 12. D. 31.

7. Ut autem prædictæ facultates exerceantur majori auctoritate, notitiâ Perſonarum, & in gubernando experientiâ, atque adeò fructu; Generalis ad vitam, & non ad tempus aliquod erit eligendus. Accedit etiam hoc commodi ex eo: ut Societas, in rebus magni momenti ſatìs ferè occupata, univerſalibus conventibus minùs diſtractionis patiatur. Præterea longiùs recedet omnis cogitatio, & occaſio ambitionis; quæ hujuſmodi Officiorum peſtis eſt. Tum illud expendendũ, faciliùs unum idoneum, quàm plures ad hoc munus inveniri. Ac demum hæc Conſtitutio ſvadetur exemplo Gubernationũ magni momenti; quæ ad vitam eſſe ſolent, tam in Eccleſiaſticis, quàm in Secularibus. De remedio autem, quo evitentur aliqua incommoda, quæ ſequi poſſent ex hujuſmodi Officio ad vitam producto, infrà agetur (*f*).

Ejus perpetuitas.

f P. 9. C. 1. §. 1. & A. & C. 1. D. 47. & Paul. V. p. 310.

8. Per mortem verò ipſius non expirat poteſtas Officialium, quos conſtituit, dum viveret; immo neque nominationes eo-

Eo mortuo num vigeant ejus mandata.

eorundem, ſed excutioni mandari debent: idémque judicium eſto de ejus Ordinationibus, mandatis, & conceſſionibus. Sed excipiendi primò Commiſſarij, & Viſitatores intra Europam; quorum nec perſeverat officium; nec nominatio executioni mandanda eſt. 2. Nominationes autem Superiorum in locum eorum, qui moriente Generali triennium ſuum non expleverunt, ſunt irritæ: niſi conſtaret Generalem defunctum voluiſſe illos ante expletum triennium exauctorare; & niſi ante reſcitam mortem Generalis, etiam expleto triennio, nominationes executioni mandatæ fuiſſent. Alioqui nominationes hujuſmodi amittunt robur ſuum, niſi novi Generalis auctoritas illis acceſſerit (g).

g C. 1. D. 5. a. cl. & D. 1. & 91. p. cl. & C. 4. D. 3. & 20. & 58. & C. 7. D. 72. & C. 12. D. 30. & C. 13. D. 11.

CAPUT II.

De Providentia, quam Societas exercet erga Præpoſitum Generalem.

SECTIO I.

De Providentia erga ejus Perſonam.

Quàm conveniens aliqua ſubordinatio Præpoſiti Generalis.

1.

SEd tam ampla Præpoſiti Generalis auctoritas tum ipſi, tum Societati pericu-

culoſa extitiſſet; ſi nullam unquam ſibi ſuperiorem agnoſceret: prudentiſſimè ergo conſultum, ut Societas exerceat erga Generalem providentiam ſuam ſex in rebus, & multum in illum poteſtatis habeat; & ùt Generalis ad bonum omnia poteſt; ità, ſi malè ageret, omninò ſubjectus ſit (*a*).

a P. 10. §. 8.

2. Prima igitur Providentia verſatur, circa res externas veſtitûs, victûs, & expenſarum quarumlibet, ad Perſonam Præpoſiti ſpectantium; quæ omnia augere, vel imminuere Societas poterit: & huic Ordinationi Præpoſitus acquieſcet. Quo in genere, cùm Regula olim conſtituta eſſet de menſa ejus privata, cibo tamen communi, quam laudata conſvetudo confirmaverat; poſtmodum totis animis commendata ejus ſubtractio; quam P. Mutius p. m. induxerat, petierátque, ut perpetua lege decerneretur (*b*). Alimenta verò Generali ſuppeditanda ſunt ab ea Domo, vel Collegio, ubi deget; & expenſæ itineris, ſi quod agit, fient ab ijs, quorum bono iter ſuſceptum eſt; ſi tamen pro negotijs Societatis illud faciat (*c*).

Circa victum, & alias expenſas.

b P. 9. C. 4. §. 2. & C. 5. §. 2. & C. 1. D. 76. & C. 3. D. 38. & C. 7. D. 7.

c C. 2. D. 82.

3. Secunda ad corporis curam pertinet; nè in laboribus, vel rigore nimio menſuram excedat (*d*). Quamquã non ex-

Circa corporis curam, & Socium, & animam.

d P. 9. C. 4. §. 3. & C. 5. §. 2.

expediat locò temporalis Coadjutoris,adhiberi à Generali Sacerdotem, qui adstet ad ejus januam, admittendi causâ adeuntes; poterit tamen uti alicujus Sacerdotis operâ in ijs, quæ opportuniùs tali personæ committenda judicaverit (*e*). Tertia ad Animam ejus spectat; cùm etiam Viris perfectis aliquando hujusmodi cura sit necessaria (*f*).

e C. 8. D. 55.

f P. 9. c. 4. §. 4. & c. 5. §. 2.

Hæc omnia per Assistentes, & Admonitorem præstanda.

4. Circa hæc tria résque alias minùs graves Societas exercet providentiam suam, medijs Assistentibus, & Admonitore; de quorum officijs infrà agetur: hìc monuisse sufficiat; Assistentium esse, in duobus prioribus dicere, aç efficere, quod ad majorem DEI gloriam pertinere judicaverint: in tertio verò dicere tantùm, ídque per Admonitorem (*g*).

g P. 9. c. 4. § 4. & A. & c. 5. §. 2. & C. 1. D. 82. & R. Assist. & Adm.

Consultatio Assistentium in ordine ad Generalem.

5. Præterea cùm novissimè P. de Noyelle p. m. severam admodum censuram sibi vellet imponere, ab Assistentibus identidem exercendam; & à Congregatione Generali enixè postulâsset, ut eam stabili Decreto sanciret: negavit Congregatio expedire tam arctis vinculis suum Generalem constringere. Ut tamen aliqua ex parte ejus desiderio satisfaceret, statuit; ut deinceps PP. Assistentes,tertio quoque

men-

menſe convenientes, inter ſe diſcuterent; num aliquid ſit, de quo monendus Generalis videretur; quod & præſtarent, ſi dimidia ſaltèm illorum pars monendum eſſe cenſuiſſet (*h*).

h C. 12. D. 7.

Quid agendũ, cùm nova Dignitas Generali offerretur.

6. Quarta materia exercendæ Providentiæ erga Generalem eſt, quando is urgeretur (citra obligationem tamen ſub pœna peccati) ad aliquam dignitatem, in qua Præpoſiti officium neceſſariò relinquendum eſſet: tunc enim nec Præpoſitus eam admittere poteſt, ſinè approbatione Societatis; nec Societas, ſi obedientia Sedi Apoſtolicæ debita non compulerit, aſſenſum præſtabit (*i*).

i P. 9. c. 4. §. 5. & B. & c. 5. §. 6. & E.

Sacra ad ejus intentionem, vel pro ipſo facienda.

7. Singulis Hebdomadis Sacerdotes unum Sacrum facient, reliqui verò Coronam dicent ad intentionem P. Generalis (*l*): ea tamen Sacra non ità à Generali applicanda ſunt; ut alij quicunque exinde ſolvantur ab obligatione Miſſarum ob eleemoſynas receptas, recipiendáſve celebrandarum (*m*). Demortuo autem Generali, qui ſunt in eodem loco Sacerdotes, quinquies Sacrificium Miſſæ offerant; & reliqui totidem Coronas recitent: in alijs autem locis per univerſam Societatem, tria Sacra Sacerdotes facient, & reli-

l Catal. Miſſ. §. 20.

m C. 12. D. 1.

n Off. Vic. §.2. qui tres Coronas dicent (*n*). Præter hæc ſacra, precéſque, in noſtris ubique Templis Officium Defunctorum dicendum, & ſolemne ſacrum cum Exequijs, cui privata ſua adjungent eadem die Sacerdotes, & reliqui Coronam (*o*).

o C. 7. D. 5. & C. 12. D. 56. §. 5.

SECTIO II.

De Providentia in ijs, quæ ad Generalis Officium pertinent.

1.

Quid ſi inutilis ſit effectus.

Quinta eſt: ſi accideret, ut valdè remiſſus eſſet in rebus magni momenti, ad Præpoſiti Officium pertinentibus, & inutilis ad gubernationem Societatis, propter corporis gravem ægritudinem, aut ſenium (non autem ob voluntariam incuriam *p*) ſpe emendationis ea in parte ſublata. Tunc enim Vicarius, qui Generalis officio fungatur, eſt eligendus ab ipſomet Præpoſito, cum approbatione Provincialium; ad quod excitandus eſt ab Aſſiſtentibus: ſi verò nequeat, aut renuat, eligendus eſt Vicarius, juxta formulam eligendi ipſum mortuo Generali; & monenda Societas de ſtatu Generalis, ut ipſa deliberet quid facto præterea opus ſit (*q*). Vicarium cum pleno, & libero exerci-

p C. 1. D. 48.

q P. 8. c. 4. A. & P. 9. c. 4. §. 6. & c. 5. §. 6. & D. & C. 8. D. 28. 29. & F. Con. Gen. §. 1. & 56.

citio poteſtatis, & jure ſucceſſionis, elegit Congregatio XI; & electio Pontificio diplomate munita fuit (*r*). De hac ſubſtitutione redibit ſermo, cùm de officio, & electione Vicarij agetur. Quamquam ſi Patres congregati ad plura medietate ſuffragia judicarent non eligendum Vicarium: videndum erit pari ſuffragatione, an præter Miniſtros illos, quorum operâ Generalis utebatur, alios providere Societas debeat; ut ſublevato Præpoſito, nihil ad gubernationem conveniens deſideretur. (*s*).

r C. 11. D. 1. 2. & 4. & 6. 7. 8. & 29.

s P. 9. c. 5. §. 6.

2. Sexta, & poſtrema occaſio contingeret, ſi (quod ſpes eſt DEUM nunquam permiſſurum) Generalis aliqua peccata mortalia in externum actum prodeuntia commiſiſſet; ac nominatim vulnerare quemquam, ex reditibus Collegiorum aliquid ad proprios ſumptus aſſumere, vel cuivis extra Societatem donare, vel aliqua ſtabilia bona Domorum, aut Collegiorum alienare, vel pravam doctrinam habere.

Quæ cauſæ ſufficiant ad ejus depoſitionem.

3. Si quid ergo horum accideret, poteſt, ac debet Societas eum officio privare: & ſi opus eſt, à Societate removere; aut ſi delictum non eò pertingeret, ſed tantùm

Methodus in eo judicio ſervanda.

corrigendus videretur; judicio quatuor, aut quinque, quæ correctio conveniat, statuendum. Dúo tamen advertenda, 1. quoniam qui curam tam un versalem aliorum habet, est magìs obnoxius calumnijs; probationes dictorum defectuum debent esse efficacissimæ. 2. Cùm ad talem ferendam sententiam convocanda sit ab Assistentibus Congregatio Generalis (nisi, ut in re divulgata, ultrò ad eam venissent Patres) quoad fieri potest curandum est, ut dissimulentur causæ ejus Convocationis; & si privandus officio Generalis fuerit, secretò monendus, ut eo ultrò se abdicet; & seriò imponenda omnibus rei conscijs secreti fides (*t*). Quomodo autem in prædictis casibus monenda sit Societas, quomodo convocanda Congr: Generalis, & convocata dirigenda, partim in Form. Congr. Gen., partim in Officio Assistentium exponitur.

t P. 9. c. 4. §. 7. & C. D. & c. 5. §. 4. 5. & B. C. & For. C. Gen. §. 1. & 55. & R. Assist. 3.

CAPUT III.

Quid præstandum, & omittendum à Præposito Generali.

1.

Quid universè.

PRæpositum Generalem ad rectam muneris sui administrationem juvabunt.

bunt. 1. Auctoritas. 2. Exemplum vitæ suæ. 3. Mortificatio inordinatarum affectionum interna, externáque. 4. Severitas cum benignitate conjuncta. 5. Amor erga Societatem. 6. Preces, & sacrificia; in quibus potissima ejus fiducia sit. 7. Solicitudo regularis observantiæ. 8. Tempus (quantum per valetudinem licet) impensum utiliter, partim agendo cum Deo, & Officialibus, partim seorsim considerando (*a*).

a P. 8. c. 1. §. 6. & G. & P. 9. c. 2. & c. 3. §. 8. & c. 6. §. 1. & A. & §. 2. & §. 13.

Ejus Residentia.

2. Ut locus magìs conveniat ad communicationem Capitis cum suis membris, conferre plurimùm potest, ut idem magna ex parte Romæ resideat: ubi cum alijs omnibus locis Societatis faciliori utetur commercio; & quia ibidem est Curia Romani Pontificis. Poterit nihilominus subditos alijs in locis visitare; & prope Romam aliquando habitare (*b*).

b P. 8. c. 1. §. 7. & H. & c. 5. §. 1.

Quid ergaPontificem.

3. Cùm novus Christi Vicarius in Apostolica Sede fuerit constitutus, per se, vel per alium, intra unum ab ejus creatione, & coronatione annum, tenetur Præpositus Generalis ejus Sanctitati declarare professionem, ac promissionem expressam Obedientiæ, qua ipsi Societas peculiari voto circa Missiones, ad DEI glori-

c P. 7. c. 1. §. 8.

d Paul. III. p. 10. & Jul. III. p. 62. & P. 6. c. 1. §. 1. & P. 7. c. 3. §. 1. & P. 10. B.

am, se obstrinxit (*c*). Et generatim memor sit, in primis conservandam benevolentiam Sedis Apostolicæ; cui peculiariter obedire, & inservire debet Societas: cùm hæc ejus prima, & summa Obedientia statuatur (*d*).

Quid eum declinare oporteat.

4. Ejus præterea officium proprium non est Concionari, nec Confessiones audire, aut alia hujusmodi; nisi quid præstare hoc in genere subinde per alias occupationes officij sui ei liceat; quin ipsas Missiones Pontificias, ùt recusare non potest, ità nec debet affectare, aut petere, sinè Societatis consilio, nec magnoperè occupari debet in cura rerum particularium Societatis, quas plerumque rejiciet ad suos Officiales, etiam in ea Domo, ubi residet. Multò minùs implicari debet negotijs secularibus, licèt pijs; nè tempus, ac vires ad ea, quæ pertinent ad ipsius officium, (quod quidem magìs, quàm totum hominem requirit) eum destituant (*e*).

e Paul. III. p. 12. & Jul. III. p. 64. & P. 7. c. 1. §. 2. & D. & P. 9. c. 6. §. 1. & 4. 5. 6. B. C.

CA-

CAPUT IV.

Quibus Commentarijs, & Informationibus juvandus sit Præpositus Generalis.

I.

APud ſe habeat Compendium omnium Literarum Apoſtolicarum, & Conceſſionum ad Inſtitutum pertinentium, Catalogos itidem quatuor; duos ſpectantes ad Perſonas, earúmque ætatem, Gradus, munera, & Indolem; tertium continentem cujuſque Collegij, & Domûs ſtatum. Hi autem Catalogi tertio quoque anno conficiendi, mittendíque à Provincialibus ad Generalem, juxta Inſtructionem accuratiſſimam, quam videre eſt Form. Scrib. §. 32. &c. & in Ord: Gen. cap. 19. unáque quartus de aptis ad Gubernandum, qualémque delineatum habemus Ord. Gen. c. 17. His quatuor Catalogis alium Provincialis addet, intermedijs annis, continentem nomina, & Miniſteria, in quibus unuſquiſque Noſtrorum eo anno occupatur, & ſupplementum triennalium Catalogorum (*a*). Demum cùm ad Præpoſitum Generalem

Compendium Privilegiorum, & Catalogos apud ſe habeat.

a P. 2. c. 1. N. & P. 9. c. 6. §. 3. & C. 2. D. 48. & 54. & F. Scr. §. 32. 33. 34. 35. & Or. c. 17.

pertineat Societatis Ministeria, & Gradus, pro cujusque facultate, distribuere; cognoscat, quoad ejus fieri poterit, conscientias subditorum, & Provincialium, præcipuè, aliorúmque quibus munera majoris momenti committit (*b*).

b Ex. c.4. §.36. & P. 9. c. 3. §. 19.

Literarum cum inferioribus communicatio.

2. At præter informationem illam, quam Generali suppeditant prædicti Catalogi circa habitualem ferè statum Personarum, & munerum Societatis, necessaria etiam eidem est cognitio rerum, quæ in singulos propè dies incidunt, & subinde etiam remedium ab ejus suprema auctoritate deposcunt. Laudatur igitur literarum frequens commercium inter inferiores, & Generalem. Et is quidem frequentiùs scribet ad Provinciales, quamvis aliquando etiam oporteat agere cum Superioribus localibus, & particularibus personis; easdémque consilio, & si opus est, correctione juvare (*c*).

c P. 8. c. 1. §. 4. & 9. & P. 9. c. 6. §. 2. & Form. Scrib. §. 1. & 9. & In. 9. §. 1. & 3.

Ordo in ea servandus.

3. Cùm autem præter casus extraordinarios, quibus quilibet, & quoties libuerit, ad Generalem scribere potest, oporteat in reliquis methodum aliquam servari temporum, & Personarum: hæc tradita est 1. in Constitutionibus paulò largior (*d*). 2. In Decretis Congregationum, &

d P. 8. c. 1. §. 9. & L. M. N.

& Generalium Ordinationibus aliquanto pressior, utpote accommodata excrescenti in dies, unà cum Societate, negotiorum moli (e).

e C.2. D.16. & 54. & Form. Scrib. in Cod. Reg. p. 159. & In. 9.

Ex prædictis igitur Regulis, & Ordinationibus perstringenda sunt præcipua capita, ad quæ illæ revocantur; & 1. à quibusnam, & quoties scribendum. 2. Scribendi materia. 3. Modus.

Quinam, & quoties scribere debeant ad Generalem.

4. Quoad primum attinet, Provinciales in Europa scribent ad Generalem semel quolibet mense; extra Europam verò, quando se obtulerit navigationis commoditas. Superiores locales, & Magistri Novitiorum in Europa, tertio quoque mense; ex Brasilia, & nova Hispania bis in anno; ex India semel (f). Consultores Provincialium, mense Januario, & Julio; Superiorum verò localium mense Januario (g). Rector Universitatis, Cancellarius, & Consiliarij Universitatis mense Januario (h).

f C.2. D.54. & Form. §. 7. 8. 9.

g R. Form. §. 20. & R. Cons. 10.

h Form. §. 22. & P. 4. c. 17. §. 7.

Scribendi materia.

5. Quoad secundum spectat, Materia erit cujusque muneri apta. Et Provinciales quidem curent, ut Provinciarum, ac Personarum status Generali perspectus sit. Superiores verò locales, & Magistri Novitiorum scribant, quæ alicujus mo-

menti fuerint; etiamsi approbante Provinciali fiant; multóque magìs ea, in quibus ille, aut nequit, aut recusat providere; omissis alijs, quæ per Provincialem transigi tutò possunt (*i*). De Consultorum epistolis distinctiùs in eorum Reg: p. 154. & cap. 10. Ordin. ubi traduntur capita, de quibus Consultores scribent ad Generalem: & infrà P. 7. c. 1. sect. 4. §. 5. & cap. 4. sect. 2. §. 6. de his agetur.

i Form. §. 10. 11. & 21. 22. & In. 9. §. 5. 6.

Et Forma.

6. Circa modum verò scribendi: quia longum nimis esset ire per singula; indicâsse locos sufficiat, unde ille peti possit; súntque laudatæ sæpius Regulæ, & Instructiones; quarum præcipua hæc ferè sunt capita. 1. Discretæ sint literæ; ità ut supervacanea earum vitetur prolixitas, & frequentia, necnon characterum improbitas, ambiguitas subscriptionis, &c. (*l*). 2. Secretæ tum omnes, tum præsertim aliquæ *Soli* inscriptæ (*m*): & quæ indigent operâ Procuratoris Generalis, adjectâ exteriùs literâ P. notentur.

l Form. §. 10. & 21. & In. 9. §. 6. 7. & 11. 12. 13.

m Form. §. 13. 14. & 17. 18. & 23. & 25. & In. 9. §. 8. 9. & Or: c. 4. §. 6. 7.

Levamenta Generalis in epistolarum expeditione.

7. Quoniam verò Præposito Generali tot literarum, & negotiorum onus esset intolerabile; quod nè magna quidem cum distractione animi, & sanitatis, ac longioris vitæ dispendio posset sustinere; ut bene,

ne, expeditè, & ſvaviter ſuum Officium faciat, multis ad id auxilijs ſublevandus eſt (*n*). Et primò ad minuendum laborem non neceſſarium, Generalis (ſi res moram patiatur) ad Provinciales ſcribet ſecundo quoque menſe, ad Superiores verò locales ſexto (*o*). Literas Secretarij manu ſcriptas Generalis ſubſcribet, aut Secretarius ipſe, de ejus commiſſione (*p*) 3. Aderunt illi præterea multi adjutores ad expedienda negotia, & literas, de quibus ſtatim.

n P. 9. c. 6. §. 7. & D.

o C. 2. D. 54. & Form. § 12. & In. 9. §. 7. & R. Secr. 8.

p P. 9. c. 6. E.

CAPUT V.

De Secretario Societatis, ejúſque Socijs.

SECTIO I.

De officio Secretarij.

1.

NOn ſolùm Præpoſitus Generalis eget Miniſtris particularibus, quales ſunt Provinciarum Præpoſiti, híſque ſubordinati Superiores; de quibus Part. 7. infrà agetur; ſed opus habet etiam univerſalibus, & his quidem, aut ad excitandam rerum agendarum memoriam, aut ad conſilium in ijs ſuppeditandum, aut ad eaſ-

Quibus Miniſtris egeat Generalis.

dem

dem diligentia, ac labore executioni mandandas. Primæ partes Secretario demandantur; ſecundæ Conſiliarijs, ſeu Aſſiſtentibus; tertiæ Procuratori Generali (*a*).

a P.9. c.6. §. 7. & 10. & 12.

Secretarij munus quale.

2. Habeat igitur primò neceſse eſt aliquem Miniſtrum, qui ordinariè apud ipsũ maneat; qui pro memoria, & manibus illi ſit ad omnia, quæ ſcribenda, & tractanda fuerint; ac breviter ad res omnes Officij ſui obeundas: qui induat Perſonam Præpoſiti; & præter poteſtatem, totum Officij ejus pondus humeris ſuis impoſitum eſſe exiſtimet (*b*).

b P.9. c. 6. §. 8. & R. Sect. 1.

Quæ dotes in Secretario prærequirantur.

3. Is igitur Præpoſiti Miniſter vir ſolicitus, & diſcretionis, & ſi fieri poſſet, doctrinæ dono, & ſpecie honeſta, ac modo agendi verbo, & literis cum omni hominum genere præditus eſſe deberet; íſque, cui in primis confidenter quidvis committi poſſet, quíque Societatem in Domino diligeret (*c*).

c P. 9. c. 6.

Secretarij jura.

4. Eligitur à Generali; idémque Secretarius Societatis dicitur (*d*). Si ſit quatuor Votorum profeſſus, admittendus eſt ad Congregationem Provincialem, cum ſuffragio activo, & paſſivo; non item ad Congregationem Procuratorum, niſi electus ad eam fuerit. Ad Congregationem verò

d P.9. c.3. §.16.

verò Generalem, post electionem Præpositi, sive Professus sit, sive non, est admittendus, cum jure suffragij ad alia omnia, præterquam ad electionem Assistentium; quamquam informationes tam pro Generali, quàm pro Assistentibus, & Admonitore eligendis, ab eo capi possunt (*e*); immo si contingat ante electionem Generalis alia negotia, ad eam non spectantia, tractari, ad illa admittendus est (*f*). Habet etiam jus suffragij quandocumque, agitur de Domo aliqua, vel Collegio dissolvendis, non obstante Dec. 23. C. 4. (*g*). Potest idem creari Assistens; quamquam meliùs sit hæc munera in diversis Personis constitui (*h*). Habet plures Substitutos, & Socios; quibus in scribendis literis adjuvatur; qui licèt sub obedientia Vice-Præpositi, & Ministri Domûs sint constituti; tamen poterit eos, cùm ipsius postulat officium, aut recreationis causâ, foras mittere; & cum illis, si necesse fuerit, in ordine domestico dispensare (*i*).

e C. 4. D. 11. & C. 6. D. 25. §. 12. & Form. C. Gen. §. 60. & Con. Prov. §. 8.

f C. 12. D. 1. & C. 13. D. 2.

g C. 4. D. 27.

h C. 1. D. 89.

i R. Secr. 42. & Subst. 3.

SECTIO II.

De Secretarij Obligationibus.

HÆc circa ejus munus, dotes, & Privilegia. Sunt præterea auctoritate

Con-

l C. 7. D. 30. & 101. Congregationis Generalis approbatæ, atque editæ ipsius Regulæ (*l*), quarum summa capita huc referenda.

Quid in se præstare debeat. 1. Curet Secretarius, ut talis sit, qualem Constitutiones requirunt. Tempus orationi, & sanctæ Missæ destinatum à negotijs vacuum habeat. Sit fidelitatis, & secreti tenax, Instituti gnarus, solicitus, & industrius (*m*).

m R. Secr. 1. 2. 3. 4. 5.

Quid circa Archivium. 2. Archivium habeat ad servandas Scripturas omnes, Societati utiles, suis distinctum loculamentis, instructúmque Libris; in quos, pro materiarum diversitate, singula referri possint. Peculiares etiam pugillares libellos, ad juvandam memoriam, secum ferat (*n*).

n R. 6. 7. & 22. 23. 24.

Quæ Generali in memoriam revocanda. 3. Revocet P. Generali in memoriam literas scribendas, Consultationes habendas, Officia præstanda Principibus, & suggerendum quartum Professorum Votum novo Christi Vicario. In Consultationibus fideliter, & dilucidè rem proponat; ut nihil de facto reliquum discussioni sit, sed solùm de jure. Suffragia pro defunctis, & alias preces indictas curet celeriter Societati significari (*o*).

o R. Secr. c. 2.

Quomodo ad executionẽ eundem juvare debeat. 4. Manûs officium præstabit, tum negotia foris agendo, tum literas Domi scribendo.

bendo. Leget omnes literas ſibi traditas, excerptis præcipuis earum capitibus, & Provincijs curabit communicari quæcumque ad Inſtituti explicationem, confirmationem aut extenſionem pertinent (*p*).

p R. c. 3.

Fidelitas, ac ſecretum quæ.

5. Fidelitatem erga Generalem obſervabit, ſi nihil clam Generali ſcribet, aut aget; ſi illi ſignificabit quidquid ejus providentiâ indigeat; ſi nullam ſibi gubernationis partem uſurpabit. Erga Societatem verò, ſi interveniente cauſa cogendæ Congregationis Generalis, ipſe eam, neque diſſimulet Aſſiſtentibus, neque deſerat. Secretum cuſtodiet, tum nihil aperiendo earum rerum, quas ſecretas eſſe oporteat; tum Archivij ſcripturas cautè conſervando: & in obitu Generalis tempeſtivè omnia ejus ſcriniola obſerando (*q*).

q R. c. 4.

Ratio agendi cum Aſſiſtentibus.

6. Aſſiſtentes, utpote lectos ad majus officium, revereatur; nihílque ad eos pertinens ſibi uſurpet. Illíſque communicabit literas omnes (excipiuntur ſoli inſcriptæ) quæ ultro citróque mittuntur, Inſtructiones etiam, & Ordinationes; prout aliquibus, aut univerſis oſtendi ipſarum argumentum poſtulaverit (*r*).

r R. c. 5.

Cum Socijs.

7. Sociorum curam geret, tum ut officio fungantur ſuo, tum nè ejus laboribus ob-

obruantur. Peculiarem unum habeat ad manus, ad omnia negotia; & præcipuè ad expediendas literas, earúmque expensas adnotandas (*s*).

s R. c. 6.

Et cum Domesticis, Externisque.

8. Cum alijs deSocietate nullam auctoritatis speciem præseferat: nulli præcipuè faveat. Externis autem se gratum religiosè præbeat; & verba ipsa, nedum negotia, ex voluntate Generalis metiatur (*t*).

t R. c. 5. 6. 7.

De ratione scribendi literas.

9. Ratio autem scribendi literas cùm Religiosa semper debeat esse; alia tamen adhibenda cum nostris, nempe usitata Societatis; alia cum Externis, nempe attemperata conditioni Personarum, & praxi. At utrobique Generalis voluntatem, atque ingenium exprimat (*u*). Demum ei cura injungitur, & dictatur modus annuas literas colligendi, spargendíque per Societatem (*x*),

u R. c. 8.

x R. c. 9.

SECTIO III.

De Secretarij Socijs.

Quinam dicantur Substituti Secretarij.

1. ADjunguntur Secretario singuli pro singulis Assistentiis Patres; qui à vicaria, quam ei præstant, ope dicuntur Substituti; habent & ipsi suas Regulas, sed magna ex parte conformes Regulis Secretarij (*y*).

y R. Substit. 1.

2. Sub-

2. Subjecti sunt Vice-Præposito quoad domesticam disciplinam attinet: in ijs, quæ ad Secretariam pertinent, Secretario; ùt suprà dictum. Non ità suis Assistentijs sunt addicti, ut alijs etiam non debeant commodare operam, si jubeantur; quin & Scriptoribus præsto esse debent in complicandis literis, si opus habeant (z). *Eorum obligationes.* z R. 3.4. & 15.

3. Scriptorum nullæ sunt peculiares Regulæ; non placuit eos contributione Provinciarum in Romana Professorũ Domo sustentari, sed P. Generali commendatum est, ut aliam iniret viam, citra Domûs gravamen, illos alendi.* *Amanuenses.*

* C.4. D. 11.

CAPUT VI.
De Assistentibus.

SECTIO I.
Assistentium munus, & qualitates.

1.

ASsistentes instituti sunt, 1. ut erga Præpositum Generalem eam providentiam, quam Societas exercere debet, exerceant (a). 2. Ut eundem in Gubernatione consilio, diligentiâ, & labore adjuvent (b). *Assistentium munus.*

a P.9. c.4. §. 1. & A. & c. 5. §. 2. & C. 1. D. 8, & R. Ass. 7.
b P.8.c.1. G. & P.9. c.6 §.11.& R. Ass.7. & C. 1. D. 80.

Dotes. 2. Debent esse Professi quatuor Votorum, probi, fideles, Societatis, & boni communis amatores; qui consilio polleant; sint discretionis dono præditi; in rebus gerendis versati; & ad conversationem cum hominibus idonei; ad conservandam inter se, & cum Superiore pacem, & unionem apti: & quorum denique operâ in ijs, quæ statuenda sunt ad Dei gloriam, Generalis uti possit: sive præsentes verò sint, sive absentes, eligi perinde possunt (*c*).

c P.8.c.1. G. & P.9. c 5. §.2. & A.& C.1.D.80. & Form. Con. Gen. §. 78. & 80.

Numerus. 3. Numero quatuor, nec plures, nec pauciores olim eligendi erant (*d*), electíque diu sunt, rejecto etiam postulato peculiaris Assistentis pro Galliarum, & Flandriæ Provincijs (*e*); donec summa omnium Electorum voluntate, concessus est quintus Assistens pro Gallia (*f*).

d P. 9. c.5. §.2. 3. & C.1. D.88.

e C. 3. D. 10. & 14.

f C. 6. D. 1.

Natio. 4. Quinque igitur eligendi Assistentes in præsenti sunt ex quinque nationibus, in quantum fieri possit; scilicet ex Italia, & Sicilia unus, alter ex Germania, alius ex Gallia, alius ex Hispaniæ Provincijs, alius ex Lusitaniæ (*g*). Nomen autem nationis non semper eodem modo explicatum est in Congregationibus Generalibus: nam aliquando ùt synonymũ Assistentiæ sumptum

g Form. Con. Gen. §. 78. & C. 1. D. 80. & C. 2. D. 20.

ptum est; hoc est pro ea Provincia, ex qua quis venisset ad Congregationem (*h*); aliquando verò pro ea regione, ex qua quis natus esset (*i*): Sed definitum tandem ad eam Assistentiam quemlibet pertinere (ità ut eligi Assistens pro ea possit) ad quam ipsa Provincia, ex qua tunc ipse est, pertinet (*l*).

h C. 2. D. 4. & C. 3. D. 4. a. el. & D. 3.

i C. 5. D. 1. & C. 11. D. 9.

l C. 12. D. 5.

SECTIO II.

De Assistentium electione.

1.

ELectio hujusmodi Assistentium eorum erit, qui Præpositum eligunt, quando ad id congregantur (*m*). Ea quatriduo ad informationes concesso, ad plura suffragia olim est habita (*n*); nunc fieri debet ad plura medietate (*o*). Et quicunque ambitiosè egerit, ut vel ipse, vel alius Assistens eligatur; aut etiam alius excludatur; excommunicatur ipso facto, reservata Generali ejus absolutione. Hujus verò delicti conscius, in virtute sanctæ Obedientiæ, tenetur reum ad Generalem deferre (*p*).

A quibus eligantur ordinariè

m P. 9. c. 5. §. 3. & F. Con. Ge. §. 78. &c.

n C. 1. D. 80.

o C. 2. D. 22. & For. Con. Gen. §. 84.

p Form. Con. Gen. §. 82. & Catal. Gen. c. 1. tit. 1. §. 5. & tit. 2. §. 2.

2. At si quem ex electis Assistentibus, vel mortem obire, vel abesse à Generali diutius oporteret; Generalis alium

Et extraordinariè.

 sub-

ſubſtituet; qui, cum approbatione majoris partis Provincialium, jus habentium ad Congregationem Generalem, manebit in demortui, vel abſentis loco (*q*). Non eſt igitur Aſſiſtentis ſibi aliquem ſubſtituere (*r*): nec aliqui à Congregatione Generali deſignandi, qui ſubrogentur, ſi opus fuerit (*s*): aut plures Provincialibus à Generali proponendi; ſed unum aliquem Præpoſitus nominare, ac ſubſtituere etiam poteſt ante Provincialium approbationẽ; aliquam informationem de eo tranſmittens ijs, quibus notus non eſſet (*t*). Subſtitutus autem à Generali in locum Aſſiſtentis demortui, aut abſentis, non habet ſuffragium in Congregatione Generali, ſeu Procuratorum, vel ad diſſolvenda Collegia, ſeu Domos Societatis; niſi priùs conſtet de approbatione prædicta Provincialium (*u*).

q P. 9. c. 5. §. 3. & C. 1. D. 84. & C. 4. D. 24.

r C. 1. D. 84.

s C. 3. D. 12.

t C. 6. D. 27. §. 2. & C. 8. D. 19. & Form. Con. Gen. §. 85.

u C. 4. D. 25.

Iuramentum poſt electionem ab ipſis præſtandum.

3. Electi Aſſiſtentes jurant, ſi acciderit aliquod ex ijs, quæ ſufficiunt ad Præpoſitum officio ſuo privandum, ſe fideliter Societati denunciaturos (*x*). Et quidem electi à Congregatione juramentũ id præſtabunt in ipſa Congregatione, ſi præſentes ſint: aliter electi præſtabunt coram ijs, qui jus habent in Congregatione Gene-

x P. 9. c. 5. §. 4.

nerali; hoc est coram Præposito Generali, Assistentibus, Secretatio, & Procuratore Generali (*y*).

y C.6. D. 27. §. 2. & For. Con. Gen. §. 85.

4. Novi Assistentes, si jam in Congregatione sunt, non mutant locum pro eo Congregationis tempore, à qua creantur, statim tamen sua potestate, & munere fungi incipiunt (*z*). Eorum autem officium jure ordinario durat usque ad electionem novi Præpositi, & sunt Assistentes Vicarij (*a*).

Quando incipiat, aut desinat illorum officiũ jure ordinario.

z C. 2. D. 20.

a C. 1. D. 90. & C. 2. D. 35.

5. Mutati tamen sunt Assistentes pluries, non mutato Generali, ex imperio Summorum Pontificum. Tres quidem mandante Clemente Octavo (*b*); omnes jubente Paulo Quinto (*c*), & ex Brevi Innocentij X. *Prospero felicique statui &c.* in quacumque Generali Congregatione, singulis novennijs, ùt ibidem præcipitur celebranda, novi Assistentes ab illis planè diversi, qui præcedenti novennio Assistentes fuerint, eligendi sunt. Hæc tamen Innocentiana Lex non impedimento fuit, quominus Congregatio Generalis, non ex vi ejus Brevis, sed alio nomine congregata, Assistentis officium ijs confirmaret; qui eo munere proximè defuncti fuerant (*d*).

Quæ illorum mutatio extraordinaria.

b C. 5. D. 73. 74. & 77.

c C. 6. D. 4. & 10.

d C. 6. D. 27. §. 4. & C. 9. D. 2. & C. 10. D. 5. & 17. & Fo. Con. Gen. §. 53.

SECTIO III.

Assistentium jura.

I.

Gravitas muneris, & quatenus à Societate dependeant in eo retinendo.

ET hæc quidem de eorum electione satìs: jam quæ jura electos consequantur dicendum est. Assistentium munus nec Prælaturam continet, nec Dignitatem (*e*): est tamen in Societate gravissimum, & multis gaudet prærogativis, ùt ex dicendis constabit. Et 1. dimittere officium datum à Societate, sinè ejus consensu, non possunt (*f*); qui etiam consensus expectandus, si aliquis Assistens indignum se præstaret eo loco. Suspensio autem ab executione Officij à Præposito Generali infligi posset (*g*).

e C. 7. D. 44.

f C. 1. D. 84.

g C. 1. D. 87.

Debent adesse Generali.

2. Debent semper adesse Generali, qui eos sinè gravi causa, vel necessitate, procul à se mittere non debet: si verò mittantur, non se excusare debent, sed obedire. Quod si Generalis, & non ad breve tempus, extra Urbem iret; ipsius erit decernere, an aliquos ex Assistentibus penes se habere debeat; aliquem tamen eorum secum, ùt socium, habebit (*h*). At si Pontifex vellet quempiam ex Assistentibus aliquò mittere; ùt plurimùm Ge-

h P. 8. c. 1. G. & P. 9. c. 5. §. 2. & A. & C. 1. D. 83.

ne-

neralis informabit Pontificem, ut dignetùr alium potiùs mittere (*i*). *i C. 1. D. 86.*

Nec alijs ministerijs distineri.

3. Quò meliùs officio sibi commisso vacare possint, non occupentur ministerijs, quibus ab officio suo avocentur: & si in ijs à Generali occupabuntur, impedimentum illi exponere debebunt, salvâ tamen obedientiâ. Ex eorum propterea numero non sit Vice-Præpositus, sive Minister Domus Professæ Romanæ: & expedit Societatis Secretarium ab eis esse distinctum. Si quid tamen temporis illis liberum fuerit, Prædicationi, Lectioni, Confessionibus audiendis, & alijs pijs operibus vacare poterunt (*l*).

l C. 1. D. 80. & 89. & C. 2. D. 74. & C. 4. D. 32. & R. Ass. 5. 6.

Habent suffragium consultivum, & aliquando decisivum apud Generalem, & Vicarium.

4. Sunt ordinarij Consiliarij Generalis in rebus gravibus; licèt alij etiam advocari ab eo possint ad Consultationem: statuendi tamen facultas penes unum Præpositum erit (*m*). Cùm verò sunt Assistentes Vicarij, apud ipsum habent jus suffragij decisivi in pluribus deliberationibus; nisi amplior potestas Vicario aliquando collata fuerit; ùt in Vicarij Officio explicabitur. Habent etiam apud Generalem suffragium decisivum in ijs omnibus, in quibus illud habent Provinciales extra Congregationem Generalem (*n*).

m P. 4. c. 11. §. 2. & P. 7. c. 2. §. 1. & P. 9. c. 3. K. & c. 6. §. 11. & C 5. D. 65.

n C. 4. D. 23. & C. 5. D. 16.

Quod jus in Congregationibus.

5, In ipsam Congregationem Generalem admittuntur æquè, ac Provinciales; nec ab ea excluduntur, qui in eadem officio suo defuncti sunt. Quin si contingat Generalem in ipsa Congregatione, aut paulò pòst decedere, nullo nominato Vicario, antiquissimus professione veterum Assistentiũ Congregationi præsidebit (*o*). Habent pariter jus suffragij in Congregatione Procuratorum (*p*); & ad electionem Vicarij, etiam seclusa Professionis antiquitate, si præsentes fuerint: non videntur autem præsentes, si cùm extra Provinciam Romanam obierit Generalis, ipsi Romæ tunc fuerint (*q*). At defuncti officio habent locum supra numerum in Congregationibus Provincialibus suæ Assistentiæ; si fortè per antiquitatem non haberent (*r*). Ad nullam verò ex ijsdem Congregationibus Provincialibus jus habent, cùm eodem funguntur munere (*s*).

o F. Con.Gen. §.5. & 53.& C. 1. D. 90. & C. 2. D. 3. & 20. & C. 4. D. 45. & C. 10. D. 15.

p C.2. D.19.& For.Con.Proc. §. 4.

q C.9. D.34.& C. 12. D. 54.

r C.9. D. 15. & F. Con. Prov. §. 8.

s Form. Con. Prov. §. 4.

Privilegia quoad epistolas, & suffragia.

6. Ipsorum literæ, Nostrorúmque vicissim ad illos referari non possunt ab ullo Superiore, Generali excepto (*t*). In obitu Assistentium præter suffragia ordinaria tria Sacra, & tres Coronæ in tota eorum Assistentia indicuntur; per reliquam verò So-

t C. 7. D. 14.

Societatem Sacrum unum, & una Corona (*u*). *u* C. 5. D. 25.

SECTIO IV.

Aſſiſtentium obligationes.

QUo pacto verò Aſſiſtentes officio ſuo fungi debeant, petendum eſt ex ipſorum Regulis, quæ mandato Congr. 3. Decr. 11. & 33. confectæ, poſtmodum approbatæ D. 48. Con. 4.

1. Debent æmulari virtutes, quas Conſtitutiones deſiderant in Generali, & in ipſis Congregatio 1. D. 80. Scientiam rerum pertinentium ad Inſtitutum parent. Declinent, quæ impedimento eſſe poſſunt functionibus impoſiti muneris (*x*). *Quid præſtare in ſe debeant.* *x* R. Aſſ. 1. 2. 5.

2. Erga Societatem fidelitatem ſervent, quam interpoſito juramento ſanxerunt; ùt ſuprà eſt dictum, ubi de Præpoſito Generali cap. 2. & juxta Conſt. P. 9. cap. 4. & cap. 5. & Dec. 28. 29. Con. 8. Ità ſuarum Provinciarum rem curent, ut publicam anteponant (*y*). *Erga Societatem.* *y* R. 3. 4.

3. Erga Generalem providentiam exerceant ſuperiùs explicatam. Singulari charitate, & humilitate cum illo agant; ejus auctoritatem apud omnes tueantur; & benevolentiam erga ipſum augeant. Suum *Erga Generalem.*

illi judicium ſubmittant, ubi quid ſtatuerit, vel ipſis priùs auditis, vel non; ùt aliquando poteſt. Curam corporis ejus non negligant, intenti ut laboribus, & rigori parcat, victúmque & veſtitum convenientem habeat. Si Summus Pontifex, aliorum relatu, adduci videretur, ut Præpoſitum mitteret, quò Societati non expediret, Aſſiſtentium erit quid incommodi ex ea Miſſione Societas acceptura ſit, fideliter repræſentare (z).

z P.7. c. 1. §. 2. & D. & P. 9. c. 4. §. 2.3.4.&c. & R. 7. 8. 9. & 19. 20.

Quomodo in negotijs ſe gerere debeant.

4. Literarum capita, quæ conſultatione egent, apud ſe bene perpendant, & conferant etiam invicem; ubi vel ad praxim, vel ad doctrinam aliquid altiorem poſtulat conſiderationem; ut facilior poſtmodum deliberatio apud Generalem ſit. Curent nihil prætermitti rerum tractandarum. Quæ ad Procuratorem Generalem pertinent, ità ad illum rejiciant, ut diligentiam tamen ejus exſtimulent, & illius literas ad ſuas Provincias legant. Rectam intentionem habeant in Conſultationibus, in ijſdem libertatis debitæ, ſed & modeſtiæ memores. Etiamſi non interrogentur, poterunt Superiori proponere, quæ in mentem venerint uſui futura. (a).

a P.9.c.6. §.10. & R. Aſſiſt. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

5. In-

5. Inter se verò Aſſiſtentes mutuam charitatem, & exiſtimationem foveant, atque honore ſe invicem præveniant. In Conſultatione ſi alter altèrius diſſolvere rationem debet, modeſtè ſe gerat; & negotijs Aſſiſtentiæ non ſuæ nè ſe immiſceat (*b*). *Quo pacto inter ſe.* *b* R. 17. & 21. 22.

6. Erga reliquas Societatis Perſonas caveant, nè Superiorum gubernationem impediant, ſed potiùs juvent. Secreti retinentes ſint, & ejus gratiâ literas, aliáque ſecreta ſcripta ità clauſa habeant, ut à nemine legi poſſint (*c*). *Et erga reliquos Societatis.* *c* R. Aſſiſt. 23. 24. 25.

APPENDIX

De alijs Aſſiſtentibus non neceſſariò adjungendis.

HIs Aſſiſtentibus, quorũ officium hactenus deſcriptum eſt, S. Fundator alios adjungendos cenſuit, numero prioribus pares, aut plures etiam, quando Societas latiùs ſpargeretur, auctoritate impares; utpote quibus non demandanda dicitur providentia Societatis erga Generalem; ſed qui potiſſimam partem conſilij obtinerent in ijs præſertim, quæ tam in doctrina, quàm in praxi altiorem conſiderationem poſtulant; eſſéntque propterea Viri literis, & alijs DEI donis clari (*d*). *Aſſiſtentes alius generis.* *d* P. 9. c. 6. §. 10. & F.

Cùm

Cùm tamen ijdem dicantur ab Assistentibus prioribus non esse necessariò distingvendi (*e*); usus etiam obtinuerit, ut nulli alij Assistentes dicantur, aut sint; & Regulæ citatæ Assistentium utriusque classis jura miscuerint; nihil de illis dicendum superest: nisi fortè malis aliqua ex parte id officium Revisoribus Romanis generalibus tribuere; quorum operâ in rebus ad doctrinam pertinentibus Præpositi Societatis non raró uti consveverunt; & de quibus actum est Parte 5. cap. 7.

e P.9. c.6. §.11.

CAPUT VII.

De Procuratore Generali.

1.

Officium, & dotes Procuratoris Generalis.

PRæter adjumenta memoriæ, & consilij, postulat Præpositus Generalis diligentem operam ad exequendum. Auxilium ad id præstabit Procurator Generalis, qui Romæ resideat, ac prudentia, fidelitate. ac dexteritate cum hominibus agendi, aliísque dotibus polleat, non sit tamen Professus (*a*). Dispensatum verò est à Congregtione XII. ut tunc quidem, necessitatis gratiâ, Professus constitueretur (*b*).

a P.9.c.3. §.16. & c.6. §.12.

b C. 12. D.29.

2. Ejus

2. Ejus electio pendet à Præposito Generali (c). Non debet habitare in Domibus Professis; nihilominus quando non tractat lites, vel ex necessitate, vel convenientia, ad tempus, id permissum est (d). Sublevandus & ipse est Ministris; alendúsque cum Socijs sumptibus Provinciarum (e). Habet jus ingrediendi Congregationem Provincialem supra numerum (f). Admittitur etiam ad Congregationem Generalem, post Præpositi electionem, & Assistentium (g): imò & ante utramque; si contingat non agi de Generali eligendo, sed de alijs negotijs: absque jure tamen passivo in electione Secretarij Congregationis, & Sociorum, atque etiam Deputatorum (h). Habet etiam jus suffragij extra Congregationem; quando agitur de dissolvenda aliqua Domo, aut Collegio, non obstante Decr. 23. C.4. (i) Non modò ejus Socij ab ipso pendent, ùt infrà dicetur; sed si qui fuerint Romæ Procuratores rerum particularium, vel etiam Provinciarum ab ipso dirigentur, prout Generali videbitur (l).

Ejusdem jura.

c P.9. c.3. §.16.

d P.9. c.6.§.12. & G.

e P.4. c.2.E. & C.4. D.38.

f C.8. D.48 & F. Con. Prov. §. 8.

g C.3.D.44.& For.Con.Gen. §. 60.

h C. 12. D.1.& C.13. D. 2.& 5.

i C. 4. D. 27.

l R. Proc. Gener. 3.

3. Quo pacto autem se gerere debeat Procurator Generalis in sui officij administratione, præscriptum est in ejus Regu-

Ejus obligationes quoad se, & negotia.

lis,

lis, quæ leguntur in Cod. Reg. p. 210.&c. Harum ſumma hæc eſt. Procurator Generalis curet ædificationi eſſe ijs, cum quibus aget: ſubſit in ijs, quæ ad ſuum officium non pertinent, Superioribus Domûs (*m*). Ad ipſum pertinet Forenſia omnia negotia dirigere; ſed nullum ex gravioribus ſinè approbatione Generalis aggredietur. Rationem dabit ſtatus eorum ijs, ad quos pertinent; oſtenſis ſuis literis ei Aſſiſtenti, de cujus Provincijs agitur. Conſulat juris peritiſſimos, & maximè idoneos Curiales adhibeat. Lites verò, quantum fieri poteſt, declinet (*n*).

m R. 19.

n R. 2. & 4. 5. 6. 7. 8.

Quoad pecuniam, & Scripturas.

4. In re pecuniaria adminiſtranda ſit accuratiſſimus. Habeat libros rationum, unde quotannis ſumma colligatur accepti, & expenſi, tranſmittenda ad eos, quorum intereſt: omníſque adminiſtrationis rationem reddet tertio quoque anno ei, quem Generalis deſignaverit. Pecuniam alicujus momenti reponat in arca ſub duplici clave; quarum alteram ipſe, alteram diverſam Socius habeat (*o*). Cuſtodiat diligenter ſcripturas omnes authenticas: emat Bullas, & Brevia, quæ in dies emanant. Literarum, quæ ſcribit, exempla in librum referat, ſummam etiam rerum agen-

o R. 9. & 12.

agendarum, confectarúmque (*p*). *p R. 13. 14. 15. 16. 17.*

5. Redigat Generali in memoriam petere à Summo Pontifice, quando expediet, confirmationem nostrorum Privilegiorũ; Provincijs, ut suppeditent pecunias pro ipsarum sumptibus, & Quindennijs tempestivè, si quæ ob beneficia unita solvenda sunt. Superintendat tum externis Officialibus, tum Socijs domesticis, ut officio fungantur suo: & hos quidem poterit foras mittere, recreationis causâ, & ob negotia sui muneris (*q*). *Erga Generalem, & reliquos.* *q R. 3. 10. & 18.*

6. Socij verò hujusmodi in ijs, quæ ad suum officium non pertinent, sub Vice-Præpositi, & Ministri domûs obedientia esse debent, quoad disciplinam domesticam spectat, & exceptâ recreationis causâ, ùt dictum est, ad alia quævis negotia, non ad Procuratorem pertinentia, si ipsis exeundum erit, non nisi de Vice-Præpositi licentia facient (*r*). *De ejus Socijs.* *r R. Proc. Gener. 3.*

CAPUT VIII.

De Admonitore Generalis.

1.

EXpositum superiùs est exercendam Providentiam Societatis erga Generalem, etiam in ijs, quæ spectant ad ipsius ani- *Ejus munus, & dotes.*

animam; constituendúmque propterea virum, qui hoc munus exerceat: ut si animadverteret Præpositum in his, quæ ad Personam, vel Officium suum pertinent, minùs bene agere, eum admoneret; unde & Admonitor dictus est (*a*). Is autem debet esse Professus quatuor Votorum, homo religiosis moribus, DEO in oratione familiaris, provectâ jam ætate, judicio maturo, in Instituto bene versatus, minimè credulus, aut timidus, nec futurus Generali ingratus, nec assentator; quem non repugnat esse unum ex Assistentibus (*b*).

a P. 9. C. 4. §. 4.

b C. 1. D. 81. & C. 2. D. 22. & C. 4. D. 15. & For. Con. Gen. §. 86.

Ejusdem jura.

2. Eligendus est autem à Societate ipsa ad plura medietate suffragia, præmissa de eo informatione, vel in Congregatione Generali, vel in casu diuturnæ, absentiæ, aut mortis, extra eam; ùt proximè dictũ est de Assistentibus: subrogatio autem alterius, ad brevem sic electi absentiam, potest fieri à Generali. Ad ejus electionem in Cõgregatione advocandi sunt Procurator Generalis, Secretarius Societatis, & Procuratores Provinciarum, qui adsunt (*c*). Durat autem ejus Officium usque ad novi Generalis electionem (*d*). Nam Generali vitâ functo, est Admonitor ejus Vicarij, quod

c P. 9. C. 4. §. 4. & C. 2. D. 22 & C. 3. D. 42. & C. 4. D. 24. & 48. & F. Con. Gen. §. 86. &c.

d C. 2. D. 35. & For. Con. Gen. §. 53.

quod si ipsemet fuerit Vicarius; eligendus est novus Admonitor à Vicario, consilio, & suffragijs Assistentium(*e*). Ejus literæ à nullo Superiore, præter Generalem, reserandæ sunt (*f*).

e Off. Vic. §.7.

f C.7. D.14.

3. In exercendo autem officio suo tria potissimùm advertere debet: 1. Motiva admonitionis: 2. Admonitionis modum: 3. Eam subsequentia. Quæ omnia complectuntur ejus Regulæ approbatæ Decr. 43. Con.4.

Obligationes, & 1. quando admonere debeat.

Circa primum. Quamvis non teneatur admonere Generalem de his, quæ illi proponenda duo, ùt minimùm, Assistentes non judicaverint: tamen eorum etiam, quæ à singulis Assistentium ei proposita fuerint, præcipuam habeat rationem. De ijs verò, quæ sive ipsi in mentem venerint, sive ab alijs suggerentur, tum demum Generalem admonebit; cùm præmissa oratione, ea non levis esse momenti in Domino judicaverit; sive illa ad Personam, sive ad Officium Præpositi pertineant (*g*).

g P.9. C.4. §.4. & C.1. D.2. & R. Adm. 1. & 4.

4. Circa secundum. Ea modestia, & humilitate officium suum obeat, ùt subditum decet erga Superiorem totius Societatis; nec minuere quidquam propterea debet interioris, aut exterioris reveren-

Quomodo præstanda admonitio.

h P. 9. c. 4. §. 4. & R. Admon. 2. 3.

tiæ, & obedientiæ, nec rurſus neceſſariæ libertati quidquam detrahere (*h*).

Quid agendum poſt admonitionem.

5. Circa tertium. Tacitus apud ſe contineat, quæ ſuggeſſit. Aſſiſtentibus tamen rationem impoſitæ ab ipſis admonitionis reddet; ceteris ſatìs erit ſignificare ſe propoſuiſſe: & universè caveat, nè occaſione ſui officij apud alios auctoritatem Generalis imminuat. Qui ſi admonitione non profecerit, ipſius erit iterum, ac ſæpius admonere (*i*).

i R. Admon. 5. 6. 7.

CAPUT IX.

De Vicario Generali.

SECTIO I.

Quando & quis Vicarius eligendus.

1.

Duplex occaſio eligendi Vicarium.

HActenus enumerati ſunt ordinarij adminiſtri, quibus Præpoſitus Generalis juvatur in Gubernatione universali Societatis: jam ſupereſt alius, licèt extraordinarius, ſummæ tamen auctoritatis, Vicarius ſcilicet; cui totius regendæ Societatis munus, vel vivo adhuc Præpoſito, vel eo mortuo, poteſt obtingere.

Vicarius vivente Generali.

2. Et vivo quidem 1. cùm Generalis ità morbo impeditur, ut tamen de ſanita-

te non desperandum videretur, sinè Congregatione Generali Vicarius per eundem Præpositum posset constitui; ut ipsius Officio, donec convalesceret; omninò fungeretur; & recuperata sanitate, concessa ei priùs facultas cessabit (*a*). 2. Si ægritudo in rebus magni momenti Generalem ab Officio suo avocet, spe emendationis ea in parte sublata, tunc Vicarius est eligendus ab ipsomet Præposito cum approbatione Provincialium (*b*). 3. Si Generali ejus opis indigo, nec providente, Societas Vicarium ei adjungeret (*c*).

a P. 9. c. 5. D.

b P.9.c.4. §.6.

c P.9. c.4. §.6. & c. 5. §. 6. & C. 8. D. 29.

Mortuo Generali.

3. At Generali mortuo Vicarij officium contingit 1. Si Generalis eum nominaverit, qui post mortem suam Vicarij potestate Societatem gubernet (*d*). 2. Si nullo per Generalem vitâ functum nominato Vicario, is eligatur ex præscripto formulæ (*e*).

d P.8. c.4. §.1. & C. 4. D. 20. 21.

e P. 8. c.4. §. 1. A. & For. Con. ad el. Vic.

Quis eligendo.

4. Certum est in omnibus prædictis casibus eligendum esse Professum quatuor Votorum (*f*). Et in locum demortui Generalis eligendus communiter ex his, qui adesse Præposito, & ipsum juvare soliti sunt; vel certè ex ijs, qui proximè degunt, & sunt in rebus Societatis versati (*g*).

f P 8. c. 4. §. 1. & c.3. A. & C. 1. D. 42. & C. 3. D. 21.

g P. 8. c.4. §.1. & F. Con. §.6.

SECTIO II.

De Vicarij Potestate.

1.

Generali superstite.

VIcarij autem potestas, superstite Generali, sed inutili, amissa spe convalescendi, si electus à Congregatione particulari ad eligendum Vicarium convocata, erit eadem, quæ Vicarij, mortuo Generali (*h*). Si verò, aut à Præposito Generali, cum approbatione Provincialium, aut à Congregatione ipsa Generali eligatur; erit eligentis Generalis, aut Societatis, ejus potestatem determinare (*i*); & an absoluta futura sit. Sed numquam usurpabit nomen Præpositi Generalis. (*l*).

h C. 8. D. 29.

i P. 9. C. 4. §. 6.

l P. 9. C. 5. §. 6.

Quid Vicarius post mortem Generalis præstare debeat circa ipsum.

2. At Vicarij, qui Generali mortuo substituitur, ad regendam Societatem, & cōvocandam Congregationem Generalem, ut novum Præpositum eligat, auctoritas, & obligationes explicantur in Officio Vicarij confecto, & approbato auctoritate Congregationum (*m*). Is igitur, ubi primùm declaratus est Vicarius, ab antiquissimo Assistentium debet accipere clavem scrinij Generalis; nec quidquam inde extrahere, nisi necessitas urgeat, & præsen-

m C. 1. D. 43. & C. 3. D. 33. & C. 4. D. 43.

ſentibus Secretario, & duobus Aſſiſtentibus (*n*). Statim pariter curabit, ut Miſſæ, & Orationes pro anima mortui Præpoſiti fiant (*o*).

n Off. Vic. §. 13.

o Off. Vic. §.2.

Ejus Auctoritas in genere.

3. Ceterùm ad hujuſmodi Vicarium ſpectat, Societatem univerſam gubernare, uſque ad novi Generalis electionem (*p*). Quare omnes Officiales ſubeſſe ei debent (*q*). Generatim verò, & exceptis enumerandis limitationibus, Vicarius Generalis habet omnẽ poteſtatem, & facultatem ad gubernandam Societatem: qua inſtructus eſt Præpoſitus Generalis: ac nominatim ad illius quoque intentionem dici debent Sacrum, & Corona, quæ ſingulis hebdomadis dicuntur ad intentionem Generalis (*r*).

p P.8. c.4. A.& C.1. D.43. &c.

q C.1. D.5. A. & C.2.D.12.A.

r C.10. D.8. & C. 12. D. 56. §. 4.

Gubernandi ratio.

4. Ratio Gubernationis eadẽ erit quæ demortui Præpoſiti; ad illiúſque ſenſum ſe componet, eum conjectando, ubi cõpertus non eſt (*s*). Res omnes graves, quæ differri poſſunt, ad novi Præpoſiti electionem differet (*t*). At univerſim res graviſſimas, quæ differri nequeunt, ſemper ad plura cum Aſſiſtentibus ſuffragia decernet: graviſſimæ autem cenſendæ, quas major pars, ipſo cum Aſſiſtente conſultante, graviſſimas judicabit: reliqua

s Off.Vic. §.6.

t Off. Vic. §. 8

minùs gravia consultabit cum ijsdem magis, quàm Generalis: literásque negotia continentes Assistentibus omnibus communicabit (u). Nullam verò Domum, Collegium, aut Universitatem instituet (x).

u Off. Vic. §. 12. & C. 7. D. 74.

x Off. Vic. §. 9.

Limitatio erga Officiales primarios.

5. Non potest mutare Assistentes, Admonitorem, Secretarium, Procuratorem Generalem, Præpositos, Rectores, Præfectos Probationum, & alios Officiales primarios, qui creantur à Generali, nisi fortè aliqui morerentur; & alij in locum illorum usque ad electionem Præpositi Generalis substituendi essent; vel aliquæ gravissimæ causæ intercederent; propter quas aliquis illorum ab officij executione tollendus, vel suspendendus videretur; & hoc quidem re cum Assistentibus communicata ad plura suffragia: quæ pariter adhibenda in electione Admonitoris; si fortè, qui fuerat Generalis Admonitor, in Vicarium electus est (y). Poterit etiam mutare Superiores quoscunque, quorum Generalis defunctus Successores nominaverit: si tamen ante obitum Generalis triennium regiminis expleverint (z).

y Off. Vic. § 7. & C. 1. D. 1. & C. 4. D. 58.

y C. 12. D. 30.

Alia in particulari, aut concessa, aut negata.

6. Habet facultatem celebrandi contractus, non tamen alienandi, aut venden-

dendi bona ſtabilia Societatis; niſi res ſit in evidentem utilitatem, & quæ moram non patiatur, & cum conſenſu Aſſiſtentium, ad plura ſuffragia (*a*). Quæ pariter ſequetur, ubi de mutandis Profeſſis ab una in aliam Provinciam ante Congregationes Provinciales, aut de Miſſionibus eorundem ad remotiores partes gravior aliqua dubitatio incideret; nam ob leviores cauſas mutare non poteſt (*b*). Poteſt admittere ad Profeſſionem, & Gradum eos, qui habent omnia ad id requiſita, nõ obſtante Dec. 3. Con. 4. (*c*), & dimittere è Societate Profeſſos, & Coadjutores formatos; ſed in cauſis graviſſimis, & ad plura cum Aſſiſtentibus ſuffragia (*d*).

a Off. Vic. §. 10. & C. 2. D. 53. & C. 4. D. 36.

b Off. Vic. §. 11.

c C. 12. D. 10.

d C. 8. D. 46.

Quid præſtare debeat in ordine ad Congregationem Generalem.

7. Altera verò pars Officij hujus Vicarij eſt Societatem ad electionem Præpoſiti, primo quoque tempore faciendam, convocare; ſtatueréque ad plura cum Aſſiſtentibus ſuffragia, an ad gravia negotia poſt electionem tractanda, præter duos Electores, in Congregationibus Provincialibus alios duos eligi oporteat, ad Congregationem Generalem venturos (*e*). Decreto loco, & die, Miſſas, & orationes pro felici electione indicat. Ubi Electores convenerint, eis referat, quæ facta

e P. 8. c. 3. §. 1. & A. & C. 2. D. 2. & C. 4. D. 35. & Off. Vic. §. 1. & 4. & F. Con. Prov. §. 32.

sunt post mortem Præpositi ad Congregationem pertinentia; & curet reliqua, quæ primis quinque capitibus Formulæ Cong. Gen. continentur (*f*). Ipse in Congregatione Generali, cui ante electionem præsidet, habet unum tantùm suffragium: sed cæteris paribus qualitatem præcedendi (*g*). Per electionem Præpositi cessat ejus Officium (*h*), non autem jus accedendi ad Congregationem Generalem; ubi sedet inter Provinciales, juxta antiquitatem suæ Professionis (*i*). In eventum mortis suæ non nominat successorem (*l*).

f Off. Vic. §. 3. 4. 5.

g P. 8. c. 3. §. 2. & C. 1. D. 4. A. & F. Con. Ge. §. 11.

h Off. Vic. §. 1.

i C. 3. D. 2.

l C. 3. D. 14.

PARS

PARS VII.

De Superioribus particularibus.

PRæter Ministros, quibus eget Præpositus Generalis ad res universales, & sui Officij proprias, de quibus hactenus dictum est, opus etiam habet Ministris, ad munera particularia obeunda. Quamquam enim per seipsum in illis aliquando versetur; nihilominus oportebit esse Præpositos inferiores, viros nempe selectos, & disciplinæ studiosos; quibus multum potestatis conferre, & hujusmodi res particulares ferè semper committere possit; illósque propterea suâ auctoritate foveat, ac defendat, remissos gravi pœnitentiâ correctos; & ante triennij finem, si opus est, exauctoratos in ordinem redigat (*a*). Ejus autem crebrior communicatio inter Præpositos inferiores cum

Quàm necessarij sint hujusmodi Superiores, & quomodo à Generali in officio continendi.

a P. 9. c. 6. §. 2. & 6. & P. 10. §. 8. & C. 6. D. 37. §. 7. & G. 9. D. 26. & In. 18. §. 11. & Cl. c. 2. tit. 2. §. 4.

Provincialibus erit; quos probatæ Fidei constituat, ut qui intelligit ex his, & localibus bonam gubernationem Societatis pendere. Nam ferè quales Superiores fuerint, tales & eorum subditi erunt (*b*).

b P.9. c.6. §. 2. & 6. & P. 10. § 8. & Or.c.17. p. 1. §. 1.

CAPUT I.

De Provincialibus.

SECTIO I.

Provincialium Electio, Substitutio, Cessatio.

1.

Provincialium Dotes.

SI Superiores omnes accedere oportet ad dotes Præpositi Generalis, id potissimum Provincialibus convenit (*c*). Et præterea necessariò debent esse quatuor Votorum Professi (*d*).

c P. 9. c. 6. 1.

d P.8. c 3. A.& C. 3. D. 21.

Electio, & Substitutio in casu mortis.

2. Jam dictum est P. 6. c. 1. sect. 3. Provincialium electionem pendere à Generali. Et quamquam Paulus III. concesserit, decedente in Indijs Provinciali, alium ibi substitui, donec à Generali novus mittatur (*e*), hoc privilegio minimè utendum, sed servandum quod pro Europæ Provincijs, in casu mortis, decretum est (*f*). Si enim nullo Successore in ea Provincia nominato, nec ipse Provincialis mo-

e Paulus III. pag. 51.

f Comp. V. Prov.

moriens aliquem Vice-Provincialem designaverit, tunc Præpositus (non autem Vice-Præpositus Domus Professæ) vel si plures sint Domûs Professæ, antiquissimus Professorum ex Præpositis, sit Vice-Provincialis, donec Generalis provideat. Quod si nulla in ea Provincia sit Domus Professa, succedat in Vice-Provincialem Rector (non Vice-Rector) maximi Collegij, si Professus quatuor Votorum sit; aut si ille non fuerit talis Professus, sit antiquissimus similium Professorum ex cæteris Rectoribus. Si verò contingat nullum quatuor Votorum Professum esse Rectorem; sit nihilominus antiquissimus Professus quatuor Votorum Provinciæ tantisper Vice-Provincialis, quoad Generalis, aut Vicarius alium nominaverit (g).

g C.4.D.56. & C.9. D.35. & C.13.D.12.

Quid agendum in Europæ Provincijs remotioribus Provinciali inutili.

3. At quando Provincialis propter ægritudinem, vel alia de causa, inutilis ad gubernandam Provinciam redditus, Vice-Provincialem constituere, aut negat, aut nequit; si omnium Consultorum consensu, vel etiam trium (quarto scilicet excluso, qui de jure succedere deberet, si is Consultor sit) certò, ac sinè dubitatione Provincialis factus incapax omninò judicetur; in Provincijs Europæ extra Italiam,

&

& insulas Italiæ adjacentes constitutis, Provincia regenda est ab eo, cui mortuo Provinciali de jure id competit, donec à P. N. responsum habeatur. Quod si Consultores Provinciæ, aut eorum aliqui fortè præsentes non adsint, ubi Provincialis tunc versatur; sinceram ad eos de statu Provincialis informationem mittant Provincialis Socius, & ejus loci Superior, in quo tunc Provincialis reperitur; ut ex ea Consultores judicium ferant (*h*).

h C. 9. D. 11.

Quid in Indijs.

4. Cujus consultationis formula, ubi simile quid incidit, servanda etiam in Indijs, aucto tamen numero usque ad septenarium; quem explebunt, præter Consultores, antiquiores Professi præsentes, aut viciniores; quos omnes Socius Provincialis, si præsens aderit, aut eo absente, Professorum præsentium antiquissimus monere debebit: & ex septem illis, quinque saltèm, Provincialem prorsus esse inutilem judicare debebunt, antequam de Successore cogitent. Si verò Provincialis judicatus fuerit ad munus exercendum inutilis; Judices aperiant literas, quibus cõtinetur nominatio sequentis Provincialis, & succedat qui in illis nominatus fuerit. At si nullæ fortè tales literæ habeantur, suc-

succedat qui de jure in Europa succedere debet, juxta Decr. 56. Congr. 4. Si tamen ea Provincia Visitatorem habuerit; ille, auditis Consultoribus, de tota re judicet, & de Successore, via in Indijs ordinatia, provideat.

5. Si rursus Visitator Indicus (est enim ordinarius alicubi Magistratus) redditus esset inutilis; fiat Consultatio, quæ de Provinciali instituenda est; & Provinvincialis, in cujus Provincia Visitator tunc fuerit, intrà numerum septenarium continebitur; nisi fortè longissimè abesset, & periculum esset in mora, erítque Provincialis monere ceteros: non habebit tamen in eo judicio nisi suffragium, ùt ceteri: & si quinque judicent Visitatorem factum esse prorsus ad suum munus exercendum inutilem, aperiantur literæ (ùt de Provinciali dictum est) succedátque, qui posteriore loco nominatus fuerit Visitator; at non extantibus hisce literis, tunc munus Visitatoris cesset omninò, etiam in reliquis Provincijs, si plurium ille Visitator fuerat; nam judicio unius tenentur omnes aquiescere (i). *Quid cum Visitatore Indico.*

i C. 9. D. 40.

6. Tempus Regiminis Provincialium erit triennium, ùt plurimùm: quamvis *Quamdiu duret Provincialium regimen.*

&

& contrahi, & prorogari etiam id ſpatium temporis poſſit. Illúdque ex definito plerumque ſpatio temporis commodi accedit; ut ſinè nota, curſu triennij peracto, removeri poſſint, qui ſe parum idoneos oſtendiſſent (*l*). Sed nè ulli Provinciali triennium prorogaretur, quin & à Magiſtratu quolibet per annum à dimiſſo officio vacarent ſinguli, & obedirent ſicut ceteri, vivæ vocis Oraculo juſſit Clemens VIII. (*m*). Quod tamen mandatum idem Clemens varijs modis mitigavit, & Paulus V. & Alexander VII. omninò abrogarunt (*n*).

l P.9.c.3.§.14. & I.

m C.5. D.64.

n Paul. V. pag. 312. & Alex. VII. in appen. pag. 72.

Quid agendum cum recuſantibus, ſi Generalis obierit.

7. Si contingat eos qui nominati ſunt Superiores à Generali defuncto, nondum intellecta ipſius morte, munus injunctum deprecari; cenſuit Congregatio à Vicario, & Aſſiſtentibus ità audiendos, ut ſi probentur eorum rationes, nominati nullo Superiorum privilegio fruantur, ſed maneant in ſtatu priſtino, donec ab electo Generali, vel confirmetur nominatio, vel mutetur (*o*).

o C. 10. D. 9.

SECTIO II.

Provincialium facultates in genere.

1.

Poteſtas Provincialium alia

PRovincialium poteſtas pendet à Generali, ùt dictum eſt; eáque alia ordina-

naria, & ex æquo omnibus conferenda; alia extraordinaria, communicanda pro ratione loci, temporis, & personarum. Utramque certò constare voluit Con. 2. Dec. 10. jamque ordinaria patet potissimùm ex Provincialis Regulis, & Compendio Privil(*p*). Extraordinaria verò à Generali determinanda.

ordinaria, alia extraordinaria.

p R. Prov. 8.

2. Sed in universum expedit, ut Provincialibus ampla auctoritas conferri possit, & in aliquibus etiam conferatur (*q*). Et potest quidem Generalis communicare ijsdem facultatem constituendi Præpositos locales, & Rectores, reservata sibi facultate eosdem confirmandi, vel removendi (*r*). Potest etiam ijsdem tribuere facultatem admittendi ad quemcunque gradum, etiam Professorum(*s*).

Ampla sit, & nonnulla indicantur, ad quæ posset extendi.

q P. 2. c. 1. §. 2. & P. 9. c. 6. §. 2. & P. 10. §. 8.

r P. 4. c. 10. §. 3. & c. 17. §. 1. & P. 9. c. 3. §. 15.

s P. 5. c. 1. §. 2. & c. 2. §. 4. 5. & A. B. C. & P. 9. c. 3. A.

3. Circa Privilegia Apostolica Provinciales nō modò habent omnes facultates, quæ in Compendio facultatum Societatis ipsis conceduntur, sed tum ipsi, tum Visitatores, ubi est periculum in mora, ità ut Generalis responsum expectari nequeat, possunt uti etiam ijs Privilegijs, quæ necessaria sunt; & licèt non inserta nostro Compendio, tamen aliqua communicatione Societati nostræ competunt (*t*).

Quatenus illis communicata sint Privilegia Societati concessa.

t R. Prov. 8. & Præfatio Cōp. Privil. Soc.

4. Ad

Et facultates inferiorum, sed cum aliqua limitatione.

u R. Prov. 9.

4. Ad Provincialem quoque pertinent omnes facultates eorum Superiorum, qui ipsi subordinati sunt; quæ ab ipso suspendi poterunt (*u*). Unde consequens est habere facultatem faciendi contractus in bonum Provinciæ, vel Collegiorum, aut Residentiarum in suis Provincijs. At quãvis id validè possit, nullo tamen modo facere debet, contradicente, aut etiam inconsulto Superiore locali; nisi urgens necessitas contrarium svaderet; in quo casu monere debebit Generalem, quas ob causas id fecerit (*x*).

x C. 8. D. 54.

Quomodo perseverent, aut cessent Privilegia, & mandata ab ijs profecta.

5. Porrò facultates, & Privilegia quæcunque à Superioribus concessa, morte illorum, vel munerum abdicatione, non cessant. Sed illi, qui Superiorum, maximéque Provincialium munus ineunt, tenentur, ùt primùm commodum illis fuerit, præsentes, & coràm monere Subditos, ut privilegia & facultates à Prædecessoribus concessas aperiant, ut eas ipsi vel confirment, vel abrogent. Qua facta denunciatione, si illas Subditi non aperiant, de facto pro abrogatis habendæ. Idémque judicium esto de facultatibus à Visitatoribus concessis; quas etiam Subditi rogati Provinciali indicare tenebuntur:

tur: licèt non possint eas Provinciales, nisi Generali admonito, revocare (*y*). Quæcunque pariter præcepta Personis particularibus imposita perseverant; donec à Successore revocentur (*z*). Responsa, & Ordinationes P. N. alijs Provincijs data, allatáque à Procuratoribus in suam Provinciam, ità in hac vim habebunt, si Provincialis, auditis Consultoribus, judicaverit expedire (*a*).

y C. 7. D. 36.

z C. 9. D. 12.

a Form. Cong. Proc. §. 16.

SECTIO III.

Facultates Provincialium spectantes ad ipsorum Personas.

I.

FAcultates Provincialibus concessæ in particulari, aut magis directè ad ipsorum Personas referuntur, aut ad alios. Primi generis sunt: 1. Provincialis ali debet expensis ejus Domûs, vel Collegij, ubi est: & quando iter agit, expensas facient ij, quibus erit bono illud iter; modò pro Societatis negotijs susceptum sit (*b*). In ijs verò locis diutiùs versabitur, ex quo cum Subditis, & cum Generali crebra communicatione literarum uti possit (*c*). Nec discedet à sua Provincia absq; Generalis facultate, nisi loc, esset vicinus, aut

Quorum expensis Provincialis alatur, & de ejus habitatione, Socio, Confessario, &c.

b C. 2. D. 82.

c P. 8. c. 1. §. 7. & I.

ſinè gravi incommodo ejus reſponſum ex-
d R. Prov. 105. pectari non poſſet (*d*). Debet ſuum locum in menſa alijs Provincialibus hoſpitibus deferre: atque hi exhibitam urbani-
e C.9. Act. 60. tatem admittere nè gravētur (*e*). Illi conceſſus eſt, dum alijs negaretur, certus Co-
f C.7. D. 29. adjutor temporalis, qui ei pro Socio ſit (*f*). Alium, & Socium habet Sacerdotem à Generali conſtitutum; qui ſit ejus Admonitor, & à Reſervatis eum poſſit abſolvere. Idem ſemel quotannis certiorem faciet Generalem, quemadmodum ſuas re-
g P.9. c.4. §.4. & C. 8. D. 25. §. 3. & R.Prov. 11. & Ord. c. 1. §.10. & Cl. c.3. tit. 2. §. 3. gulas obſervet Provincialis; ceteráſq; Ordinationes executioni mandandas curet, & ùt fructuosè ſe gerat in obeunda Provincia (*g*). De Admonitoris officio diſtinctiùs agetur infrà cap. 4. ſect. 3. Quicunque autem Provinciali ſit Confeſſarius cum eo poteſt diſpenſare in ijs, in qui-
h Or. c.1. §.22. bus Superiores cum ſuis ſubditis (*h*). Si velit aliquid typis edere, id non faciet,
i R. Rev. 15. niſi conſulto priùs Generali, ſervatóque, quem ille præſcripſerit, ordine (*i*).

Officium perſeverat mortuo Generali, & poſt indictam Congregationē.

2. Non expirat ejus poteſtas per mor-
l C. 1. D. 1. tem Generalis (*l*). Nec licet Generali ejus Officium mutare poſt indictam quamcunque Congregationem Generalem, uſque ad hujus diſſolutionem (*m*). In ordine

m C. 1. D. 1. & C. 4. D. 58. & C. 5. D. 20. & 23. & C. 7. D. 66. & C.12. D.32. & Fo.Con.Gen. §.58.

dine ad hunc effectum impediendi mutationem, tunc Congregatio decreta censeri debet; quando à Generali certum tempus illi celebrandæ indicitur. A die igitur hujus indictionis non potest Generalis mutare Provincialem; nisi in certis casibus, in quibus potest, & ipse Vicarius (*n*). Quod si literæ designantes novum Provincialem missæ sint ante indictam Congregationem Generalem; sed non pervenerint in Provinciam, nisi post illius indictionem; perinde sortiuntur effectum suum; nisi ante indictam Congregationem antiquus Provincialis triennium non explevisset, & constaret Generalem non voluisse illum ante tempus exauctorare (*o*).

n C. 12. D. 30.

o C. 12. D. 30. & C. 13. D. 21.

In absentia, aut morte Vice-Provincialem nominat.

3. In absentia, vel in periculo vitæ, aut in graviore, & longiore morbo constitutus potest nominare Vice-Provincialem, si Generalis neminem designâsset (*p*). Nominatio autem non potest cadere nisi in quatuor Votorum Professum (*q*).

p R. Prov. 10.

q C. 4. D. 56. & C. 13. D. 12.

Iura utriusq;.

4. Quando verò contingit Provincialem à sua Provincia abesse, constituto Vice-Provinciali, ille retinet eandem jurisdictionem, quam præsens habet (*r*).

r C. 12. D. 53.

Suffragia Pro-

5. Pro mortuo Provinciali unum Sa-

vincialis vitâ functi. crum, & una Corona indicitur in ijs Pro-
s C. 9. D. 21. vincijs, quas gubernavit (*s*).

Jam facultates, quæ ad alios referuntur, nè eadem ſæpius repetantur, ſequentibus Sectionibus reddentur, unáque jungentur tum auctoritas Provincialium, tum obligationes eorumdem, ſervato titulorum ordine, quo Provincialis Regulæ digeruntur; à quibus potiſſimùm omnia derivanda ſunt.

SECTIO IV.

Quo pacto Provincialis Subditos regere debeat, & agere cum Conſultoribus.

1.

Virtutes præſtandæ in Gubernatione. QUæ Superioribus localibus circa eorum Perſonas in Regulis præſcribuntur, eò diligentiùs Provincialis curet, quò pluribus vitæ ſpiritualis ſtudio præire debet. Eum ſibi finem præfigere debet, ut Provinciam ad acquirendam Inſtituti perfectionem promoveat; ídque exemplo magìs, quàm verbo. Imitetur manſvetudinem, & gubernationem Chriſti Domini; Severitatem tamen ſuo tempore admiſceat: Auctoritatem per ſolidas virtutes tueatur, dilectionem, & curam ſuorum præferendo, & præcipiendo modeſtè, ac

ac circumſpectè; ità amabilem ſe reddat, ut omnes ad illum fidenter recurrant, ſolicitè animum ad gubernationem applicet; ſic tamen ut in ſtudio orationis non intepeſcat. Societatis Miniſteria, ſi per occupationes officij ſui licebit, obire poterit (t).

t R. Prov. 1. 2. 3.4.5 Paul. III. pag. 12. & Jul. III. p. 64. & P. 4. c. 10. §. 4.

2. Nullas Regulas, aut Ordinationes, aut Conſvetudines toti Provinciæ communes abroget; aut novas inducat, inconſulto Generali. Sed in illis, & in ipſis etiam Decretis, & Conſtitutionibus poteſt cum particularibus diſpenſare. Cujus diſpenſationis in rebus gravibus certior fiat Generalis; ſi ad diſpenſandum, ùt oportuiſſet, ejus reſponſum expectari non potuit (u). Et præterea in diſpenſando animum advertet ad ea ſervanda; quæ in gratiam Executionis præſcripta ſunt; & commodiùs infrà cap. 6. §. 5. recitabuntur.

Non poteſt derogare Regulis, diſpenſare in particulari poteſt.

u P. 9. c. 3. §. 8. & D. & Reg. Prov. 6. 7.

3. Habeat quatuor Conſultores à Generali deſignatos in ijs locis, ubi frequentiùs reſidet; quorum unus erit ejus Admonitor, & Socius, ùt ſuprà dictum eſt: quamvis in ſingulis Domibus, vel Collegijs uti poterit operâ Superioris, & ejus Conſultorum. Poterit alios etiam ad conſul-

Habeat Conſultores, & ex his Admonitorem, & Socium.

x P. 9. c. 6. §. 14. & I. & R. 11. 12. & Cl. c. 2. tit. 2. §. 3.

ſultationes nonnunquam vocare, vel abſentes conſulere (*x*).

Quomodo cum illis agere debet.

4. Conſultoribus autem communicet literas, & ſcripta, quæ pertinent ad rem, de qua Conſultatio habenda eſt. Quibus etiam, & Superioribus ſuæ Provinciæ manifeſtari faciat Ordinationes communes, quas accepit à Generali: háſque præterea, ſi alicujus momenti fuerint, in libro ad id deſignato deſcribendas curet. In proponenda deliberationis materia in neutram partem animi ſui propenſionem oſtendat (*y*). Si quando aliquid occurrerit, de quo non liceat cum Conſultoribus agere, poterit juxta primum, & ſecundum modum in Exercitijs ad electionem faciendam traditum, quid agendum ſit, deliberare (*z*). Libenter ſe ab alijs admoneri patiatur; & ab eo præcipuè, qui officio Admonitoris apud eum fungitur (*a*). Conſultationémque habeat, principio cujuſque menſis cũ ijſdem de Diſciplina totius Provinciæ; ubi exquirendum; quid de ea audiatur; quid Rectores, & eorum Conſultores ad ipſum ſcripſerint (*b*).

y R. 13. 14. 15.

z Reg. 16.

a Reg. 17.

b C. 6. D. 36. §. 6. 7. & Or. c. 1. §. 23. & In. 18. §. 6.

Conſultorum Provincialis obligationes, & Iura.

5. Conſultores verò Provincialis (præter ea quæ præſcribuntur omnibus Conſultoribus in ipſorum Regulis in Cod. Regul.

gul. pag. 154. & de quibus infrà cap. 4. ſect. 2.) hoc peculiare habent, I. ut non obſtante §. 6. In. 18. debeant tantùm bis in anno, menſe Januario, & Julio ad Generalem ſcribere, niſi res aliqua majorem frequentiam poſceret: exponent autem, quid ſibi in Domino videatur de Provinciali, ejus adminiſtratione, & rerum ſtatu (*c*). II. Ad eundem Præpoſitum ſcribent, utrùm exactè ſervetur Inſtructio de Ordinandis, quæ habetur cap. 5. Ordin: (*d*), & quæ præſcribuntur de Collationibus Caſuum conſcientiæ habendis in Dec. 17. Congr. 13. & num principio cujuſque menſis Provincialis inſtituerit Conſultationes de totius Provinciæ diſciplina, & quo fructu (*e*). Præterea eidem Præpoſito ſignificabunt judicium ſuum de aptis ad gubernandum (*f*), & de promovendis ad Gradum (*g*). III. Habent jus ſuffragij deciſivi, ſi adſint Provinciali, in conſultatione prævia ad Congregationem Provincialem, ſuper impedimentis eorum, qui ad eandem Congregationem accedere debuiſſent (*h*). IV. At extra Italiam, & Inſulas adjacentes, ſimili jure voti deciſivi gaudent, ad ſtatuendum, an Provincialis planè inutilis redditus ſit ad gu-

c R. Conſ. 10. & Form. Scrib. R. 20. 21. & C. 7. D. 91. & Or. c. 10. §. 3.

d In. 1. §. 1.

e C. 6. D. 36. §. 6. & Cl. c. 2. tit. 2. §. 3.

f Or. c. 17. p. 5. §. 5. & Or. c. 18. par. 6.

g Or. 18. p. 1. §. 10. & p. 5. §. 6. & p. 6.

h Form. Con. Prov. §. 10. & C. 7. D. 48.

bernandam Provinciam; & in Indijs etiam ad deliberandum de simili impedimento Visitatoris (*i*). Ac demum in Europa; cùm, auditâ morte Generalis, mittendus videretur extra Provinciam aliquis; cui jus suffragij esset in Congregatione Provinciali (*l*). Atque hæc satis de Consultoribus Provincialis.

i C. 9. D. 11. & 40.

l R. Prov. 113.

Constitutiones, Decreta &c. Provincialis apud se habeat.

6. Ipse verò habeat secum literas Apostolicas authenticas, & Compendium facultatum Societatis, Constitutiones, Decreta, Regulas omnes, & quæ à Generali ordinantur, eáque bene intelligat, & observari faciat (*m*). In loco, in quo diutiùs ei residendum est, habebit Archivium, in quo asservabit, quæ ad suum officium, & communem usum Provinciæ pertinent, quæ omnia ex Catalogo à se subscripto Successori tradet (*n*). Habeat præterea libellum, in quem referat, quæ agenda, aut scribenda sunt (*o*).

m Reg. 18.

n R. 19.

o R. 20.

Orationes indicere potest.

7. Orationes, & Missas indicere poterit; sed modum in his non excedat (*p*).

p R. 21. & P. 7. c. 2. M.

SE-

SECTIO V.

Provincialis jura, & obligationes erga sibi subordinatos Superiores, & eorum Officiales.

1.

ETsi non potest Præpositos Domorum, & Rectores Collegiorum, & Domorum Probationis suæ Provinciæ constituere: si tamen necesse esset aliquando mutationem facere Superioris alicujus, & periculum esset in mora, vel si is moreretur; poterit aliquem, qui vices Superioris gerat, interim constituere, donec Generalis admonitus provideat. Ministros autem, & Procuratores ipse designabit, atque etiam Subministros, & Præfectos Sanitatis (*q*).

Quando Superiorem constituere possit.

q R. 22. & P. 9. c. 3. §. 14.

2. Ejusdem erit constituere Magistros Novitiorum in locis Probationis non separatis, sed à Generali confirmandos (*r*); designabítque Præfectos rerum spiritualium, Viros selectos juxta In. 10. itémque ordinarios nostrorum Confessarios (*s*). Consultores etiam, & Admonitores eorum, qui præsunt in Provincia; atque illi suo munere fungi statim poterunt, licèt confirmandi à Generali (*t*).

Et reliquos Officiales.

r R. 23.

s R. 24.

t R. 25.

Tum Prædicatores, Confessarios, Magistros.

u R. 26. & C. 2. D. 62. & C. 13. D. 16.

3. Prædicatores, & Confessarios idem constituet, præmisso tamen domestico examine, & approbatione Ordinariorum juxta formam Concilij Tridentini (u). Lectores ordinarios in omnibus classibus, & primarios Officiales (præter Rectorem, & Cancellarium) in Universitatibus deligat; novas tamen lectiones non addat, nec Scholas usquam ullas, & præsertim eas, in quibus pueri legendo, & scribendo instituantur; quod nec privatim licebit, sinè facultate Generalis (x).

x P. 4. c. 6. F. & c. 7. A. & c. 12. C. & R. Prov. 27. & St. Prov. 2.

Crebra literarum communicatio.

y P. 8. c. 1. §. 4. & 9. & P. 9. c. 6. §. 2. & Form. Scrib. §. 1. &c.

z P. 8. c. 1. L. & C. 2. D. 53. & For. Scrib. §. 2. & 5. 6.

4. Crebra intercedat inter ipsum, & inferiores literarum communicatio, & hi juxta ejus arbitrium in omnibus se gerant (y). Et quamvis Superiores locales, & qui in Missionibus versantur, debeant scribere ad Provincialem singulis hebdomadis; ipse tamen ad eosdem non nisi singulis mensibus (z).

Defendat Superiorum auctoritatem.

a P. 2. c. 1. §. 2. & P. 4. c. 10. §. 4. & P. 8. c. 1. §. 4. & 6. & R. Prov. 28.

5. Tueatur auctoritatem Superiorum immediatorũ in subditos; ità tamen ut constet posse omnes ad mediatos recurrere: ideò quidquid agendum erit, quod ad im̃ediatorũ officium pertineat, per eosdem fieri curabit (a); nec ab eorum obedientia quemquam eximat, inconsulto Generali, nisi periculũ esset in mora; & tunc certio-

rem

rem faciat Generalem de Perſona, & cauſis, propter quas eam exemerit (*b*).

b P.8. c 1. D.& E. & R. Prov. 31.

Media ad eorundem conſtantiam ſovendam.

6. Et quia magni momenti eſt ad tuendam diſciplinam, & executionem urgendam Superiorum immeditatorum fortitudo, & conſtantia; ad eam fovendam Provincialis 1. amanter cum illis agat, oſtendátque ſe de illorum bono ſucceſſu, & auctoritate tuenda eſſe ſolicitum. 2. Examinet diligenter ſubditorum querelas adverſùs Superioris rigorem; nè fortè exiſtiment rigorem eſſe exigere à Subditis exactam obſervationem Regularum. Nec minùs examinetur, quid cauſæ ſit, cur de multis Superioribus non audiantur Subditorum querelæ; an quia ſalvâ diſciplinâ ſvaves, an quia remiſſi, quòd pacificè vivere velint. 3. Non ſit facilis credendo delationibus contra eoſdem. 4. Curet, ut omnes intelligant unam omnium Superiorum mentem eſſe, ad executionem urgendam; neque recurſus in hac parte prodeſſe. 5. Urgeat executionem apud Superiores immediatos. 6. Non permittat Regularum tranſgreſſores impunitos abire, etiamſi antiquiôres ſint, & bene meriti: & eadem diſciplina communis ſit ipſis Superioribus, ſi ſuo officio deſint. 7. Ante

Ante suum è Collegijs discessum curet executioni mandari ea, quæ certò à Regula præscribuntur, & prætermissa sunt: quod si aliud tempus postulant, notet in Memoriali: & negligentes in executione Rectores etiam à tali onere liberentur (c).

c C.6. D. 37. & C. 9. D. 26. & In. 18. §. 3. & 11. & Cl. c. 2. tit. 2. §. 4.

De idoneis ad gubernandum, alia Ministeria.

7. Quos ad gubernationem idoneos judicaverit, aptis experimentis exerceat, & universim curet singulorum talentis Ministeria congruere (d).

d R. 29. 30. & R. Visit. 24. & 26. 27. & 40. &c. & Or. c. 17. p. 1. §. 2. 3. &c. & In. 21. §. 4.

SECTIO VI.

Provincialis jura & obligationes erga admittendos in Societatem.

1.

Quos admittere possit.

POtest admittere ad probationem vel per se, vel per alios: caveat tamen in admissionibus justas Externorum offensiones; excludat ineptam turbam; & ad Examinatorum regulas omnia exigat (e). Circa dimissos recipiendos observet Constitutiones (f).

e P. 1. c. 1. & P. 10. §. 7. & R. 32. 33. 34.

f R. 46.

Quid aget cum impeditis.

2. Ubi dubium incidat de impedimẽtis indispensabilibus, Generalem consulat: ad quem etiam referet, si admitti cupiens spem magnam sui faceret; sed aliquo hujusmodi impedimento detineretur (g).

g Ex. c. 2. D. & P. 1. c. 3. G. & R. 35.

3. In

3. In impedimentis secundarijs dispensandi facultatem habebit; præterquam in deformitate magna; aut defectu insigni (qualem habent Eunuchi) & in ætate infra 15. & ultra 50. expletos annos; & in conjugatis etiam, in casu, in quo non est impedimentum essentiale (*h*).

Quando dispensare cum illis possit.

h P. 1. c. 3. & R. Prov. 36.

4. Poterit dispensare cum Novitijs in sex experimentis, & in secundo anno circa studia, ídque ex commissione Generalis; sed non in contrahendo biennio probationis, licèt illud prorogare possit (*i*).

Et cum Novitijs circa Probationes.

i Ex. c. 4. §. 9. & 43. & P. 5. c. 1. C. & Co. 2. D. 14. & C. 5. D. 12 13. & 63. & R. 37. 38.

5. Coadjutores temporales non plures admittendi, quàm necessitas eorum ministerij postulat (*l*).

Coadjutores parcè admittendi.

l P. 1. c. 2. §. 2. & A. & P. 3. c. 2. §. 7. & H. & P. 4. c. 3. §. 2. & c. 10. §. 6. 7. & H. & C. 1. D. 103. & R. Prov. 39. & In. 6. §. 4.

SECTIO VII.

Provincialis jura, & obligationes erga dimittendos.

1.

FAcultatem habet dimittendi eos, qui in prima, & secunda probatione, ante, & post emissa vota Devotionis versantur; nisi à Præposito Generali in illius Provinciam destinati, aut de Societate ipsa tam bene meriti essent, ut eorum particularis ratio habenda videretur: excipiuntur

Quos possit dimittere.

tamen graves, & urgentes casus; in quibus etiam tantummodò poterit dimittere Scholasticos approbatos, & Coadjutores non formatos; at formatos, & Professos nunquam; nisi fortè in locis remotissimis id concedendum judicasset Generalis(*m*).

m P. 2. c. 1. C. & R. 40. 41. & 43.

Monendus Generalis de dimissis, & dimittendis.

2. Si qui tamen horum exceptorum, dimissus est, Generalis admonendus; cui etiam tempestivè referendum de ijs, qui parum idonei Societati deprehenduntur (*n*).

n R. 40. 41.

Servanda in dimissione.

3. In dimittendo præmittat consultationem, & tentet alia remedia ante hoc extremum (*o*): obsérvétque Constitutiones Par. 2. cap. 3. aliáque relata superiùs P. 4. c. 7. (*p*).

o R. 42.

p R. 44. 45. 46

SECTIO VIII.

Provincialis jura, & obligationes circa literarum studia.

I.

Litterarũ studia Provinciali commendãtur.

PRovincialis est omni studio curare, ut in hoc Societatis Ministerio, quod unum est ex primarijs, nihil prætermittatur ex ijs, quæ in 4. Part. Constit. Regulis, & Ratione studiorum habentur (*q*).

q R. Prov. 48. & St. 1. & 38. & In. 21. §. 2.

Et Scholasticorum pietas.

2. Sibi præcipuè commendata putet, quæ in Magistrorum Regulis ad pietatem, & doctrinam Christianam faciunt. Libros bo-

bonis moribus noxios procul arceat; Confessarios plures pro externis Scholasticis designari curet (*r*).

3. Ipsius prudentiæ relinquitur suis Nostros studijs literarum addicere, ac ab ijsdem removere (*s*). Constituet idoneos, & eruditos Professores, pro ratione loci: nullum verò Lectorem adjiciet inconsulto Generali (*t*). Sacræ Scripturæ explicandæ viros lingvarum peritia, Theologia Scholastica, ceterísque scientijs, & eruditione excultos eligat. In primis meminerit, non esse ad cathedras Theologicas promovendos, nisi qui erga S. Thomam bene affecti fuerint (*u*). Professores ad novitates pronos à docendi munere removeat; curétque ut solida doctrina ubique tradatur, omissis inutilibus quæstionibus (*x*). Literarum humaniorum Professorum peculiarem curam habebit (*y*). Eximijs talentis præditos non distineat in habendis inferioribus Scholis (*z*).

4. Provincialis in virtute sanctæ Obedientiæ tenetur non permittere, ut in sua Provincia à Nostris quidquam evulgetur de Potestate Pontificis supra Principes, aut de Tyrannicidio, nisi priùs Romæ probatum sit (*a*). Eidem in virtute sanctæ Obe-

r P. 4. c. 5. E. & c. 14. §. 3. & St. R. Prov. 31. & 34. & 40.

Scholasticos in classes dividat, Professores idoneos constituat, ac dirigat.

s P. 4. c. 5. §. 2. &c. & c. 9. §. 3. & c. 13. §. 4. & E. & R. 49. 50. 51. 52. & Reg. Rect. 37.

t P. 4. c. 6. § 6. & c. 12. & 13. & R. Prov. 47. & St. 2.

u P. 4. c. 12. §. 1. & c. 14. §. 1. & St. Re. Prov. 5. & 9. §. 2. & C. 5. D. 41. & 56. & C 13. D. 15.

x C. 5. D. 41. & R. Prov. 54. & St. R. Prov. 16. & C. 9. D. 23. & 31. & Ord. P. Piccol. pro studijs §. ult.

y R. Prov. 50. & St. 22. C. 7. D. 92.

z St. R. Prov. 26. 27.

Et in aliquibus obligatur ex præcepto.

a Catal. cens. c. 5. §. 2.

Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, alijſque injunctum eſt, nè ſit negligens in curanda obſervantia Decreti, quo interdicitur Noſtris affirmare licitum, quocunque prætextu Tyrannidis, Principes occidere (*b*).

b Catal. cenſ. c. 5. §. 2.

Varia in ſtudijs curanda.

5. Curet nè Coadjutorum penuriâ nimiùm graventur qui ſtudijs vacant (*c*). Reditum annuum inſtruendæ Bibliothecæ in Collegijs attribuat (*d*). Comœdias, aliáque id genus rariſſimè, latinas tantùm, valde decentes, nunquam in Eccleſia permittat. (*e*). Sub finem ſtudiorum admoneat Generalem de ſingulorum ingenio, & profectu (*f*). Librorum translatio, atque editio à ſolo Generali concedenda (*g*).

c P. 4. c. 3. §. 2. & c. 6. § 3. & B. & St. R. Prov. 32.

d St. R. Prov. 33.

e R. Prov. 58.

f R. Prov. 59. & P. 4. c. 9. §. 3.

g R. Prov. 60.

Reliqua remiſſivè.

6. Sed quia moleſtum eſſet perſequi ſingula, quæ ad ſtudia literarum pertinent, & ferè omnia ſuis apta locis, ùt materia poſcebat, ſunt tradita, ſatìs erit ad capita quædam revocare Provincialis Regulas, quibus ille in hac materia dirigitur. Circa Profeſſores Superiores, præter proximè indicata, videantur Reg. Prov. 53. 54. 55. & St. R. Prov. 16. 17. Circa Theologiæ moralis ſtudia R. Prov. 57. St. R. Prov. 12. 13. 14. 15. Circa Lingvas Sacras R.

Prov.

Prov. 51. & St. R. Prov. 7. Circa Humanitatis ſtudia R. Prov. 50. St. R. Prov. 18. 22. 23. 24. 25. Circa Profeſſores inferiores, & earum Scholas diſtingvendas. St. R. Prov. 21. 26. 29. 30.

De noſtris Scholaſticis diſpertiendis, detinendíſque in qualibet facultate juxta eorum ingenium, ætatem &c. R. Prov. 49. 50. 51. 52. & 56. St. R. Prov. 6. 8. 9. §. 1. & R. 17. 18. & 20. & 26. 27. De Horis, & Vacationibus Scholaſticis, St. R. Prov. 35. 36. 37. & 39. De examinandis, & promovendis Noſtris in ordine ad Scholas, & Gradus literarios. R. Prov. 62. 63. 64. & St. R. Prov. 19. & 27. & Or. c. 18. par. 2. & C. 7. D. 33.

In ſuſcipiendo Sacramento Ordinis.

Poteſt præterea vel per ſe, vel per alios præſentare Noſtros idoneos ad Ordines Eccleſiaſticos ſuſcipiendos (*h*).

h R. Prov. 61.

SECTIO IX.

Quid poſſit Provincialis, debeátque in promovendis, Profeſſis, & Coadjutoribus formatis.

I.

Poteſt admittere ad Vota biennij.

POteſt admittere poſt biennium ad Vota ſimplicia, & ſubſtantialia Societatis; & ſi quos ùt Indifferentes admi-

ſit, determinare ad gradum Coadjutorum, ſeu Scholaſticorum: immo in hac claſſe Indifferentium, ultra tempus biennij probationis, neminem detineat (*i*).

i R. Prov. 65. 67. & C. 4. D. 52.

Ritꝰ in ijſdem, & tertia Probatio.

2. In emiſſione autem hujuſmodi Votorum ſervet ritum præſcriptum (*l*), & Scholaſticos poſt ſtudia ad tertiam probationem mittat (*m*); quam ex gravi cauſa differre poteſt, diſpenſare cum nullo poteſt (*n*). Et quæ plura præſtanda ſint, videat in ordinatione citata.

l R. 66.

m R. 68.

n Or. c.3. §. 1.

Admiſſio ad Vota publica.

3. De promovendis ad Gradus Profeſſorum, aut Coadjutorum formatorum, Generalem tempeſtivè moneat; & ſi in re tanti momenti defuerit, ſibi etiam imponendam eſſe pœnitentiā intelligat (*o*). Quod ſi contingat, promovendum citra culpam ſuam, gravémque ob cauſam, aut quia literæ admiſſionis ad gradum ſeriùs in Provinciam perlatæ ſint, deſignato communiter die, promoveri non potuiſſe, licebit Provinciali alium in id deſignare diem proximè opportunum (*p*). Quæ aut præmitti, aut adjungi ſuſceptioni horum Graduum debeant, deſcripta, & ſuprà expoſita Par. 3. c. 1. 2. ſervari curet, redditurus ſuæ hac in parte diligentiæ rationem ei, qui deſignabitur Viſitator Provincialatûs ſui (*q*).

o R. 69. & Or. c.18. p.1. §.1.2. & p.4. §. 1.

p C.12. D. 9. & C.13. D. 20.

q R. 70. 71. 72. 73. 74. & Or. c. 88. p.4. §.2.

SE-

SECTIO X.

Quid in Rebus Collegiorum, Domorum, eorúmq; qui bonis suis non se abdicârunt, Provinciali injunctum.

1.

ÆDificiorum majoris momenti formam præscribere pertinet ad Generalem: Provincialis sarta tecta curet (r). Idem potest admittere, quod donatur ad augendos reditus; & stabilia etiam Domui Professæ relicta vendere. Quod si pretium necessarium Domui non fuerit, & trecentûm ducatorum valorem superat, consulat Generalem: quod præstabit etiam, si donationes conditionibus aliquibus affectæ essent, & ubi novæ Fundationes offeruntur (s). At pecuniarum, quas expendendas ipse habuerit, ratio constet in libro apud ejus Socium (t).

Ædificia, Donationes, &c.

r C. 1. D. 113. & C. 2. D. 84. & R. 75.

s P. 4. c. 2. §. 1. & R. 76. 82.

t In temp. tit. 1. §. 6.

2. Habet potestatem conservandi, & defendendi res Collegiorum, etiam in judicio, cum facultate alios substituendi. Non intendendæ tamen lites, sinè consensu Generalis, aut ab eo in id Delegati; & quacunque honestâ viâ declinandæ (u). Instrumenta authentica rerum perpetuarum ad Archivium Romanum mittat (x).

Ius ad Forum.

u P. 4. c. 2. C. & R. 77.

x R. 78.

Legatorũ commutatio negata Provinciali. 3. Facultas commutandi Legata, de qua V. Commutatio §. 4. non permittitur ulli Superiori, præterquam Generali, quidquid ibi in contrarium dicatur (*y*).

y C. 8. D. 41.

Ratio paupertatis in Vestitu &c. 4. Vestitus, & supellex domestica definienda ad normam Societatis (*z*). Non ferat Nostros quidquam petere ab Externis, ut in usum proprium convertatur; nec Superiores potestatem facere possint; sed omnia eis necessaria à Societate provideantur (*a*).

z R. 84. 85.

a Ex. c. 4. §. 2. & C 6. D. 21. & C. 12. D. 43. & Or. c. 4. §. 9. & R. 90.

Conservatio, & Reparatio rerum temporalium. 5. Videat Computa inter Superiorem, & Procuratorem transacta; rationem accepti, & expensi exigat; & relationem sui computi relatam in librum ipse subscribet (*b*). Visitet bona stabilia (*c*). Conditiones novarum Fundationum diligenter expensas ad Generalem scribet (*d*). Magnum æs alienum conflari non sinat; & propterea plures, quàm ali possint, residere in domicilijs non permittat (*e*). Plura verò remedia ad sublevandam Domorum, & Collegiorum inopiam decreta sunt à C. 7. D. 82. & C. 8. D. 60. quæ, cum aliquo additamento, referuntur in Instr. temp., & Provincialibus specialiter commendata, referuntur suprà Par. 2. cap. 2.

b R. 79.
c R. 80.
d R. 81.
e R. 82.

De Abdicatio- 6. Abdicationem bonorum constantibus

bus tantùm in ſua vocatione permittat (*f*). Non ſinat iniri pactiones pro legitima, aliiſque bonis, niſi admonitis ijs ad quos pertinet, nullum jus ad ea Societati eſſe, & niſi Generali priùs conſulto (*g*). Eundem admoneat, cùm quis ex Noſtris eſt diſpoſiturus de bonis ſuis in auxilium Societatis (*h*). Cùm verò ſimilia bona applicabuntur Societati, cum ædificatione exigantur: eleemoſynæ ex illis fiant in pauperes loci, ubi ſunt bona; & ratio dati, & accepti ſcripto conſtet (*i*). Demum obſervet, quæ Or. cap 1. §. 10. præſcribuntur, & diſtinctiùs ſuprà relata ſunt Par. 1. cap. 6. ſect. 5.

ne'à Noſtris facienda.

f R. 86.

g C. 3. D. 39. & C. 4. D. 65. & R. 87.

h C. 2. D. Defin. poſt. 23. & R. 88.

i R. 89. & 96.

SECTIO XI.

De modo quo cum Generali, alijs Provincijs, ac Externis ſe habere debeat.

I.

OBedientem, reverentem, ac fidelem ſe Præpoſito Generali exhibeat; curétque, ut reliqui erga ſuos Superiores idem præſtent (*l*). Perſpecta omnia Generali cupiat, tum quæ ad ſuam conſcientiam, tum quæ ad ſuam Provinciam pertinent; nec ad eum ſcribendi formulam à quoquam negligi patiatur (*m*). Atque ipſe

Erga Generalem.

l P. 8. c. 1. §. 4. & P. 10. §. 9. & R. 91.

m P. 9. c. 3. §. 19. & P. 8. c. 1. §. 4. & R. 92.

in primis minimè negligat, quæ de literis, & Catalogis ad Generalem mittendis relata ſunt ſuprà Par. 6. cap. 3. ſect. 2. Præterea ex omnibus Superiorum localium, & eorum, qui in Miſſionibus verſantur epiſtolis, ſingulis annis, menſe Januario, rerum geſtarum capita manu ipſorum ſubſcripta ad Generalem mittat, literis annalibus materiam datura (*n*). Quæ verò præſtanda ſunt, ut certior Generalis fiat de aptis ad gubernandum, habentur infrà cap. 3. ſect. 1. Quotannis etiam ad Generalem referat de Præfectis ſpiritualibus à ſe conſtitutis, inſtructíſque (*o*).

n Form. Scrib. §. 27.

o In. 10. §. 14.

Erga Societatem, præſertim in Congregationibus.

2. Cogitet de communi bono Societatis, illúdq; juvet præſertim, I. in Congregationibus Generalibus, ad quas jus habet independenter à Congregatione Provinciali (*p*). II. In exercenda Providentia circa Præpoſitum Generalem, prout in Domino ſenſerit, & Conſtitutiones præſcribũt (*q*). III. In Congregationibus Provincialibus, quas coget, regétque, juxta Formulam: & ſi quid adnotaverit circa Decreta, & Conſtitutiones, vel quid aliud, quod Congregationem Generalem expoſcat, Præpoſito Generali ſcribat; vel Procuratori ad eum venturo tradat (*r*). IV. In Congrega-

p P. 8. c. 3. §. 1. & C. 12. D. 51. & R. 93.

q P. 9. c. 5. §. 1.

r P. 8. c. 3. §. 1. & c. 5. §. 3. & R. 93.

gatione ad eligendum Vicarium ; quam, si adsit, convocare debet, & ei præesse (s). Quæ verò jura, vel obligationes in hisce Congregationibus ad Provincialem spectent, habes in Formulis earundem.

s Form. Con. ad el. Vic. §. 2. 3.

3. Præterea extra Congregationes habet jus, I. Mittendi ad Vicarium, & Assistentes suum suffragium, in casu quo Generalis sit factus inutilis ad gubernandum; quo significet quid sibi agendum videatur pro bono Societatis (t). II. Approbandi Vicarium electum; quando Generalis ità morbo est impeditus à gubernanda Societate, ut nulla sit spes convalescendi (u). III. Approbandi Assistentem substitutum in locum defuncti, vel diutiùs absfuturi à Generali (x), & Admonitorem pariter substitutum (y). Habet jus suffragij in dissolutione Domûs, vel Collegij: quod tamen, ùt & reliqua jura proximè enumerata, Provincialibus solùm intra Europam concessa sunt; nisi ageretur de dissolutione Domûs, aut Collegij extra Europam: tunc enim exquirenda etiam ejus Provincialis sententia, de cujus Domicilio agitur. (z).

Et extra Congregationes, in ordine ad bonũ commune.

t C. 8. D. 29.

u P. 9. C. 4. §. 6.

x P. 9. C. 5. §. 3. & C. 4. D. 24. 25. & C. 8. D. 19.

y C. 3. D. 42. & C. 4. D. 24.

z P. 4. C. 2. A. & C. 4. D. 24.

4. Alias Provincias, si occasio tulerit, juvet: Externos Societati conciliet, be-

Charitas erga omnes, & de ea præceptum.

a P.10. §. 11. & R. 94. 95. nevolósque conservet (*a*). Eidem præceptum imponitur; ut in Perturbatores Societatis inquirat, & ad Patrem Generalem deferat: nec minùs fortiter, quàm fideliter in ea re munere fungatur suo (*b*).

b Con. 6. D.2. & Catal. Censf. c.2. tit. 2. §. 3.

Eleemosynæ taxandæ.

5. Eleemosynas à Superioribus faciendas præscribat: & peculiarem rationem habeat eorum locorum, unde reditus bonorum Ecclesiasticorum percipiuntur. (*c*).

c Reg. 96.

SECTIO XII.

De communi ratione juvandi Proximos.

1.

Operarios designet.

SEligat Provincialis idoneos operarios; ministeria ritè obiri curet; eorúmque tempus designet; & pestilentiâ infectis juvandis aliquos seponat (*d*).

d P.4. c. 6. §. 3. & c.8. §.3.4.5.6. & c.10. §.10. & C. 2. D. 62. & R.97.98.99.100.

Et quibus in Domibus.

2, In Collegijs Scholastici tantùm, nõ reliqui Externi, ad pietatem excolantur; si in eadem Urbe simul Domus Professorum habeatur (*e*).

e P 7.c.4. §.10. & R. 101.

Ornatus Ecclesiarum, Confraternitates, Examina Secularium.

3. Ornatus Eclesiarum in festis præcipuis sit moderatus (*f*): Confraternitates Externorum, nec à Nostris curentur, nec coëant apud Nostros (*g*): Examinatores ad Ordines de sola doctrina judicium ferant (*h*).

f R. 102.
g P. 7. c. 4.G. & R. 103.
h C.2. D. 71. & C. 4. D. 63. & R. 104.

SE-

SECTIO XIII.

De Missionibus & Mutationibus Nostrorum.

1.

PRovincialis non abeat à sua Provincia sinè Generalis, nec Præpositus, aut Rector à sua Domo, vel Collegio, absque Provincialis facultate; nisi locus esset vicinus, aut sinè gravi incommodo expectari Superioris responsum nõ posset. Reliquorum verò mutationes intra Provinciam Provincialis ipse nè faciat, sinè causa alicujus momenti (*i*). *Mutare Stationem.* *i* C. 2. D. 12. & R. 105.

2. Operarij in Missionibus ab eo instruendi, & dirigendi juxta Constitutiones, præsertim Par. 7. c. 1. & 2. & Regulas Missionum (*l*). *Versantes in Missionibus.* *l* R. 106. 107. 108. 109. 110. 111.

3. Neminem mittet extra Provinciam suam, nec etiam ad laborandum in Vinea Domini, nisi negotij alicujus, aut peregrinationis causâ, aut nisi constaret de Generalis voluntate; vel conveniret cum Provinciali illius Provinciæ, ad quam mittere aliquem ad tempus voluerit. Ad Provincias tamen extra Europam, & inter ipsasmet, hæ transmutationes, sinè facultate Generalis, nè fiant (*m*). *Mittere in alias Provincias aliquando potest.* *m* R. 112.

Mutationes hujusmodi an cõstituant in alia Provincia.

4. Per has autem mutationes, mutuo Provincialium consensu factas, si temporariæ fuerint, applicari Nostri possunt Provinciæ, ad quam sunt translati, auctoritate Provincialium: in perpetuis verò recurrendum ad Generalem (*n*).

n C. 7. D. 60.

Imminente Cõgregatione Provinciali nequit mutare.

5. Post cognitam Generalis mortem Provincialis neminem ex ijs, qui jus suffragij habent, ex sua Provincia in aliam mittat, ante Congregationem Provincialem; nisi causa sit adeò urgens, ut ipse, & major pars Consultorum ipsius existimet esse mittendum (*o*).

o R. 113 & Fo. Cong. Prov. §. 13.

Quid cum peregrinis.

6. At cum Nostris peregrè profecturis observet quæ præscribuntur Reg. 114. 115. 116. 117. & nè detur ansa proprietati particularium, curet alicubi servari communia instrumenta itinerum (*p*).

p In. 14. §. 12.

SECTIO XIV.

De Visitatione.

1.

Visitatio frequens.

PRæpositi Provincialis valde proprium officium est visitare Provinciam suam; quod præstabit singulis annis. Ibi verò diutiùs immorabitur, ubi magis erit opus; præsertim in loco, ad communicationem cum inferioribus, Generali Præposito, magis commodo (*q*).

q P. 8. c. 1. I. & C. 1. D. 111. & R. Prov. 118.

2. Si

2. Si quando, ob causas graviores, visitare omnia loca suæ Provinciæ ipse non possit, re cum suis Consultoribus collata, ad ea, quæ non potest, sibi alium substituat. Quamvis omninò curandum sit, ut Domus Probationis, & Scholasticorum Seminaria peculiari cura, & per se visitet (*r*).

Quando delegari possit.

r R. 119.

3. Ordo verò servandus in Visitatione traditur accuratissimè cap. 14. Reg. Provincialis, additúrque sigillatim cap. 15. Elenchus eorum, de quibus, tum Superiores, tum reliqui omnes interrogandi sunt. Præterea vel addita, vel explicata quæpiã sunt alibi: qualia, ut futuri Superiores erudiantur, periculúmque de ijs fiat, quàm bene calleant quæcunque ad nostrum Institutum pertinent (*s*): ut moneatur P. Generalis de ijs puniendis, amovendísque, qui deprehensi fuerint negotijs secularibus, etiam cognatorum, sese immiscuisse(*t*): & an Collationes casuum conscientiæ peragantur, juxta Regulas,& Decreta (*u*) Executionem rerum præscriptarum urgeat, juxta ea, quæ Sectione ultima hujus partis referuntur; pluribúsque locis statuta sunt (*x*).

Quid in ea præstandum.

s Or. c. 1. §. 20. & Cl. c. 1.

t C. 8. D. 56.

u C. 13. D. 17.

x C. 6. 37. & C. 9. D. 26. & In. 18. & Cl. c. 1. init. & c. 2.

SECTIO XV.

De Visitandis Provincialibus.

1.

Visitandi Provinciales.

LIcèt non placuisset novum aliquod statutum condere super ratione reddenda officij sui à Provincialibus officio defunctis (*y*); tamen jussu Clementis VIII. constitutum est; ut Provinciales visitentur, sive per Visitatorem, sive per Provincialem Successorem; & de suo Officio rationem reddant (*z*). Tum confecta est instructio ad juvandam praxim hujus Visitationis (*a*).

y C. 5. D. 33.

z C. 5. D. 64. §. 2.

a Or. c. 9.

Causa, & Persona consulendum.

2. Instructionis autem prædictæ hæc est summa. Is, cui maximi momenti hæc cura mandata est, pro viribus annitatur, ut nec Superiorum existimationi officiat, dum inferiorum querelis æquo plus tribuit; nec suo muneri desit, dum in erratis Superiorum remissè connivet (*b*).

b Or. c. 9. §. 1.

Capita examinanda.

3. Capita præcipua, de quibus rationem exiget, hæc ferme erunt. An visitaverit? An subditorum querelas audierit? An rationem conscientiæ acceperit? De puritate paupertatis. De admissis, dimissisque. De informationibus ad gradus. De ære alieno. De ministerijs. De institutione ad va-

ria

ria Societatis munia, & præcipuè religiosam gubernandi rationem. Quomodo se gesserit cum Consultoribus, Admonitore, & erga Generalem: & de pecuniis sibi undecunque traditis (*c*).

c Or. c. 9. §. 2. & c. 18. p. 4. §. 1. & In. temp. tit. 1. §. 6.

Praxis diversa pro diversitate Visitantium.

4. Circa praxim observandum; si is, cui Provincialis sui officij rationem redditurus est, Visitator fuerit, ex Instructione tum communi, tum etiam particulari, satis perspectam habebit Societatis mentem; & ex Regulis Provincialis, & ex capitibus suprà positis optimè intelliget, circa quæ versari, & de quibus Generalem monere debeat. Si verò fuerit novus Provincialis, utetur ijsdem recitatis Informationum capitibus: modus verò procul dubio ab eo, quo Visitator uteretur, omnino diversus esse debet: nam cùm nec ab eo Provincialis, qui officio defunctus est, corrigi debeat, nec quæ ab eo statuta sunt, immutari possint; huc tantùm spectabit, ut liquidò intelligat, præsertim à Consultoribus Provincialis, in quibus is erraverit: & de ijs sincerè Generalem informet; ità tamen ut antea à Provinciali, de quo agitur, accipiat rationem eorum, quæ illi objiciuntur (*d*).

d Or. c. 9. §. 3.

CA-

CAPUT II.

De Commissariis, seu Visitatoribus.

SECTIO I.

Eorum Dotes, Electio, Cessatio.

1.

Eorum munus. QUoniam Præpositus Generalis, licèt visitare Societatem aliquando possit, tamen ordinariè Romæ Sedem habere debet (*a*); dimittit subinde viros primariæ auctoritatis, qui loco sui Provincias obeant (unde & Visitatores appellantur) seu etiam cùm aliqua gravis causa alicubi hoc extraordinarium officium postulaverit(*b*). Adhibiti præterea sunt aliquando à Generali, ad affinem operam, non autem auctoritatem, nonnulli Viri graves, qui Inspectores dicebantur (*c*).

a P. 8. c. 1. §. 7. & H. & c. 5. §. 1. & Paul. V. pag. 310.

b C. 1. D. 91. & C. 2. D. 11.

c In. 10. §. 2.

c In. 10. §. 2.

2. Visitatores igitur, seu Commissarij (nam unum, idémque munus duobus hisce nominibus consvevit appellari) cùm gerant officium Præpositi Generalis proprium, & ad bonam Societatis gubernationem pernecessarium; non solùm quæ de Persona Provincialis initio ejus Regularum dicuntur, ipsi sibi dicta existiment; sed etiam tales se in omnibus exibere studeant, qualem Generalem ipsum Constitutiones describunt (*d*).

Dotes.

d In Visit. §. 1.

3. Eo-

3. Eorum electio ſpectat ad Generalem (*e*). Nec conſtituendi (ùt ſub initia Societatis moris fuit) ità ùt continuum, & quaſi ordinarium officium habeant, ſed cùm neceſſitas, vel utilitas magni momenti hoc officium, judicio Præpoſiti Generalis, requiret. Ad viſitandas verò Provincias tertio, vel quarto quoque anno, vel quando Præpoſito Generali videbitur mittendi ſunt: omnéſque pro ejuſdem Generalis arbitrio, eodem officio defungantur (*f*).

A quo, & quando constituendi, removendique.

e P. 9. c. 3. §. 16. & 20. & Greg. XIV. p. 281.

f C. 1. D. 91. & C. 2. D. 11.

4. Præterea in Europa eorum munus expirat per mortem Generalis: at extra Europam minimè; ubi nominationes eorundem ſunt executioni mandandæ, etiam poſt mortem nominantis, quoaduſque hujus Succeſſor aliud ſtatuerit (*g*). Et ſi ibidem Viſitator aliquis redditus ſit inutilis, fiet quod ſupra cap. 1. ſect. 1. §. 5. expoſitum eſt ex Decr. 40. Con. 9. Nam in Indijs ordinarium alicubi habetur munus Viſitatoris; & triennio, ùt reliqui Magiſtratus, ferè concluditur.

Quomodo ceſſent ipſo jure.

g C. 1. D. 91. & C. 4. D. 3.

SECTIO II.

Jura, & obligationes Viſitatoris.

I.

CEterum licèt Generali demortuo Viſitatoris Officium in Europa expiret; li-

Eligere poteſt Congregationẽ ex alterutra Provincia.

liberum tamen ei relinquitur, aut Provincialem Congregationem adire in ea Provincia, in qua tum fuerit; aut redire ad suam: atque in utravis, tam activum, quàm passivum suffragium habebit; ità tamen, ut ad ingrediendum in alienam, quam visitavit, debeat requisitam Professionis antiquitatem habere, tum in illa, tum in sua; & ingrediatur extra numerum. Si verò ad suam Provinciam redeat; ut Congregationem ingrediatur, sufficit habere in ea Professionis antiquitatem, & intra numerum ingredietur. Quod si Visitatoris munere adhuc fungatur, neque unà sit ejusdem Provinciæ Vice-Provincialis, excluditur à Congregatione Provinciali (*h*).

h C. 4. D. 3. & C. 6. D. 35. §. 6. & C. 7. D. 58. & C. 9. D. 28. & Form. Con. Prov. §. 4. & 8.

Instructio, & expensæ pro Visitatore.

2. Visitatoris autem facultates, & obligationes, in ordine ad exercendum munus suum, petendæ potissimùm ab Instructione, quæ circumfertur impressa; cujus etiam reformatio aliqua facienda cõmissa est P. N. (*i*); & quæ sequuntur ferè complectitur. Commissarium, seu Visitatorem alet ea Domus, vel Collegium ubi erit; itineris verò expensas ij facient, quibus bonum est illud iter (*l*).

i C. 7. D. 37.

l C. 2. D. 82.

Auctoritas, ejúsq; usus re-

3. In literis patentibus amplissima Visitatori facultas conceditur; nihilominus

hæc

hæc poteſtas contrahenda; ità ut in foro exteriori, ordinariam Provincialium non excedat, relicta interim in foro interiori ejus amplitudine (*m*). Ceterùm Viſitator bene calleat quæcunq; ad Inſtitutum Societatis pertinent; & ſecum habeat literas Apoſtolicas authenticas, & Compendium facultatum (*n*). Provinciali Superior eſt; cui tamen Provinciam, ſicut & alijs Superioribus ſuas Domos gubernandas relinquat: niſi quid ſibi reſervandum, aut per ſe faciendum duxerit (*o*). Debet tamen eorum auctoritatem tueri, & mutuam inter illos fovere caritatem. Recurrentes ſubditos, antequam ſuum Superiorem immediatum adeant, in rebus, quæ hujus perſonam non attingunt, ad eum remittat. Particularia item per ſeipſum non ordinet; Provinciali permittat, ut munere fungatur ſuo. Is tamen (ſi Viſitator præſens ſit in eadem Civitate) quæ alicujus momenti fuerint, executioni non mandet. Negotia præſertim gravia ſemper illi communicet (*p*). In Viſitatione autem Provincialis ſervet Or. Gen. 9. quæ ſuprà relata eſt cap. 1. ſect. 14. Res novas parvi momenti, vel in quibus ex mora periculum, exequi poterit, reliquas tantùm

ſpectu Provincialis.

m In. Viſit. §. 7.

n In. §. 8.

o In. §. 10.

p In. §. 3. & 10. & 17. & 39. 40. 41. 42.

q In. §. 9. Generali approbante (*q*). Possset & illi committi Rectorum electio, sed ab eodẽ r P. 4. c. 17. §. 1. Præposito Generali postmodum confirmanda (*r*), nec non Facultas admittendi s P. 5. c. 1. §. 2. & c. 2. §. 4. 5. & A. B. C. & P. 9. c. 3. A. ad quemcunque Gradum. (*s*).

Informatio ab eo, & ejus Consultoribus.

4. A Provinciali, antequam Provinciam visitandam aggrediatur, brevem totius Provinciæ, & Personarum informationem accipiet (*t*). t In. §. 11. Socium habebit à Generali designatum; qui & Admonitor ipsius erit; cujus operâ tum in consultatione, tum etiam in rebus uti poterit, non exclusis interea Consultoribus Provincialis (*u*). u In. §. 12.

Visitationis methodus.

5. In ratione, ordinéque visitandi servabit ea; quæ in Regulis Provincialis præscribuntur (*x*). x In. §. 12. Incipiat Visitationem ab ea Domo, vel Collegio, quod ratione necessitatis, aut commoditatis videbitur præferendum: & ubi sui adventus rationem in communi omnium conventu reddiderit, literásq; patentes exhibuerit, omnes ad perfectionis studium, & spiritûs renovationem hortetur (*y*). y In. §. 13. Et inter præcipuas sui muneris partes reputet in ijsdem cognitionem, & amorem Instituti imprimere, & praxim inducere: nullóque modo admittatur illa opinio putantium esse

secus

ſecus agendum cum alijs Nationibus; vitetúrque ſpiritus ille indiſcretæ caritatis, quæ omnia licere putat (*z*).

z In. §.2. & 22. & 26.

6. Seriò audiat, atque etiam inſpiciat eorum, quos viſitat, neceſſitates, ut ipſis ſubveniat (*a*). Intelligat an formula ſcribendi ſervetur à Superioribus, & Conſultoribus (*b*), & num nominati ad Gradum, & Gubernandum, aliáque hujuſmodi munera, idonei ſint (*c*); & an hujuſmodi nominationes, informationéſq; tempeſtivè mittantur (*d*). Superiores verò præcipuè formentur; neque ſi qui aberraverint, ſtatim deſerantur, ſed potiùs accuratiùs inſtituantur (*e*). Ijdémq; nunquam ſibi diſplicere præſeferant, quòd Subditi Romam ſcribant (*f*).

Curanda erga Officiales, & ſcribendi Formulam.

a In. §. 4.
b In. §. 6.
c In. §. 16.
d In. §. 30.
e In. §. 20. 25. 36. 37.
f In. §. 35.

7. Hæc præterea ſunt, quæ Viſitatori potiſſimùm commendantur. Cognoſcere, & amputare malorum radices. Nationum ſtudia, & quaſcumque diſſenſionum cauſas tollere. Uſum ſpiritualium omnium exercitiorum promovere. Eidem cordi ſit, Regulas, Ordinationéſque in admittendis, probandis, dimittendíſque Noſtris exactè ſervari; Scholaſticos in pietate, & literis inſtitui; Concionatores, nō delicatos, aut vanitatum in dicendo ſe-

Præcipua diſciplinæ capita.

ctatores; Confessarios bene instructos, & maturæ ætatis adhiberi: In universis Obedientiam, sui abnegationem, paupertatem, zelum animarum curari: Missiones frequenter, etiam à Confessarijs stationarijs haberi; Coadjutorum pietatem excoli (*g*).

g In. §. 18. 19. 21. 27. 28. 29. 31. 32. 33. 34.

Executio urgēda, & Dispensationes manifestandæ.

8. Rationem habeat bonæ, tum apud Domesticos, tum etiam apud Externos existimationis Superiorum: & potiùs per Superiorem, quàm per seipsum, quæ ordinaverit, exequetur: quin aliqua exequi jubeat post suum discessum (*h*). Discessurus Superiores moneat, si cum aliquo in aliqua re dispensaverit (*i*). Quin ipsimet Subditi, si quas facultates, aut Privilegia à Visitatoribus obtinuerint, eas rogati Provinciali indicare tenebuntur; quod si recusaverint, pro abrogatis habeantur: Eadem verò sibi indicata Provinciales nequeunt, nisi Generali admonito, revocare (*l*).

h In. §. 3. & 15.

i In. §. 14.

l C. 7. D. 36.

CAPUT III.

De Superioribus localibus.

Duplex horum classis.

SUperiores locales habentes ordinariam auctoritatem in Societate, alij dicun-

cuntur Præpositi, & hi præsunt Domibus Professis; alij Rectores, qui Collegia, aut Domos Probationum regunt. Communis tamen de illis tractatio instituetur, eò quòd in plerisque conveniant; & si quid peculiari alterutrius classis occurrerit, in loco memorabitur.

SECTIO I.

Superiorum localium Dotes, & Electio.

I.

CUrandum est, ut ille, cui Rectoris officium imponitur, magni sit exempli, magnæ ædificationis, magnæ etiam mortificationis in omnibus pravis inclinationibus; & in Obedientia præcipuè, ac humilitate probatus: qui donum etiam discretionis habeat; ad gubernandum idoneus, in rebus agendis versatus, in Spiritualibus exercitatus sit; qui severitatem, suo loco, & tempore, cum benignitate misceere noverit; qui solicitus, qui patiens laborum, qui etiam in literis eruditus sit; & demum ejusmodi, cui confidere, cuíque suam potestatem tutò communicare Præpositi Superiores possint (*a*). Præpositus verò Domûs Professæ omni studio enitatur, ut talis sit, qualis optatur Rector;

Virtutes necessariæ Superioribus localibus.

a P. 4. c. 10. §. 4. & R. Præp. 2. & Rect. 1.

b R. Præp. 1. atque eò magìs, quòd illis præsit, quos Viros spirituales, & perfectionis studiosos esse oportet (*b*). Idémque sit Professus quatuor Votorum (*c*).

c P.8. c. 3. A.& C. 1. D. 42. & C. 3. D. 21.

Comparandæ cum prærequisitis in Generali.

2. Ex ijs etiam, quæ de Generali dicuntur, quod attinet ad DEI dona, intelligi poterit, quod Localibus convenit (*d*). Dotes autem optimi Generalis describuntur Par. 9. c. 2. Quarum aliquæ si eligendo deessent; certè non desit eximia probitas, & amor erga Societatem, ac judicium bonum, quod etiam idonea doctrina comitetur (*e*).

d P. 9. c. 6. I.

e P. 9. c. 2. §. 10.

Quanti referat eorum electio.

3. Demum eorum electio maximi momenti est; cùm ex his etiam, magna ex parte pendeat Gubernatio Societatis; qualésque hi fuerint, tales, & eorum Subditi futuri sint. Frustra enim Regulæ Ordinationésque, coacervantur; si desint animata instrumenta, quæ spiritum subministrent; vividam illarum praxim exerceant; & in quorum industria, ac prudentia Præpositi Generales meritò conquiescant (*f*).

f P. 9. c. 6. §. 6. & P. 10. §. 8. & Or. c. 17. p. 1. §. 1. & Cl. c. 1. initio.

A Provincialibus seligendi, formandi.

4. Quocirca valde commendatur Provincialibus, ut quemadmodum in alijs Ministerijs, ità in hoc gubernandi, vel præcipuo, adhibeant studium in inquirendis cu-

cujuſque talentis, exercendíſque (g). Ad inſtruendos autem Superiores egregiè facit P. Claudij Inſtructio prolixa pro Superioribus ad augendum, conſervandúmque ſpiritum in Societate, & ejus Induſtriæ, quæ inſertæ ſunt noſtro Inſtituto.

g R. Prov. 29. & Viſit. 24. 26. 27. 40. &c. & Or. c. 17. p. 1. §. 2. 3. &c. & In. 21. §. 4.

5. Et quoniam Superiorum localium electio ad Generalem pertinet (ùt dictum eſt, ubi de auctoritate ejus Par. 6. cap. 1. ſect. 4. §. 1.) expedit valde, ut illi plena notitia eorum, qui apti ſunt ad gubernandum, conſtet: quod ut ritè præſtetur, in manibus eſt Formula conficiendi Informationes, tertio quoque anno à Provinciali in Urbem mittendas (h). Cùm verò de Superioris alicujus mutatione agendum eſt, primùm cauſam Generali exponat Provincialis, cur liberandus quiſque videatur: deinde, re priùs cum Conſultoribus examinata, ſubjiciat quis cuique ſuccedere poſſit; nec unum, ſed plures: mittátque de ſingulis informationes; aut indicet, ſi jam miſſæ fuerint (i).

Eligendi à Generali, à Provinciali proponendi.

h Or. c. 17. & C. 7. D. 99.

i Or. c. 1. §. 13.

6. Hujuſmodi verò Informationum conficiendarum hæc ſumma eſt. I. Provincialis ex ſuorum Conſultorum, & ſi neceſſe fuerit, aliorum judicio, ſeligat, de quibus informatio accipienda videatur.

Proponendi methodus.

II. Has informationes accipiet non solùm à Consultoribus, sed ab antiquioribus etiam, & præcipuis Patribus, qui proponendos omnium optimè noverint. III. Capita informationum erunt, Patria, ætas, studia, gesti Magistratus, devotio, mortificatio, prudentia, fortitudo, discretio, observantia, scientia Instituti, non usus humanæ politicæ, non aversiones, aut affectus particulares, zelus animarum, subordinatio Superioribus, peritia rei familiaris administrandæ; an unquam ambierit? & si quid aliud ad rem facere videatur. IV. Hæ Informationes tertio quoque anno ad Generalem mittuntur, apposito singulis Capitibus Informatorum, & Consultorum judicio. Quod judicium præterea, num aptus vel non videatur, tum ipse Provincialis, tum Consultores separatis literis ad Generalem scribant (*l*).

l Or. c.17. & c. 18. par. 6. & C. 7. D.82. §.6. & In. temp. tit. 1. §. 11.

Subrogatio aliqua Provinciali concessa.

7. Quia tamen posset aliquando contingere, ut necesse esset mutationem facere alicujus Superioris; vel si is moreretur; poterit Provincialis aliquem, qui vices Superioris gerat, interim constituere, donec Generalis admonitus provideat. (*m*).

m R. Prov. 12.

Quin Præposito, & Rectori.

8. Præposito etiam, & Rectori, cùm do-

domo, aut vitâ excedit, licet alium nominare, qui vicariam administrationem exerceat; si Provincialis citò moneri non possit, aut alia gravis causa id svadeat. At absente, vel mortuo Superiore, nec nominato per eum Successore, difficilíque ad Provincialem aditu, præesse debet Minister, etiam in Domibus Professis, quamvis ipse Professus non sit (*n*). De auctoritate horum Vicariorum infrà dicetur cap. 5.

n C. 8. D. 20.

SECTIO II.

Quando incipiat, desinátque Superiorum localium officium.

1.

Officium verò, & auctoritas Superiorum localium ordinariè tunc inchoatur, cùm fit authentica renunciatio ipsorum in Collegio, vel Domo, cui præficiuntur. At in casibus extraordinarijs, cùm res urget, & in loco sui Regiminis Superior renunciari non potest, satis est, si fiat in loco, ubi major pars subditorum fuerit: vel si etiam nequeat, in eo, quem Provincialis aptiorem judicaverit (*o*).

Vnde initium Regiminis desumendum.

o C. 8. D. 43. & C. D. 10.

2. Superioribus localibus nullum certum tempus sui Regiminis præfiniendum; cùm

Nullum certū tempus definitum, quo perseveret.

p P.4. c. 10. §. 3. & P.9. c. 3. §. 3. & C. 2. D. 68. & C. 5. D. 35.

cùm eos Generalis ùt constituere, ità & removere possit, prout convenientius fore judicaverit (*p*). Nihilominus commendatum est P. Generali, ut diligenter curet, nè Præfecturæ istæ nimis diuturnæ sint (*q*).

q C. 5. D. 35.

Mandatū Clementis VIII. & ejus abrogatio.

3. Mox jussu Clementis VIII. inductum fuit, ut Provinciales, & Rectores (exceptis, qui sunt in Domibus Novitiorum) non durarent ultra triennium; sed vacarent per annum, & obedirent, sicut ceteri (*r*). Donec in amplissima nostri Instituti confirmatione Paulus V. recitato Decr. 35. Congr. 5. quoad eam partem, qua decernit nullum certum tempus præfigendum Superiorum localium officio, id in forma specifica comprobavit (*s*).

r C. 5. D. 64.

s Paul. V. pag. 309. &c.

Et Innocentij X. pariter abolitum.

4. Sed iterum Innocentius X. Brevi expedito 1. Januar. 1646. decrevit triennij spatio definiri Præfecturas omnes Societatis, Jurisdictionem habentes, excepto Generalis, & Magistri Novitiorum officio: & præterea qui in prædictis muneribus triennium explevissent, non possent eligi, per annum cum dimidio, ad Superioritates alias, etiam Vice-Provincialis, seu Vice-Præpositi, vel Vice-Rectoris. Cujus ordinationis abrogationem pe-

petendam, cùm prima ab obitu ejus Pontificis coacta Congregatio Generalis, omnium prorsus suffragijs, decrevisset (t); exoratus Alexander V I I. suam hac in parte libertatem Societati restituit Bullâ expeditâ 1. Januar. 1663.

t C. 11. D. 11.

5. Ceterùm quorumcunque Superiorum officium (excepto Commissariorum, aut Visitatorum in Europa) (u) non expirat morte Generalis, nec per electionem novi; immo nec post inchoatam quamcumque Congregationem Generalem, ea durante, mutari possunt à Generali, nisi aliter ipsi Congregationi videretur (x). Si verò tantùm indicta est Congregatio Generalis, & Superiores locales sui Regiminis tempus absolverunt; mutari à Generali poterunt, etiam ante Congregationem Provincialem (y). Quod etiam Regiminis tempus si, moriente Generali, expleverint Superiores, quorum Successores ab eodem fuerant nominati; illis hi substituendi: secus verò, si elapsum triennium fuerit post obitum Generalis; & præterea constat ipsum noluisse eosdem ante tempus exauctorare. Si tamen, ob missas literas Generalis, nec rescita ejus morte, aut indictione Congregationis Generalis, sub-

Quid mortuo Generali, aut durante Congregatione Generali circa illorũ officia agi possit.

u C. 1. D. 91. & C. 4. D. 3.

x C. 1. D. 1. & C. 5. D. 20. & 23. & C. 6. D. 17. & C. 9. Act. 14. & C. 11. Act. 24. & C. 13. D. 11.

y C. 12. D. 30. 31.

ro-

rogatio executioni mandata est; huic standum; etiamsi Decessor paulò post obitum Generalis triennium explevisset (z).

z C. 12. D. 30.

SECTIO III.

De Potestate Superiorum localium in genere.

1.

Ampla sit.

REfert magnoperè, si Præpositi particulares in sibi subditos multum potestatis habeant; quò clariùs intelligant inferiores, se ab illis immediatè pendere; & quòd necesse sit in omnibus eis subesse. Quare Superiores ad bonum omnia possint, in suo quisque ordine: & si malè agerent, omninò subjecti sint (a).

a P. 2. c. 1. §. 2. & P. 4. c. 10. §. 4. & P. 8. c. 1. §. 6. & P. 9. c. 6. §. 2. & P. 10. §. 8.

Sed definienda à Generali.

2. Ceterùm Præpositi Generalis est eam potestatem singulis communicare; quam judicaverit expedire: & si in patentibus literis amplissimam impertierit, per secretas eam contrahere poterit (b).

b P. 2. c. 1. §. 2. & B.

Et à Provinciali custodienda.

3. Ad Provincialem verò spectat tueri Superiorum immediatorum auctoritatem in subditos; ità tamen, ut constet omnes posse ad mediatos recurrere: ideo quidquid agendum, vel immutandum erit, quod ad immediatorum officium pertineat, per eosdem fieri curabit (c). De tuen-

c P. 8. c. 1 §. 4. & 6. & P. 9. c. 6. §. 2. & R. Prov. 28.

enda autem Superiorum immediatorum auctoritate per Superiores mediatos, præsertim contra querelas futiles, & subditos contumaces, plura statuta sunt (*d*), quæ videnda superiùs cap. 1. sect. 5. §. 5. 6.

d C. 6. D 37. & C. 9. D. 26. & In. 18. §. 7. 8. 9.

Ad quos pertingat.

4. Quamquam Provincialis aliquando posset quempiam eximere ab obedientia Superioris localis, ut sibi immediatè subsit; ùt plurimùm tamen Obedientiæ subordinatio eò melior erit, quò perfectiùs observabitur (*e*). Quare nullum de facto eximat, inconsulto Generali; & nisi periculum esset in mora (*f*). Nostri Hospites subsunt obedientiæ ejus, qui præest, perinde ac reliqui ejusdem Domûs, aut Collegij socij (*g*). Quod multò magis servandum est ab ijs, qui ex diversa licèt natione, ad aliquam ejusdem illustriorem Missionem pertinentes, sparsi sunt in alijs Provincijs seu Domicilijs Societati (*h*). At qui commorantur in locis, ubi nullum est Societatis Domicilium, Superiori propinquioris Domus, aut Collegij parere teneantur (*i*).

e P. 8. c. 1. E.

f R. Prov. 31.

g R. com. 48.

h C. 7. D. 21. §. 2.

i P. 7. c. 3. A. & P. 8. c. 1. §. 4. & C. 11. D. 32. & R. Prov. 109. & Or. c. 2. §. 3.

Præcepta possunt imponere, & quamdiu vigeant.

5. Superiores locales possunt jubere in virtute Obedientiæ: non nisi rarissimè tamen id faciant, & ex gravi, & urgenti cau-

l R. Præp. 9. & R. 8. & C. 9. D. 12.

causa (*l*). Quæcunque autem præcepta Personis particularibus imposita, mortuis, vel amotis Superioribus, qui ea tulerunt, perseverant; donec à Superiore, vel successore revocentur (*m*). Facultates etiam, & Privilegia quæcunq; non expirant cum concedentium officio; donec legitimè revocentur: ùt dictum est ubi de Provincialibus (*n*).

m C. 9. D. 12.

n C. 7. D. 36.

Vnde nôsse queant suas facultates.

o R. Præp. 13. & 18. Rect. 12. & 17.

6. Superiores autem noverint, quam potestatem habeant ex sui Officij Regulis, & Compendio Privilegiorum (*o*). Circa quod Compendium 1. notandũ est: quod in ejus Præfatione conceditur Provincialibus, ubi periculum est in mora, neque consuli Generalis potest, (uti nempe illis Privilegijs, quæ aliqua communicatione nostræ Societati competunt, licèt non sint inserta Privilegiorum compendio) idipsum concessum Superioribus localibus: qui tenebuntur, quamprimum poterunt, Generalem, & Provincialem etiam, vel Visitatorem de ejusmodi usu, ejúsque causa certiorem reddere (*p*).

p Appendix Compendij Privil. m. s. in Præfat.

Possunt limitare concessa à Superioribus mediatis.

7. Notandum 2. de omnibus hujus Compendij facultatibus: ùt pertinet ad Superiores suis subditis facultates communicare, vel aliunde concessis, etiam à Ge-

Generali, vel à Summo Pontifice utendi potestatem facere; ità eorundem esse illarum eis usum, cùm expedire judicaverint, vel limitare, vel etiam omninò suspendere (*q*). Unde factum, ut privilegium commutandi Legata, reservatum sit Generali, contra quàm videbatur permittere Comp. Priv. V. comm. §. 4. (*r*).

q Præf. Cõp. & ex Greg. XIII. p. 143. 144.

r C. 8. D. 41.

8. Consvetudines verò receptas, & à Generali, vel Provinciali approbatas non prætermittant, aut immutent, nec inductas à præcedenti Rectore, inconsulto Provinciali; nullámque ipsi inducant, nisi suo Superiore approbante (*s*).

Consuetudines non immutent, aut inducant.

s R. Præp. 5. & Rect. 4.

9. Curare multò magis debent, ut Constitutiones, Regulæ, ac Decreta observentur; etiamsi in his, cùm necesse erit, possint cum particularibus dispensare. In rebus tamen majoris momenti, solùm quando expectari non potest Provincialis responsum, ad quem postea referent, quid actum sit (*t*). De regulari verò disciplina executioni mandanda, & quatenus in ea dispensandum; vide quæ peculiari titulo infrà habentur cap. 6.

Regulas custodiant, & quatenus dispensent.

t P. 4. c. 10. B. P. 9. c. 3. §. 8. & D. & R. Præp. 11. Rect. 10. & Cl. c. 1. tit. 2. §. 1.

SE-

SECTIO IV.

De obligationibus Superiorum localium respectu sui.

1.

Studeant perfectioni, & orationi.

u P. 4. c. 10. §. 4. & 5. & R. Præp. 1. 2. & Rect. 1. & Cl. c. 1. tit. 2. §. 2.

OMni ſtudio Superiores eniti debent, ut tales ſint, quales optantur in Conſtitutionibus; primámq; officij ſui curam in eo poſitam eſſe intelligant, ut oratione, & ſanctis deſiderijs totam Domum, velut humeris ſuis, ſuſtineant (*u*).

Recollectio ſub initium Regiminis.

x Or. c. 1. §. 6.

y Or. c. 1. §. 20. & R. Præp. 13. 18. & Rect. 12. 17.

2. Antequam Superioris officium ineant, ſeſe ad dies aliquot ſpiritualibus Exercitijs recolligant (*x*). Quod ſi nunquam gubernarunt, duos minimùm menſes antequam gubernationem aggrediantur, ponant in attenta lectione omnium, quæ ad Inſtitutum pertinent (*y*).

Obſervantia Regularum, & Vita communis.

z C. 1. D. 76.

a C. 3. D. 38.

3. Quamvis relata fuiſſet inter Regulas, juſſu S. Fundatoris ſcripta Ordinatio, qua ſtatuebatur; ut ad conciliandam Superiori reverentiam apud ſubditos, ille, qui numeraret ex his ſupra triginta, ordinariè non cibum caperet in Refectorio communi, licèt cibus deberet eſſe communis (*z*), poſtea tamen decretum, ut ea Regula vim non obtineat, relicta Generali facultate diſpenſandi (*a*); Communes igi-

igitur Regulas universi servent, & particularia in cibo, mensa, indumentis, cubiculi supellectili, & alijs vitæ communi necessarijs, quantum fieri potest, omninò vitent, & quæ in subditis optare debent, ea in seipsis præstare studeant (*b*). Si quid tamen in ijs mutandum Consultores sui ducerent; illorum judicio acquiescent (*c*).

4. Intrà annum, postquam Officium prima vice inierint, quadraginta diebus Christianam doctrinam legant, aut doceant: sed ex causa per alium id munus, cum facultate Provincialis, obire poterunt (*d*). Aliquando etiam intra annum officia eorum, qui domi inserviunt, ad tempus aliquod obibunt (*e*).

5. Quotidie, aut certè alternis diebus, horam considerationi impendent; in qua secum, & cum Deo considerent, quomodo se habeat status Domûs, vel Collegij (*f*). Habeant verò libellum memoriæ causâ, in quem referant, quæ agenda, scribendáve ad Superiores subinde occurrent (*g*).

6. Confessarij Superiorum, absente Provinciali, possunt cum illis dispensare in cibis vetitis, horis canonicis, irregula-

b P.4. c.10. §.8. & P.8. c. 1. §. 3. & R. Præp. 2. 3. & Rect. 2. & C. 12. D. 43. & C.3. D.38. & C. 6. D.37. §. 6. & Cl. c.1. tit.2. §. 7. & c. 4. §. 9.

c P.9. c. 4. §. 2. & c. 5. §. 2. & c. 6. l. & Reg. Cons. 12.

Catechesis, & Ministeria humilia.

d P. 4. c. 10. §. 10. & K. & C. 2. D. 65. & R. Præp. 4. & Rector. 3.

e P.3. c.1. §.19. & R. Præp. 34. & Rect. 33.

Horæ considerationis, & libellus memoriæ.

f Or. c. 2. §. 5. & Cl. c. 2. tit. 2. §. 1.

g R. Præp. 19. & Rect. 18.

Confessarius.

ritate, & ſimilibus, eodem planè modo,
h Or. c.1. §.22. quo Superiores cum ſuis ſubditis (*h*). Si quando autem (quod Deus avertat) egerent abſolutione à reſervatis; olim in abſentia Provincialis, ordinarius quilibet Confeſſarius domicilij poterat eos abſolvere, ſed cum onere ſe ſiſtendi Provinciali (*i*).
i Or. c.6. §. 6.
Poſtmodum, citra ullum onus ſe ſiſtendi, hæc facultas committenda erat à Provinciali uni ex prædictis Confeſſarijs (*l*).
l C. 8. D. 25. §. 2.
Demum conceſſum eſt, ut abſolvi poſſint à quolibet ex Confeſſarijs ordinarijs; & ſi alium quempiam ex ſuis ſubditis malint, cum onere ſe ſiſtendi Provinciali, abſolvi ab eo poſſint (*m*).
m C. 12. Act. 40.

Diſcedere à ſua ſtatione quatenus poſſunt.

7. Nequeunt diſcedere à ſua Domo, vel Collegio, abſque Provincialis facultate; niſi locus eſſet vicinus, aut ſinè gravi incommodo Superioris reſponſum expectari non poſſet (*n*).
n R. Prov. 105.

8. Rectores alijs Rectoribus locum in menſa cedere non oportet; quem tamen Provincialibus, etiam aliarum Provinciarum, deferent. (*o*).
o C.9. Act. 60.

SE-

SECTIO V.

De Obligationibus eorundem respectu Generalis, & Provincialis, & de jure ad Congregationes.

Cum judicatum olim fuerit expedire Catalogum confici eorum, quæ à Superioribus præstanda sunt, ut omnia brevi compendio contenta juvent memoriam (*p*). propterea hac, & consequentibus Sectionibus, singula eisdem agenda perstringuntur: ùt non absimili studio, Provincialium commodo superiùs consultum est.

Catalogus agendorum.

p C. 6. D. 36. §. 1. & In. 18. §. 1.

1. Servabunt igitur Superiores locales subordinationem Obedientiæ, non solùm erga Generalem, sed & Provincialem; juxta cujus arbitrium in omnibus se gerent: & crebra literarum communicatione cum eis utentur, & quoties urgebit necessitas (*q*).

Obedientia, & frequentia literarum.

q P. 4. C. 10. § 5. & P. 8. C. 1. § 4. & L. & P. 9. C. 6. §. 2. & P. 10. §. 9. & C. 6. D. 37. §. 4. & R. Præpos. 21. & Rector. 20. & For. Scrib. §. 9.

2. Ordinariè autem in Europa ad Provincialem scribendum est singulis hebdomadis; ad Generalem verò tertio quoque mense. At in Indijs ad Provincialem, quoties hi judicaverint opportunum; ad Generalem semel in anno; ex Brasilia verò,

Ordinaria scribendi tempora.

r P.8. c.1. L.& C. 2. D. 16. & 54. & C. 3. D. 33. & Fo. Scrib. §. 2. 7. 8.

& nova Hispania bis, si se obtulerit occasio (*r*).

Materia, & methodus.

3. Ex Form. Scrib. in Cod. Reg. p. 159. &c. & In. 9. petendum est argumentum, & methodus harum literarum: & ex Dec. 36. §. 4. Con. 6. formanda sunt aliqua capita, de quibus Superiores, & Consultores eorundem ad Provincialem scribere debeant: eáque ferè desumenda ex ijs, juxta quæ ad Præpositum Generalem scribendum esse præscribitur; & referuntur Ord. cap. 10. Jllud præterea Rectoribus injungitur; ut priusquam ad Provincialem de re aliqua scribant, de ea cum Consultoribus conferant; & quid illi sentiant, Provinciali significent (*s*). Non est permissum literas ad mediatos Superiores scriptas, aut ab eis receptas immediato ostendere (*t*).

s Or. c. 2. §. 10. & In. 9. §. 5.

t Or. c. 4. §. 5.

Literæ annuæ rerum gestarum.

4. Ad literas annuas rerum ad ædificationem pertinentium conficiendas, designandus aliquis in qualibet Domo, seu Collegio, qui earum materiam diligenter investiget, ac colligat, ad Provincialem sub finem cujusque anni mittendam (*u*). Literæ verò annuæ nulli Externo, quavis occasione, communicentur (*x*).

u P. 8. c. 1. §. 9. & M. & C. 2. D. 37. & C. 4. D. 38. & Form. Scrib. §. 26.

x Or. c. 4. §. 11.

Historia cujusque Domûs.

5. Historiam cujusque Collegij, & Domûs

mûs Societatis Romam mitti oportet; & ejus exemplum retineri in quolibet Collegio, vel Domo (*y*).

y Or. c. 1. §. 5.

Catalogi Personarum, & Domorum.

6. Catalogi tres conficiendi ante id temporis, quo Procuratores Provinciarum ad Generalem veniunt: primi duo Personarum erunt; tertius Domorum, seu Collegiorum, juxta Form. in Cod. Reg. pag. 169. & Or. c. 19. (*z*). Præterea, sub finem cujusque anni interjecti, brevis Catalogus mittendus ad Provincialem, cum supplemento primorum duorum Catalogorum (*a*).

z P. 8. c. 1. N. & P. 9. c. 6. §. 3. & C. 2. D. 48. & 54. & F. scrib. §. 32. &c. & Or. c. 19.

a Form. scrib. §. 34.

Libri memoriæ causâ.

7. Plures Libros singuli Superiores habeant, ut eis mandent varia, quorum meminisse oportet. Primus continebit Ordinationes perpetuas, & Visitationes à Generali approbatas, & Responsa P. N. ad quæsita particularia Domûs, vel Provinciæ, non tamen Procuratorum. Secundus continebit Responsa Generalium ad quæsita per Procuratores allata. Tertius complectetur resolutiones casuum difficiliorum, quæ ex Urbe accipiuntur. Quartus excipiet epistolas adhortatorias PP. Generalium, non impressas. Quintus servabit Ordinationes temporarias ex Urbe missas, seu ex Visitationibus approbatis.

 Sex-

Sextus habebit nomina eorum, qui emittunt Vota solemnia, seu simplicia in illa Domo, vel Collegio. Septimus Liber erit consvetudinum approbatarum à Provincialibus; idémque Visitatoribus offerendus, ut eum probent (*b*).

b P. 5. c. 3. §. 4. & c. 4. G. & R. Præp. 12. & Rect. 11. & Or. c. 8. & In. Vis. §. 9. & R. Prov. 135.

Jus ad Congregationes.

8. Præpositi Domorum Professarum, & Rectores, etiamsi Collegiorum tantùm inchoatorum (non autem Seminariorum pro Externis) habent jus ad Congregationem Provincialem eundi, aut alios, ex sibi subditis Sacerdotibus, loco sui mittendi (*c*). A duobus etiam Præpositis, vel Rectoribus uniuscujusque Provinciæ in Europa, quatuor Votorum Professione antiquiorum, exquiri debent suffragia in casu impotentiæ Generalis, ùt in Decr. 29. Congr. 8.

c P. 8. c. 3. §. 1. & c. 5. §. 3. & C. 5. D. 81. & C. 9. D. 18. & Fo. Con. Prov. §. 4. & 10.

SECTIO VI.

De Cura Nostrorum in Spiritu, & Disciplina Domestica.

Obedientia exigenda.

1.

CUrent, ut cuique sua obedientia præstetur (*d*). Intercessionum externarum auctores, & qui conscij silentio eas premunt, puniantur (*e*). Domesticæ etiam non facilè à quolibet admittendæ, præsertim in gratiam Scholasticorum (*f*).

d R. Præp. 21. & Rect. 20. & P. 4. c. 10. §. 8. & Ex. c. 4. §. 31. & P. 3. c. 1. §. 24. & P. 10. §. 9.

e C. 7. D. 20.

f Or. c. 4. §. 12. & In. 7. §. 3.

2. Dent

2. Dent operam, ut Constitutiones, & Regulæ observentur (*g*). Cui executioni juvandæ habeant præ manibus Catalogum rerum à se agendarum (*h*); & accuratè perpendant quæ ad executionem urgendam Decr 36. 37. Con. 6. & In. 18. & Cl. c. 1. 2. proposita sunt, & recitantur inferiùs cap. 6. hujus Partis. *Executio urgenda.* *g* P. 4. c. 10. §. 5. & R. Præp. 22. & Rect. 21. *h* C. 6. D. 36. §. 1.

3. Omnibus Domesticis cum omni sollicitudine invigilent (*i*). Si quid noverint paternâ denunciatione, observent constituta Decr. 33. Congr. 6. & Ord. c. 15. Falsos verò Delatores, & Detractores coërceant, & puniant; & innocentem à delicti suspicione liberent, ùt præscriptum est Decr. 12. Cong. 7. & Decr. 18. Cong. 12. *Vigilantia.* *i* P. 3. c. 1. §. 16. & P. 4. c. 10. §. 5. & R. Præp. 22. & Rect. 21. & Cl. c. 1. tit. 1. §. 1.

4. Efficiant, ut sibi, vel alijs Deputatis ratio conscientiæ reddatur, juxta Regulas (*l*). In ea verò maximoperè sibi injunctum sciant, gravissiméque præscriptum; nè hac notitia ità utantur, ut subditorum animi offendantur: nihil omnino cuiquã, ac nè ipsi quidem Generali, seu Provinciali innuendo (*m*). Inquirant quàm frequenter cum Patre Spirituali agant (*n*). *Ratio conscientiæ reddenda.* *l* Ex. c. 4. §. 34. 35. 36. & 39. & P. 3. c. 1. §. 12. & P. 4. c. 10. §. 5. & P. 6. c. 1. §. 2. & Inst. ad red. & Reg. Præp. 23. Rector. 22. & Inst. 11. & Inst. 13. c. 2.

m C. 12. D. 15. & Ord. c. 1. §. 17. & inst. 11. §. 2. 3. & In. 13. c. 2. §. 2.
n Ord. c. 2. §. 6.

Exercitia Spiritualia, & Renovatio.

5. Dent operam, ut omnes quotannis vacent Exercitijs ſpiritualibus per octo dies; exemplóque ipſi præeant; tempúſque ſingulis opportunum attribuant; nec in eis ipſi poterunt diſpenſare (*o*). Curent, ut, qui renovaturi ſunt vota, triduo antè ſe colligant, juxta inſtructionem (*p*). ùt expoſitum eſt ſuprà Par. 2. cap. 4. ſect. 3.

o C. 2. D. 29. §. 2. & C. 7. D. 25. §. 4. & C. 8. D. 38. §. 1. & Or. c. 4. §. 20. & In. 13. c. 1. §. 4. & Cl. c. 3. §. 3.

p P. 4. c. 4. §. 5. & D. & P. 5. c. 4. §. 6. & H. & C. 4. D. 55. & C. 6. D. 29. §. 1. & C. 7. D. 77. & Inſt. 17. §. 7. & R. Præp. 24. & Rect. 23.

Confeſſariorum deſignatio.

6. Occaſione hujus Renovationis aliquos maturiores Patres aſſignent (niſi Provincialis adſit) qui Confeſſiones generales excipiant, Profeſſorum quidem, & Coadjutorum formatorum ſemel in anno, aliorum bis (*q*), ùt expoſitum ſuprà Par. 2. cap. 4. ſect. 3. Et ſi poteſtatem habent deſignandi Confeſſarios ordinarios, non eos conſtituent ſinè approbatione Provincialis (*r*). Neminem ex ſuis ſubditis poſſunt cogere, ut ſibi confiteatur. Excipiuntur Magiſtri Novitiorum, & quando ſubditi peccatum reſervatum adminiſerunt (*ſ*). Notitiâ per Confeſſionem habitâ extra eam non utantur, etiam cùm id fieri poteſt, ſalvo Confeſſionis ſigillo (*t*).

q R. Præp. 23. Rect. 22. & R. Prov. 131. & C. 12. D. 16.

r P. 3. c. 1. §. 11. & R. Præp. 8. Rect. 7.

ſ Ord. c. 5. ex Decr. Clemen. VIII. cum ejus diſp. & Breve Urb. VIII. m. ſ. 31. Aug. 1635.

t Inſt. 5.

Peccatorum reſervatio, & frequentia Sacramentorum.

7. Non poſſunt reſervare ſibi peccata, cùm id ſpectet ad Congregationem Gene-

neralem (*u*). Sed eis permittitur determinare pœnitentias graves aliquibus peccatis, etiam non reſervatis, imponendas à Confeſſarijs (*x*). At in abſolutione impartienda Reſervatis, ſervent quæ habentur. cap. 6. Ord. & Decr. 25. Con. 8. & Decr. 17. Con. 12. Omnes ad Sacramenta Confeſſionis, & Communionis accedant octavo quoque die (*y*). Ut intrà hebdomadam communicent, faciliùs diſpenſandum cum non Scholaſticis (*z*).

u Or. c.5. tit. 1. §. 3. & C. 5. D. 32. & For. Con. Prov. §. 43.

x Or. c. 5. tit. 1. §. 7.

y Ex. c. 4. §. 25. & P. 3. c. 1. §. 11. & P. 4. c. 4. §. 3.

z P. 4. c. 4. B. & R. Rect. 34.

Exhortatio publica.

8. Singulis, vel alternis diebus Veneris exhortationem ipſi facient, vel aliquis alius noſtri Inſtituti bene intelligens; tametſi ſpiritualis collatio ejus loco haberi poteſt (*a*).

a R. Præp. 25. Rect. 24. & P. 3. c. 1. §. 21. & 28. & Cl. c. 3. §. 1.

Et privata, cũ ſignificatione charitatis.

9. Crebrò, & magna caritatis ſignificatione, alloquantur ſubditos; eorúmque neceſſitatibus non corporis modò, ſed multò magis animæ, paternè proſpiciant (*b*); & Coadjutores ſemel ſaltèm in hebdomada alloquantur: & per ſe etiam collationem cum his habeant (*c*). Hóſq; non permittant ſolos exire, nec à ceteris contemni, nec nimiùm à Miniſtro urgeri (*d*).

b P. 3. c. 1. §. 1. &c. & P. 4. c. 10. §. 5. & Re. Præp. 26. Rect. 25. & Cl. c. 1. §. 1.

c Or. c. 2. §. 16. & In. 8. §. 1. 2. & C. 7. D. 80. §. 19.

d In. 8. §. 3. 4. 5.

Pœnæ infligendæ.

10. In Correctionibus, & pœnitentijs injungendis rationem habebunt diſpoſi-

tionis Personarum, & ædificationis; & ut admonitio in caritate præcesserit (*e*). Pœnitentias autem ordinarias tantùm possunt imponere, quæ indicantur in Regulis(*f*): & præterea eos, qui id mereri videbuntur, incarcerare, non autem excommunicare (*g*).

e R. Præp. 27. 28. 29 & Rect. 26. 27. 28. & Ex. c. 1. §. 6. & P. 3. c. 1. §. 15. & N. & In. 18. §. 10. & Cl. c. 1.

f R. Præp. 10. Rect. 9.

g Paul. III. p. 4. & Comp. Priv. V. Corr. §. 2.

Concedenda.

11. Poterunt mittere extra Domum aliquem ex suis ad consveta Humilitatis, & Caritatis experimenta (*h*), & delegare facultatem approbandi pœnitentias, & frequentiorem communionem (*i*). Usus autem pœnitentiarum secretarum excitandus privatis, & publicis adhortationibus (*l*).

h R. Præp. 30. Rect. 29. & Ex. c. 4. § 27. & P. 6. c. 2. §. 10. & P. 7. c. 2. E. & c. 4. §. 9.

i R. Præp. 31. & Rect. 30. & Ex. c. 1. C. & P. 6. c. 1. §. 1. & A.

l In. 13. c. 6.

Iejunia extraordinaria.

12. Cùm quolibet anni tempore jejunia cum delectu ciborum, more Ecclesiastico, & abstinentias concedere possint Superiores, in Adventu faciliores esse convenit: déntque operam, ut omnes intelligant ad singularitatem non pertinere, si quis jejunet, alijs non jejunantibus (*m*).

m R. Præp. 32. Rect. 31. & Ex. c. 1. §. 6. & C. 1. D. 96 & C. 5. D. 27. & C. 6. D. 9.

Charitas mutua fovenda.

13. Unio, & conformitas mutua diligentissimè curanda est; nec ferenda inter domesticos perturbatio ulla, vel ira mutua: si quid autem hujusmodi accideret; curent, ut statim in gratiam invicem redeant (*n*). In vitia lingvæ seriò advigilent;

n R. Præp. 33. Rect. 32. & P. 3. c. 1. §. 18. & P. & P. 8. c. 1. § 8. & K & c. 6. § 8. & R. Min. 13.

lent; & gravari conſcientiam ſuam intelligant, ut Auctores diligenter inquirant, quò ſeverè puniantur. Qui verò Auctores ipſos manifeſtare recuſaverint, pro ipſis habeantur (*o*).

o Or. c. 2. §. 12. & Inſt. 13. c. 4. §. 1. 2. & C. 7. D. 12. & C. 12. D. 18. 19.

Epiſtolæ videndæ, & quatenus permittendæ.

14. Videant per ſe, vel per alium ſcripta, & literas omnes, quæ ſcribuntur ad domeſticos, & quas ipſi alijs ſcribunt: nec ſigillũ quemquam habere ſinant, abſque Provincialis facultate (*p*). Nimia etiam literarum miſſio compeſcenda; nec ferendum, ut de ſecularibus negotijs, aut inutilibus Noſtri ſcribant, formámve locutionis aulicam conſectentur: ſed tum materia, tum modus ædificationi ſit (*q*).

p R. Præp. & Rect. 35. & Ex. c. 4. § 6. & P. 3. c. 1. B.

q Or. c. 4. §. 4. & In. 13. c. 4. §. 3.

Nec vana, nec ſupervacanea permittantur.

15. Non ſint domi arma, nec inſtrumenta muſica, nec libri laſcivi, aut vani; nec novæ ullæ recreationes introducantur (*r*). Libri veterum non expurgati nullis Scholaſticis, Magiſtris verò, nonniſi maturis permittantur: cautè etiam permittendi libri ſpirituales parùm conformes noſtro Inſtituto (*ſ*). Non permittant Superiores quemquam in cubiculo duplices veſtes, inſtrumenta itineris, & ſimilia habere, aut libros *ad uſum* inſcriptos, eóſve aſportare (*t*).

r R. Præp. & Rect. 36. & P. 3. c. 1. §. 14 & M.

ſ P. 4. c. 5. §. 4. & E. & c. 14. §. 2. & Ord. c. 2. §. 1.

t P. 4. c. 6. G. & Or. c. 4. §. 15. & In. 1. §. 8. & R. com. 8. & C. 7. D. 80. §. 3. & In. 1. §. 5. & R. Cuſt. V. §. 5.

16. Ni-

Alia circa paupertatem.

16. Nihil admittant, quo noſtra Miniſteria compenſari videantur, & cujuſcunque Superioris hoc in genere diſpenſatio, non modò illicita eſt, ſed & invalida (*u*). Admittent igitur ſolùm quæ donantur nomine eleemoſynæ, & ſecluſo omni alio reſpectu (*x*). Vitent omnia, quæ ſpeciem habent ſecularis negotiationis (*y*). Nulli ex noſtris detineantur in Domibus, ſeu Collegijs, hoc ſolo nomine, quòd ſolvant pro alimentis ſuis (*z*). Depoſita pecuniaria Noſtrorum (quæ raró permittenda) ſerventur penes totius Domûs Superiorem (*a*). Vigilent, nè quid inducatur adverſum perfectioni Paupertatis: propterea neceſſaria provideant; & ipſi Patréſque reliqui graviores exemplo præluceant (*b*).

u Jul.III. p.61. & C.5 D.29.& C. 12. D.39.

x C.12. D. 40. & Or.c.1.§.14.

y C.2. D. 61.& C. 7. D. 84.

z C. 8. D. 39.

a C. 12. D.42.

b Ex. c 4. §. 26. & P. 3. c. 1. §. 25. & V. & C. 12. D.43. & In. 1. §. 4.

Pietas erga moribundos, & mortuos.

17. Cum graviter ægrotantibus, & vitâ functis pia obſequia, & ſuffragia curent (*c*). Et ſi peregrè aliquis obierit, Superior propinquior eadem præſtabit; & monebit Præpoſitum Provinciæ, ad quam ille mittebatur (*d*).

c P. 6. c.4. §. 1. 2. 3. & A.B. C.

d Or. c. 2. §. 3.

Peculiaria erga Scholaſticos.

18. Prædicta tam à Præpoſito, quàm à Rectore curanda ſunt. At peculiaria quædam pro Scholaſticis Rectori præſcribuntur: nempe, ut, vel ipſi Præceptores, nedum

dum Confessarij, ad mores eorum juvandos apti sint (*e*). Ut coërceantur à nimia familiaritate cum Externis per colloquia, & literas (*f*). Abstineantur à familiaritate, & patrocinio Patrum antiquiorum (*g*). Juvandi usu pœnitentiarum, & Orationis præsertim, qui laxati sunt (*h*). Assvefiant indifferentiæ, & simplicitati Religiosæ (*i*). Regulæ eorundem bis, aut ter in Refectorio, singulis annis, legantur (*l*). Circa Juniorum segregationem à reliquis Collegialibus, executioni mandet, quæ à Decr. 16. Con. 6. & Or. cap. 13. præscribuntur; & relata sunt Par. 2. cap. 4. sect. 1.

e Inst. 7. §. 1.
f C. 6. D. 40. §. 1. 2. & In. 7. §. 2. & In. 17. §. 1. & 6.
g In. 7. §. 3. & In. 17. §. 2. 3.
h In. 7. §. 4.
i In. 7. §. 5. & In. 13. c. 8. & Cl. c. 6. §. 4.
l P. 4. c. 10. L. & C. 2. D. 66. & R. Rect. 43.

SECTIO VII.

De Auxilio Animarum procurando.

I.

MEminerit Præpositus in Domibus Professis præcipuè elucescere debere puritatem nostri Instituti; cujus scopus est ad animarum salutem incumbere (*m*). Strenuam operam Nostrorum ad eum adhibeat; & si immoderati labores non permittendi, multò minùs negligentia toleranda (*n*). Rector, juxta Provincialis præscriptum, tantum debet curare

Dispar ratio Præpositi, ac Rectoris.

m P. 3. c. 1. §. 27. & P. 7. c. 1. §. 1. & R. Præp 37.
n R. Præp. 38. & In. 4. §. 3.

ut

ut Ministeria prædicta à Nostris exerceantur, quantum commodè fieri potest: nominatímq; ministerium doctrinæ Christianæ commendatum habeat (*o*). At in ijs locis, ubi est Domus Professorum, in Collegio id usurpandum, quod ad excolendos Scholasticos sat est (*p*).

o P. 4. c. 10. §. 10. & R. Rect. 66.

p P. 3. c. 1. §. 27. & R. Prov. 101.

Quid curandũ circa Conciones & Concionatores.

2. Proponatur assiduè in Ecclesia verbum Dei in prædicationibus, & Sacræ Scripturæ, vel Doctrinæ Christianæ lectionibus; quod in alijs etiam Ecclesijs, plateis, & locis præstari potest (*q*). Cum Concionatoribus non dispensent in jejunio Quadragesimali, inconsulto Provinciali: in victu verò, & vestitu eorundem singularitates minimè concedantur (*r*). Observent, quæ circa eleemosynam Concionatoribus offerri solitam statuta sunt, ut nè quid ultra necessarias expensas sumatur; & si, quod superest, adhuc recusantibus obtruditur, in bonum cedat Domus, aut Collegij (*s*).

q P. 7. c. 4. §. 6. & E. & Rc. Præp. 39.

r In. 2. §. 9. & Or. c. 1. §. 15.

s C. 12. D. 40.

Quid cum Confessarijs.

3. Procurent, nè desint designati Sacerdotes, & Confessarij, qui Domi, forísque Proximis præsto sint ad omnia munia nostri Instituti (*t*). Constituantur Syndici, qui observent num Confessarij transgrediantur ordinationes officij sui (*u*).

t P. 7. c. 4. §. 5. & R. Præp. 40. 41. 42. 43. & Rect. 6. & In. 3. & In. 4. §. 3.

u In. 3. §. 5. & In. 15. c. 2. §. 7.

4. Po-

4. Poterunt suos mittere ad alia loca vicina, habito consensu Provincialis, ut breves ibi Missiones fiant; nec omittendæ menstruæ Confessariorum, quin & per hebdomadam. Curent etiam aliquando fieri conferentias de modo juvandi proximos (*x*).

Quid præstandum circa Missiones.

x R. Præp. 42. & In. 3. §. 10. & In. 4. §. 3. & In. 15. c. 2. §. 8.

5. Si quem ad Sacros Ordines promovendum, aut in Confessarium, vel Concionatorem esse eligendum videbitur, Provincialem admoneant (*y*); & servent, quæ in hujusmodi promotionibus notantur superiùs Par. 2. cap. 4. sect. 4.

Et Ordinandos.

y P. 4. c. 9. §. 3. & R. Præp. 45. & Rect. 44.

6. Remedium adhibeatur, si quis, frequentans apud nos Sacramenta, moribus suis alios offenderet (*z*).

Scandalosi non tolerandi.

z R. Præp. 46.

7. Curam quarumcunque mulierum à nullo suscipi permittent: licebit tantùm aliquando apud eas concionari, & semel unius Monasterij Confessiones audire, ídque petentibus illarum Præsidibus (*a*).

Mulierum cura vitanda.

a P. 6. c. 3. §. 5. & Paul. III. p. 44. & C. 7. D. 56. & C. 8. D. 11. & R. Præp. 47. & Rect. 68.

SECTIO VIII.

De Ordine Domestico.

1.

QUotidie post orationem matutinam fiat Sacrum, cui omnes intersint (*b*). In Collegijs, quando Nostri ad Sacram Com-

Ordo spiritualium exercitationum.

b P. 4. c. 4. §. 3. & R. com. 2. & R. Præp. 49. & Rect. 45.

Communionem accessuri sunt, præsertim diebus Dominicis, in Ecclesia id faciant, separati tamen ab Externis (*c*). Singuli in oratione, & examine visitandi; & aliquando etiam à Ministro, & Rectore (*d*).

c R. Rect. 46.

d C.7.D.25.§.1. & R. Præp 50. & Rect. 47. & In. 13. c.1. §. 1.

Somni spatium.

2. Octo, ut minimùm, horæ intersint à posteriori prandij signo ad cœnam; aliquid ampliùs ad refectiunculam locò cœnæ; septem verò à tempore, quo se cubitum Nostri receperunt, ad signum, quo excitantur: erit tamen cum aliquibus rationabili dispensationi locus (*e*).

e P.3. c. 2. §. 2. & B.& E. & P. 4. c.10. §. 9. & I. & R. Præp. 52. & Rect. 50.

Mensæ norma.

3. Benedictio, & gratiarum actio fiant juxta ritum Romanum in prima mensa: nam in privata, & secunda retineri potest antiquior, breviórque (*f*). In mensa Sacerdotes præcedant non Sacerdotes; inter hos verò, illósve nullus ordo constituatur (*g*). Si aliqua de causa Præpositus, aut Rector primæ mensæ adesse non poterit, curet ut Minister adsit (*h*).

f P.3.c.1. §.5 & C. 1. D. 99. & C. 4. D. 60.& R. Præp. 53. & Rect. 51.

g C. 1. D. 106. & R. Præp.54. & Rect. 52.

h R. Præp. 55. & Rect. 53.

Recreatio ordinaria.

4. A prandio, & cœna hora una honestæ recreationi impendatur; dimidia verò post collationem vespertinam, ídque uno in loco: neque unquam nimis labores producendi, sinè convenienti relaxatione (*i*). Ut ea verò Recreatio religiosè transigatur,

i P.3.c.2. §.4.& D. & R. Præp. 56. & Rect. 55.

gatur, Superiores summopere adnitantur (*l*). Curabit præterea Rector, ut omnes, præter eos, quos ipse exceperit, horæ quadrantem ante prandium, vel cœnam corporis exercitationi tribuant (*m*).

l C. 6. D. 6. & In. 13. c. 9.

m P. 3. c. 2. §. 4. & R. Rect. 49.

Extraordinaria.

5. Idem curet, ut diebus vacationum, cùm cœnatur in Villa, per unam, vel alteram horam, Nostri se colligant orando, si manè non oraverint, vel studendo. Quod si manè quacunque ex causa, in Collegio se continuerint, non fiat recreatio, sed à prandio tantùm, per tres horas, vitato strepitu (*n*).

n C. 6. D. 40. §. 7. & 9. & Or. c. 2. §. 15.

Silentium, & Disciplina.

6. Seriò etiam incumbant in Reg. com. 26. de silentio observationem, executionémque eorum, quæ habentur in Instructione ad Superiores (*o*). Syndicus Domi per Superiores constituatur, ubi Ministri, aut Subministri opera satìs non sit; qui observet, & referat, & præterea Syndici particulares in classibus adhibeantur (*p*).

o In. 13. c. 3. & Cl. c. 3. §. 9.

p P. 3. c. 1. §. 16. & P. 4. c. 6. §. 15. & c. 10. §. 7. & c. 17. §. 7. & R. Præp. 51. & Rect. 48. & St. R. Prof. sup. 19. & R. Bid. 7.

Decreta, & Regulæ Societatis publicè legenda.

7. Singulis annis prælegendus in mensa Catalogus eorum, quæ sub gravi culpa, vel pœna in Societate præcipiuntur, vel prohibentur (*q*). Demum singulis mensibus Summarium Constitutionum, Regulæ communes, Catalogus Missarum,

q C. 8. D. 21.

& Orationum Nostris præscriptarum, & Epistola S. P. N. de Obedientia audienda, & Scholasticorum Regulæ bis, aut ter singulis annis(*r*). Regulæ Modestiæ, Monita Generalia, & Regulæ Coadjutorum temporalium legi publicè consveverunt bis, quolibet anno.

r P.3. c. 1. §. 28 & P.10. §. 13.& P. 4. c. 10. L.& R. com. 49. & C. 2. D. 66.

SECTIO IX.

De Literarum Studijs.

Collatio casuũ.

I.

HAbeatur collatio Casuum conscientiæ qualibet hebdomada, bis in Domo Professa, semel in Collegijs; à qua Superior ipse, non nisi raro, & graves ob causas, absit (*s*).

s P.3. c. 1. X. & C.9.D.8. & C. 13. D. 17. & R. Prov. 57. & St. R. Prov.13.14. 15. & Prof. cas. 7.8. 9.10. & In. 20. §. 6.

Censura opinionum, & librorum.

2. Curetur, nè laxas in moralibus opiniones Nostri doceant(*t*). Párque sit studium, nè ab ullo è Nostris quidquam typis vulgetur, sinè facultate (*u*).

t Ex. c. 3. §. 11. & P. 3. c. 1. O. & C. 11. D. 22. & C.12. D. 28. & C. 13. D. 18.

u C.11. D.18.

Studiorum initia, & finis.

3. Rector, nec ad inchoanda, nec ad mutanda studia aliquem promovere potest, inconsulto Provinciali (*x*). Sub finem studiorum cujusque, Provincialem de singulorum talento, & profectu admoneat (*y*).

Instructio ad Conciones, & Scholas.

4. Studeat executioni eorum, quæ præscripta sunt de Concionibus Domesticis,

x R. Prov. 49. &c. & St.R.Prov.6. &c. & R.Rect.37. & St. R. Rect.24.

y P.4. c.9. §. 3. & R. Rect. 37. & 44.

cis, & Tonis (*z*). Deligat unum dicendi peritum; ad quem ſub finem ſtudiorum, ter in hebdomada per horam, futuri Magiſtri ab eo inſtruendi, conveniant (*a*).

5. Ordinem conſtituat examinandorum Metaphyſicorum, auditis Præfecto, & Magiſtris (*b*). Ipſius erit, adhibito Præfecto, conſtituere Examinatores Claſſium inferiorum; & ut in reliquis etiam Externi, ſuis quiſqe in claſſibus, collocentur (*c*).

6. Adeat interdum Scholas, etiam inferiores; & frequenter interſit diſputationibus, tum privatis, tum publicis (*d*). Non committat, ut in inſtauratione ſtudiorum publica oratio habeatur ab alio, quàm à Magiſtro aliquo inſigniore (*e*).

7. Domi lingvæ latinæ uſum inter Scholaſticos diligenter conſervandum curet, etiam dum ad Noſtros ſcribunt. Bis præterea, aut ter in anno omnes carminum aliquid condant, affigántque (*f*). Et interdum à noſtris Rhetoribus orationes, aut Poëmata Latinè, vel Græcè, tum in aula, tum in menſa habeantur (*g*).

z P. 3. c. 1. §. 5. & 21. & P. 4. c. 8. §. 3. & B. & c. 7. D. 80. §. 6. 7. & R. Rect. 54. & 56. & In. 2. §. 3. 4. 5.

a St. R. Rect. 9.

Examina Studioſorum.

b C. 8. D. 37. §. 6. & St. Reg. Præf. 20.

c P. 4, c. 5. §. 2. 3. & D. C. & c. 13. §. 4. & E. & c, 15. §. 1, & A. & c. 17. §. 2. & St. R. Rect. 12. & R. Præf. inf. 18.

Viſitatio Scholarum, & Oratio ante ſtudia.

d P. 4. c. 6. §. 9. & St. R. Rect. 3.

e St. R. Rect. 15.

Latinæ linguæ exercitamenta.

f P. 4. c. 6 §. 13. & G. 13. §. 3. & St. R. Rect. 8. & R. com. 10. & R. Schol. 10. & In, 20. §. 4.

g P. 4. c. 6. §. 13. & St. R. Rect. 11.

SECTIO X.

De ijs, quæ pertinent ad res temporales.

1.

Vigilantia in conservandis.

RECtoris (& proportione servata etiam Præpositi) erit res temporales sibi creditas administrare, & conservare, juxta facultates sibi traditas. Singulis mensibus rationem exigat à Procuratore, præsente Ministro; & examinet, an plus absumptum sit, quàm usus ferat(*h*). Certis temporibus nomina debitorum inspiciat; intelligat quantum rerum comestibilium consumptum sit; neque omnia examinanda ad finem anni reservet (*i*),

h P.4. c.2. §.5. & c.10. §.5. & P.9. c.3. §.3. 4. & C. & Inst. temp. tit. 2. §. 9. & R. Præp. 60. & Rect. 57.

i In. temp. tit. 2. §. 9.

Studium Paupertatis, & Charitatis in distribuendis.

2. Vita communis incolumis conservanda: & propterea in victu, vestitu, cubiculíque supellectili, aliísque necessarijs uniformitas, tam Superiorum cum inferioribus, quàm horum ad invicem retinenda: eáque omnia, ùt Superiores suppeditare tenentur, ità facultatem non habent permittendi, ut aliâ viâ sibi à subditis conquirantur (*l*). At missa cuipiam particulari in communem usum dispensentur(*m*). Peculiariter Domibus Professis, præscribitur curandum; ut vita communis quidem illa sit, & valetudini Nostro-

l C.12. D.43.

m R. Præp.64. & Rect. 60.

ſtrorum accommodata; ſed habendam tamen ſemper eſſe rationem Humilitatis, Paupertatis, ac ſpiritualis ædificationis (*n*). In Collegijs Rector curet, ut quamvis ſit, in quo probetur virtus, non deſit tamen quo ſuſtentetur natura; & cum Scholaſticis approbatis in ijs, quæ ad veſtitum attinent, magis quàm cum ijs qui probantur, exterioris decentiæ ratio habeatur (*o*). Utrobique verò, juxta circumſtantias perſonarum, diſcretioni Superiorum relinquitur, ut plus minúſve provideant (*p*).

n P.6. c.2. §.16. & N. & Reg. Præp. 61.

o P.3. c.2. §.3. & C. & P. 6. c. 2. N. & R.Rector. 58. & In. temp. tit.2.§.4.

p P.3. c.2. §.3. & P. 6. c. 2. N. & R. Præp. 61. & Rect. 58.

Præſertim erga Infirmos.

3. Morbo, ætate, aut laboribus obruti ſubleventur, etiam adhibito fraternæ caritatis miniſterio; nulli tamen peculiares Coadjutores aſſignandi in ſocios, cetera immunes (*q*). Ægrotorum cura habeatur magna, juxta præſcriptum Medici (*r*).

q R. Præp. 62. & C. 7. D. 29.

r P.3.c.2.§.6.& G. & R. Præp. 63. & Rect. 59.

Cautela in ſervanda Paupertate Societatis.

4. Caveant, nè reditibus Collegiorum, Domus Profeſſorum, aut aliquis eorum, vel Coadjutorum formatorum utatur, præterquam Conſtitutiones, & Decreta permittunt (*ſ*). Et in admittendis donis eas cautiones adhibeant, quas præſcribunt Conſtitutiones P. 4. c. 2. §. 6. juxta explicationem Con. 3. Decr. 25. & Con.

ſ Ex. c. 1. §. 4. & P.4.c.2. §.5. & F. & c. 10. §. 1. & P. 6. c. 2. §. 3. & C. D. & P. 10. §. 5. & Paul.III. p.14. & Jul. III. p. 66. & 77.& C. 6. D.18. & Re.

Prov.74. & R. Præpos. 65. & Rect.61. Con. 8. Decr. 59. & Ordin. Gen. cap. 1. §. 14.

Obligationibus ad opera pia satisfiat.

5. Commendatur omnibus, tum Rectoribus, tum Procuratoribus, ut peculiarem habeant curam Ecclesiarum, quæ pertinent ad Beneficia Collegijs unita; & ut alia eorundem Beneficiorum onera, præsertim si quæ ad Xenodochia, & pauperes spectent, diligenter inquirant; alijsque id genus pijs obligationibus cumulatè satisfaciant: certi Divinam providentiam non defuturam ijs, quibus ea, quæ ad Deum pertinent, cordi fuerint (*t*).

t In. temp. §. ult.

Reliquiæ Sanctorum non distrahendæ.

6. Interdictum est omnibus omnino Superioribus, nè quidquam ex Sanctorum Reliquijs, quæ nostris Domibus, aut Collegijs sunt applicatæ, largiantur (*u*).

u C. 7. D. 28.

Dependentia Provinciali.

7. Lites declinent, & inconsulto Provinciali nullam intentent (*x*). Distributio bonorum, expensæ extraordinariæ faciendæ, ut ædificando, & similes, & contractus ineundi, & si quid donatur, cum aliqua conditione, referantur ad Provincialem (*y*). Et servetur formula in contractibus celebrandis. De qua Ord. Gen. cap. 20. Eundem Provincialem consulat Præpositus, si quid stabile relictum Domui fuerit (*z*).

x C. 2. D. 55. & R. Prov. 77. & Præpos. 67. & Rector. 62. & Proc. 16.

y C. 7. D. 17. & Or. c. 2. §. 9. & Inst. temp. tit. 2. §. 8. & Reg. Rect. 63.

z P. 6. c. 2. §. 5. & E. & R. Præpos. 66.

8. Cùm

8. Cùm Superior defungitur suo officio (quod & Procuratori præstandum est) Successori, & Ministro rationem domesticæ œconomiæ reddat; & suo chirograpo signet quantum acceperit, quantum Successori tradat; atque etiam Successor sua manu confirmet, si rem ità se habere deprehenderit: quorum Computorum exemplum ad Provincialem trasmittendum. Forma autem id præstandi est eadem, quæ à Provincialibus exigenda præscribitur in Inst. temp. tit. 1. §. 19. (*a*).

Successori reddenda ratio dati, & accepti.

a C. 8. D. 60. §. 4. 5. & Inst. temp. tit. 2. §. 1. & 9.

SECTIO XI.

De modo agendi cum Externis, & de ijs, qui ad nos divertunt.

I.

MUlieres invisere, aut ad eas scribere raro, & viris tantùm probatis permittant (*b*). Sedulóque curent, nè quæ de Socio præsente, toties, & gravissimè commendata sunt, negligantur: & quamvis hac super re universim præceptum non sit impositū; tamen alicui particulari, qui eo fræno indigebit, poterit, ac debebit Superior id imponere (*c*). Quæ distinctiùs exposita suprà Par. 4. cap. 2. sect. 2. Fœminæ etiam non permittantur ingredi domos nostras (*d*).

Mulierum colloquia vitanda.

b R. Præp. 72. & Rect. 70. & Or. c. 1. §. 9.

c C. 6. D. 43. & Or. c. 4. §. 3. & In. 3. §. 7. & In. 15. c. 2. & R. Sac. 18. & Coad. 5.

d P. 3. c. 1. §. 14. & R. Præp. 73. Rect. 72.

Nec qualibet consuetudo cũ Viris permissa.

e P. 6. c. 2. §. 9. & R. Præp. 74. Rect. 72.

f R. Præp. 76. Rect. 74.

g P. 6. c. 2. §. 9. & R. Præp. 75. Rect. 78.

2. Visitationes primariorum Virorum non frequentandæ; nisi gravis causa subsit (*e*). Quam etiam intercedere oportebit, ut nostri cibum capiant apud Externos; aut ut ab eis, cùm ægrotant, visitentur; aut ut ex ijsdem aliquis ad nostram mensam, præsertim Refectorij, invitetur(*f*). At nunquam liceat munusculis captare Magnates (*g*).

Sed de omnibus bene merendũ.

h P. 4. c. 10. C. & P. 10. B. & R. Præpos. 77. Rect. 75.

i P. 4. c. 1. & Reg. Præp. 78. Rect. 76.

3. Amici verò conservandi, & placandi, si qui sunt infensi, orationibus ad Deum, & rationibus apud ipsos convenientibus, præcipuè si homines sint non vulgaris auctoritatis (*h*). Ratio potissimùm habeatur eorum, quæ erga Fundatores, & Benefactores statuta sunt; & si quam aliam obligationem Domus habet, ei satisfiat (*i*). Servanda erga Benefactores enumerata sunt Par. 2. cap. 1. sect. 2. & P. 3. cap. 6. sect. 1.

De ijs, qui admitti petunt.

l P. 1. c. 1. §. 2. & A. B. & R. Præpos. 79. 80. Rect. 77. 78.

4. Sinè speciali commissione neminem in Societatem admittent: sed ad Provincialem referent eorum, qui petunt, dotes. Poterunt tamen valde idoneos, aut ad eundem mittere, aut tanquam hospites domi recipere (*l*). Dimissum pariter à Societate, & qui sinè licentia, & ab alio ejus domicilio discesserit, vel non admit-

tant,

tant, vel ùt Hoſpitem apud ſe, alióſve detineant, dum Provincialis ſuper eo quid juſſerit (*m*).

m P.2. c. 4.§.1. & A.& R.Præpoſ. 81. Rect. 79.

De Hoſpitibus noſtris, Externiſque.

5. In compenſationem hoſpitij nihil, licèt ultro oblatum, admittant; niſi longior fuiſſet mora: námque hanc compenſari à Superioribus, qui hoſpites miſerunt, æquum videtur (*n*). Externi porrò non excipiantur ad pernoctandum, ſinè gravi cauſa; habeatur tamen præcipua ratio Religioſorum (*o*).

n C. 7. D. 18.

o R. Præp. 83. Rect. 81.

De ijs, qui foras mittuntur.

6. Egredienti domo Socium adjungant; nec ſolum mittant, niſi eum, cui præcipuè fidant (*p*): neminem autem ad alium locum ſinè literis patentibus (*q*); & quin Superior, ad quem aliquis mittitur, informetur (*r*). Provincialis etiam monendus, ſi quis propter valetudinem, aut aliam cauſam mutandus loco videatur (*s*). At profecturis ſua interiora indumenta, & ſottana reliquenda, inſtruendíque omnibus ad iter neceſſarijs. Sed hæc paranda eorum ſumptibus, quorum gratiâ iter ſuſcipitur (*t*). Demum illi, de quorum dimiſſione à Societate agitur, nullo modo interea loci exponantur in publicis Miniſterijs (*u*).

p P. 3. c. 1. §. 3. & R. Præp. 84. Rect. 82.

q R. Præp. 85. & Rect. 83.

r R. Prov. 117. & Or. c.12.§.9.

s P.3. c.2. G.& R. Præp. 86.& Rect. 84.

t R. Præp. 87. & Rect. 85.

u Or.c.12.§.10.

CAPUT IV.

De Officialibus Superiori necessarijs, & modo agendi cum illis.

Officiales idonei curandi, & fovendi.

AD bonam Domûs gubernationem Superiores locales suis Officialibus pluribus, & paucioribus, pro momento rerum ipsis commissarum, sublevari debent; quos idoneos esse oportet, suísque Regulis instructos (*a*). Cum illis hæc in universum Superioribus servanda esse statuitur. 1. Nè se in illorum officium ingerant. 2. Ut prospicere illis de necessario subsidio debent, ità curare, nè otientur, sed suo fungantur munere. 3. Quia in quibusdam officisj experientia necessaria est, non facilè mutandi sunt (*b*).

a P. 4. c. 10 §. 6. & P. 9. c. 6. §. 14. & I.

b P. 4. c. 10. §. 6. & E. & Rc. Præp. 7. & 14. & Rect. 6. & 13.

SECTIO I.

De Ministro.

1.

Ministri Dotes.

INter Officiales necessarios in primis est Minister, qui Vice-Rector, vel Magister Domûs sit; & omnibus, quæ ad bonum universale pertinent, provideat (*c*). Deligendus verò à Provinciali, & præsertim in magnis Collegijs, non valde juvenis,

c P. 4. c. 10. §. 7.

nis, nec absque consultatione. Instruendus in decursu: & is sit, qui aliquando Rector esse possit (*d*).

2. Ministro Superior eam concedet potestatem, quæ, pro personarum conditione, ad rectam gubernationem convenire videbitur (*e*). In virtute sanctæ Obedientiæ præcipere non potest. Eidem tamen omnes Officiales obedire debent, & quicunque alij, etiam Professi, modò sit Sacerdos (*f*). Et qui Ministro clarè diceret, *Nolo facere*, incurreret in quartum casum reservatum inobedientiæ expressæ (*g*). Pœnitentias, juxta præscriptum Superioris, ipse imponet (*h*).

3. Moriente, aut absente Superiore, alicujus loci, nec alio per eum nominato, Vicaria administratio Collegij, vel etiam Domus Professæ, ad Ministrum pertinet. In absentia Superioris, si res urgeat, auditis Consultoribus, exequi poterit, quod existimat fore juxta Superioris mentem: alioqui illius nutum expectet (*i*).

4. Observet in temporum mutationibus, quæ domi mutatio fieri debeat, ciborum, vestium, horarum: & Superiori in memoriam revocet, num etiam aliquid desit, vel abundet ex necessarijs. Ijs potissi-

d R. Prov. 22. Or. c. 1. §. 21.

Auctoritas.

e P. 4. c. 10. §. 7. & R. Min. 1. & Or. c. 2. §. 18.

f P. 4. c. 10. §. 8. & C. 3. D. 21.

g C. 7. D. 45. & Or. c. 2. §. 18.

h R. Min. 13.

Substituitur Superiori.

i C. 8. D. 20. & C. 12. D. 53. & R. Min. 14.

Ejusdem obligationes in ordine ad curanda suorum corpora.

tissimùm consulat, qui sui corporis curam præ ceteris negligunt; curétque ut
l R. M. 5. adsit, cùm Medicus ægrotos inviset (*l*). Peculiarem curam habeat, ut Domus munda sit, & benè composita, præsertim
m R. M. 10. si quâ Externis patet (*m*). Designet ex commissione Superioris, qui lucernas, qui fenestras, communes curet, qui aquã,
n R. 12. & mantilia ad abluendum parent (*n*).

5. Valde commendatum sibi existi-
Et Disciplinam. met quod pertinet ad observationẽ Constitutionum, Regularum, Ordinum, & ap-
o R. 2. probatarum consvetudinum; quas subinde leget (*o*). Frequenter visitabit cubicula, & alia loca; Officiales autem saltèm al-
p R. 3. ternis diebus (*p*). Noctibus singulis portas domûs, quibus in publicum exitur, vi-
q R. 11. sitet, an bene clausæ sint (*q*).

Observet, & Superiori referat. 6. Notet, ac referat Superiori tam defectus, quàm quæcunque alia ad bonam
r R. 8. gubernationem faciunt (*r*). Et an Sacra-
s R. 9. menta diebus statutis frequententur (*s*).

Quomodo cum Superiore aget. 7. Quotidie de rebus omnibus Superiori rationem reddet, & libello excipiet,
t R. 6. quæ facienda commiserit (*t*). Redigat ei in memoriam, quæ necessaria Domui, &
u R. 7. personis judicabit (*u*). Studeat animos omnium inter se per benevolentiam, ac præ-

præſertim cũ Superiore, per Obedientiam unire; & eorum, quæ ingrata accidunt, velit potiùs in ſe, quàm in illum cauſam rejici (*x*). *x R. 13.*

8. In pœnitentijs injungendis, & reprehenſionibus ab animi perturbatione caveat; & caritatem ità præ ſe ferat, ut qui corripiuntur, meritò id fieri recognoſcant (*y*). Cùm quis ab officio removetur, curet, ut ſuum Succeſſorem inſtruat (*z*). Si Subminiſtrum habuerit, utatur ejus operâ; alioqui ipſe contenta in Subminiſtri officio ſuppleat (*a*). *Et cum Subditis.* *y R. 13.* *z R. 4.* *a R. 15.*

9. In magnis igitur Domibus Miniſtro additur Subminiſter; qui eſt inſtrumentum Miniſtri, & aliorum Superiorum. Nihil ordinat, ſed tantùm eſt executor, & exactor actionum domeſticarum, juxta modum ſibi à Superiore præſcriptum (*b*). Erit tamen Superior Noſtrorum, qui Sacerdotes non ſunt: Sacerdotibus ſolùm injungere poterit aliquid, nomine alicujus Superioris (*c*). Vide reliqua in Regulis pag. 235. *Subminiſtri officium.* *b R. Sub. 12.* *c R. Sub. 7.*

10. Syndicus etiam Domi conſtituetur, ubi Miniſtri, aut Subminiſtri opera ad id non adhiberetur; cujus officium erit obſervare in omnibus, quod ad honeſtatem, *Et Syndici.*

d P.3. c.1. §.16. & P.4. c.10. §. 7. & R. Præp. 51. & Rect. 48.

tem, & decentiam externam pertinet, & Superiori referre (*d*). In Universitatibus autem constituendus etiam Syndicus Generalis. Is autem Vir magnæ fidelitatis, & judicij esse debebit; qui tam de personis, quàm de rebus Rectorem, & Præpositum Generalem, & Provincialem admoneat. Præter hunc alij particularesSyndici designentur ex prudentioribus; ut quæ quavis in classe acciderint, ad Rectorem referant: & quamvis nihil habeant quod alicujus momenti sit, tamen diebus Sabbati saltèm se nihil habere Superiori referant (*e*). Horum officium videtur esse illud, cui sub Adjutoris Magistri, seu Bidelli nomine descriptæ sunt Regulæ in Ratione Stud. p. 156.

e P. 4. c. 6. §. 15. & c. 17. §. 7. & K. & R. Rect. 48. & St. R. Prof. sup. 19.

SECTIO II.

De Consultoribus.

I.

Qui, & per quem eligendi.

ADjuvabunt maximèSuperiorem duo, vel plures (præsertim in Universitatibus, ubi quatuor esse oportet) Consiliarij, seu Assistentes: cum quibus res graviores communicet; quorum prudentiæ, & probitati multùm confidat. Quamvis, eis auditis, penes Superiores sit statuendi facultas (*f*). Eos deligere pertinet ad Pro-

f P. 4. c. 10. §. 7. & c.17. §.1.& G.& H. & P.9. c.6. §.14. & R. Præpos. 15. & Rect. 14.

Provincialem, ità ut ſtatim ſuo munere ſungi poſſint; licèt confirmandi ſint poſtmodum à Generali (*g*). Oporteret eſſe diſtinctos à Confeſſarijs; at ſi non diſtincti, ſaltèm conſulendi non ſunt cùm de Perſonis agitur (*h*): mutaríque ſubinde eos convenit (*i*).

g R. Prov. 25.

h Or. c. 1. §. 7.

i Or. c. 1. §. 11.

2. Quales verò ſe præſtare debeant, deſcribitur in eorum Regulis, ubi jubentur afferre ad munus non levis momenti, convenientem zelum, Obedientiæ conjunctum, modeſtiam, charitatem, peritiam Regularum, & Inſtituti (*l*).

Quid ipſi in ſe curare debeant.

l R. Conſ. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 13. 14. 15.

3. Si quid circa victum, veſtitum, labores, & occupationes Superioris, aut circa gubernationem moderandum, augendum, vel mutandum cenſerent; illum, præmiſſa oratione, admonendum curent; quod ferè per Admonitorem facient (*m*); & quaſcumque demum difficultates, ad ſuam perſonam pertinentes, patiatur Superior, Conſultorum ſententijs acquieſcat (*n*).

Quid erga perſonam Superioris.

m P. 9. c. 4. §. 2. 3. 4. & c 5. §. 2. & c. 6. I. & C. 1. D. 82. & R. Conſ. 12.

n Ex. c. 3. §. 12. & D.

4. Cum his autem Superior conveniet ſingulis, vel ſaltèm alternis hebdomadis, & ſemper unà perlegant aliquid ex Regulis, Ordinationibus, & ſimilibus. Prima verò cujuſque menſis hebdomada agatur de

Quoties conſulendi, & de quibus.

de executione: an ſerventur, quæ præſcripta ſunt in Regulis, & Ordinationibus; præſertim quæ à Provinciali in Memoriali relicta ſunt; quas eodem ipſo tempore, legi oportebit, ſi nondum executioni mandatæ ſint (*o*); & ad faciliorem hujus menſtruæ cõſultationis uſum poſſent præſcribi nonnulla examinanda, magìs inhærendo ijs, quibus nondum planè ſatisfactum videtur (*p*). Præterea ſingulis, aut alternis ſaltèm menſibus, Rector habeat conſultationem omnium Magiſtrorum infra Logicam, præſente utroque Præfecto, cæterorum etiam interdum, præſente Præfecto Generali (*q*).

o R. Præp. 15. Rect. 14. & Or. c. 2. §. 10. 19. 20. & C. 6. D. 36. §. 2. 3. & 5. & In. 18. §. 5.

p C. 6. D. 36. §. 7.

q St. R. Rect. 28.

Modeſtia, & Secretum ab ijs ſervanda.

5. Cùm Superior aliquid ſtatuerit, judicium ſuum illi ſubmittent tum interiùs, tum exteriùs; immo ſuſceptam deliberationem Superioris apud alios tuebuntur. Quod ſi videretur rem ad alium Superiorem eſſe deferendam; id præmiſſa oratione fiat apud immediatum illius; aut, ſi is non provideat, ad ſupremum (*r*). Poterunt tamen, etiamſi non interrogati, Superiori proponere, quod publicè, vel privatim expedire judicaverint (*s*).

r R. Conſ. 7. & In. 18. §. 12.

s R. Conſ. 8.

Secreti retinentiſſimi ſint; nec, quæ in Conſultationibus agitata ſunt, evulgent:

&

& Superiores tenentur, qui in hoc deliquerint, punire, pro culpæ magnitudine, etiam uſque ad muneris Conſultorum, aliorúmque non inferiorum privationem (*t*).

t R. Conſ. 9. & C. 7. D. 23.

6. Scribent ad Provincialem bis in anno, menſe Januario, & Julio; & ad Generalem ſingulis annis, menſe Januario (*u*). In his literis, præmiſſa oratione, & re maturè conſiderata, ſincerè, & ſinè amplificatione ſignificabunt, quod ſibi de Superioribus, ac de eorum adminiſtratione, ac rerum ſtatu ſcribendum in Domino videatur (*x*). Capita verò materiæ in literis ad Generalem, diſtinctiùs tradita Ord. cap. 10. quibus addendum, quid fiat, aut prætermittatur circa executionem (*y*), & ſpeciatim, an vigeat praxis collationis Domeſticæ Caſuum Conſcientiæ, juxta Regulas, & Decreta (*z*). Et an ſerventur præſcripta ad cuſtodiam caſtitatis, ac præcipuè circa viſitationes, & ſocios (*a*). Ad executionem omnium promovendam ex §. 4. Decr. 36. Con. 6. formanda ſunt capita, de quibus Superiores, & Conſultores ſcribere debent ad Provincialem; quæ deſumi poterunt, magna ex parte, ex ijs, quæ propoſita ſunt pro Generali. Præterea ad

Quoties, & de quibus ſcribent ad Superiores mediator.

u P. 4. c. 17. §. 7. & L. & P. 8. c. 1. §. 9. & R. Conſul 10. & For. Scrib. R. 20. & C. 7. D. 91. & Or. c. 10. §. 3.

x Form. Scrib. R. 21.

y Cl. c. 2. tit. 2. §. 3.

z C. 13. D. 27.

a In. 15. c. 2. §. 7.

Provincialem ſcribendum eſt; quomodo Præfecti ſpirituales idonei ſint, & ſuo muneri ſatisfaciant (*b*). Et an ab aliquo peccatum ſit, lingvâ, vel calamo contra charitatem proximo debitam, & qualiter correctio adhibita, juxta Decr. 19. Con. 12. Hæ literæ ſigillo (quod apud Admonitorem erit) obſignatæ, mittentur; nec quiſquam eorum ſciat, quid alius ſcripſerit (*c*). Deforis in tergo geminato CC. diſtingvantur (*d*).

b In. 10. §. 12.

c P. 4. c. 17. L. & R. Conſ. 10. & Form. Scrib. R. 23.

d Or. c. 10. §. 3.

SECTIO III.

De Admonitore, & Collaterali.

1.

Admonitoris munus.

QUod cum Præpoſito Generali agendum præſcribitur, ut aliquis à Societate deſignatus, poſtquam Deum conſuluerit, & æquum eſſe judicaverit, cum modeſtia, ac humilitate debita eum admonere teneatur de ijs, quæ ſentiat in illo deſiderari; ídque etiam cum Inferioribus fieri poteſt (*e*).

e P. 9. c. 4. §. 4. & c. 6. I.

A quo deſignandus.

2. Deſignatur igitur Admonitor, tum Provinciali, tum Superioribus localibus; & illi quidem à Generali, ùt dictum eſt ſuprà c. 1. ſect. 3. §. 1.: his verò à Provinciali, confirmandus tamen à Generali (*f*). Hujus

f R. Prov. 25.

jus muneris habes Regulas in Cod. Regul. pag. 157. quarum hæc summa.

3. Admonitor erga Superiorem, summâ modestiâ, & humilitate officium suum obeat; nec hujus muneris occasione reverentiam, aut obedientiam imminuere debet, quam & in subditis fovere debet, salvâ interim necessariâ fidelitate, & libertate (*g*). *Ejus modestia & fidelitas.*

g P. 9. c. 4. §. 4. R. 1. 2. & 7.

4. Admoneat Superiorem de ijs, quæ major pars Consultorum ei dicenda judicaverit: de reliquis non facilè, sed cùm non levis momenti esse, præmissa oratione, censuerit, sive ad Personam, sive ad Officium Superioris pertinebunt (*h*). Quæ suggesserit, non evulget (*i*). Ubi opus erit, iterum, & sæpius de eadem re Superiorem commonefaciet: quin & illius Superiorem, si emendationem desperaverit (*l*). *De quibus, & quoties admonere debeat.*

h R. 2. 3.

i R. 4.

l R. 5.

5. Admonitoris erit ordinarias epistolas Consultorum ad mediatos Superiores mittere, nisi aliâ viâ illi malint; simúlque referet eisdem utrùm illi scripserint, an non (*m*). Non tenetur tamen ad Superiores scribere, quemadmodum Consultores (*n*). Ad has autem literas, aliásque ad mediatos Superiores obsignandas, si- *Epistolæ ab eo curandæ.*

m R. 6.

n C. 7. D. 52.

 gil-

gillum apud ſe habebit; cujus in reliquis nullus ſit uſus (*o*).

o R. 8.

Collateralis munus.

6. Ex Conſtitutionibus Præpoſito, & multò magìs Rectori adjungi poterit Collateralis ſocius: qui licèt Superioris localis obedientiæ non ſubdatur, tamen reverentia ei exhibita, debet alijs exemplo eſſe. Munus Collateralis eſt juvare Superiorem in omnibus, quæ ad ejus Perſonam, aut Subditorum, pertinent, tum conſilio, tum operâ. Superior verò erga ipſum peculiarem dilectionem, & honorem præferre debet, illóque fidenter uti; &, demptâ poteſtate, habeat eum tanquam ſe alterum.

Cur inſtitutũ.

7. Duabus ex cauſis præcipuè Collateralis adjungi debet: Prima eſt, ad ſupplendas aliquas dotes ejus, cui munus præcipuum eſt demandatum. Secunda; ſi aliquis minùs profecturus crederetur, ſi ſub ejus, qui præeſt, Obedientia conſtituatur, quàm ſi adjungatur ùt Socius; dummodo talentum ad eum juvandum haberet (*p*).

p P. 4. c. 17. B. & 5. 7. & P. 8. c. 1. §. 3. & D.

Non paſſim uſurpandum.

8. Hoc autem Collateralis officium, vel nomen (quod Superintendentis poſtmodum eſt vocitatum, ùt conſtat ex Hiſt. Societ. Par. 3. l. 1. n. 44.) nòn uſurpandum

dum esse statutum est, nisi ubi, pro arbitrio P. Generalis, necessitas, vel magnitudo Collegij utrumque postulaverit; neque enim nomen tantum est retinendum. (*q*). *q* C. 2. D. 16.

SECTIO IV.

De Præfecto rerum spiritualium, & Confessariis.

1.

COnstituendus est præterea, qui rebus spiritualibus superintendat (*r*). Cujus muneris cùm summa sit necessitas, peculiari cura incumbendum est, ut ad illud pro dignitate obeundum, longè antè deligantur aliqui, atque instituantur. Igitur ex ipso juvenum numero, qui silentij, & orationis amatores, lenitate etiam, ac dexteritate prædití, Provinciali, auditis Consultoribus, aliísque, videbuntur, adjungendi sunt Socij Magistris Novitiorum, exercendíque in tradendis spiritualibus exercitijs. *Præfecti spiritualis necessitas, & institutio.* *r* P. 3. C. 1. §. 12. & P. 4. C. 10. §. 7.

2. Muneri verò ipsi Provincialis admovere debet maturos senes, longo gubernandi usu, vel conciones habendi, aut Theologiam prælegendi labore fessos, & tanquam ex alto in portum confugientes. *Primarij Viri huic muneri addicendi, ejúsque praxi insistendum.*

 Et

Et in magnis præsertim Seminarijs curabit, ut doctrinâ, & fervore pietatis insignes adhibeantur: extra controversiam enim esse debet, præstantissimi cujusque Viri præclarè stare operam uno hoc in munere occupati (*s*). Et quoniam res est inter potissimas, quæ Provinciali commendatæ sint; Præfectis constitutis invigilet; in Visitatione rationem ab ijs, aliísque reposcat; multum interea illis tribuens, & reverentiam concilians: mandétque Consultoribus Collegiorum, ut quemadmodum in hoc genere procedatur, ad se perscribant (*t*). Ipse etiam quotannis ad Generalem scribat, quos Præfectos constituerit, qua institutione, quo fructu (*u*). Erit etiam Superioris localis excubare ad hujus gravissimi muneris executionem (*x*).

s R. Prov. 24. & In 10. §. 5. 6. & 11.

t In. 10. §. 12. & 15.

u In. 10. §. 14.

x Or. c. 2. §. 6.

Præfecti quæ studia.

3. At Præfectus fidelis sit Societati; ejus instituti, & disciplinæ omnis spiritualis peritus; & in Obedientia, & humilitate exemplum alijs præbeat. Concedendum propterea illi est, ut Sanctæ orationi, Sanctorum Patrum, aliorúmque piorum librorum lectioni operæ plus solito impendat: neque enim putandum hujusmodi artis Magistros existere posse, qui hæc

ali-

aliquando curſim lectitarunt, aut meditati ſunt (*y*).

y P. 3. c. 1. §. 12. & R. Præf. Sp. 1. & 5. & In. 10. §. 7. 8.

4. Eadem ratio ſvadet, ut Præfecti Spiritûs ordinariè non occupentur circa Externos (*z*); quamquam, & ad declinandum prorſus ſolitariæ vitæ genus, & tum ad ceterorum exemplum, expedit eos carceres, hoſpitalia inviſere, aliáque id genus obire munera; ubi minùs illecebræ, plus utilitatis exiſtit, vitatis certis pœnitentibus, & præcipuè fœminis (*a*).

Miniſteria.

z In. 10. §. 9.

a In. 10. §. 10. 11.

5. Totum ſe ergo in Noſtrorum curam Præfectus impendet; amabilem ſe ijs exhibeat, ut ad eum omnes confugiant. Quos inſtruet, ſecundùm uniuſcujuſque captum, quomodo interiùs, & exteriùs ſe habere debeant, in omni virtutum genere, præſertim in recta intentione, orandi modo, pœnitentijs, & Obedientia. Præter eos, quos ſatis inſtructos Superior judicaverit, cum unoquoque agere de his ultra menſem nè differat. Peculiarem verò habeat curam afflictorum, tepidorúmque, tũ Coadjutorum, & Novitiorum (*b*). Quæ verò ſint partes Præfecti ſpiritûs juniorum Scholaſticorum habes Or. cap: 13. §. 3. 4.

Ratio agendi cum Noſtris ſibi commiſſis.

b P. 3. c. 1. §. 12. & P. 6. c. 3. §. 1. & R. Præf. Sp. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & Or. c. 2. §. 6.

6. In his autem omnibus videat, nè à Su-

Et cum Superioribus.

Superiore præſcripta turbentur: immo ſibi proponat in primis curandam Obedientiam, & amorem Subditorum erga Superiorem. Qui pariter intelligat ſua intereſſe Præfectum amari, & in honore, tanquam inſtrumentum ſuum, haberi à Subditis. Omnéſque inter hos duos, quos conjunctiſſimos eſſe oportet, ſuſpiciones, & zelotypiæ præcidantur (*c*).

c In. 10. §. 13.

Confeſſarij deſignandi.

d P. 3. c. 1. §. 11. & R. Prov. 24.

7. Ordinarios Noſtrorum Confeſſarios Provincialis deſignabit; & ex his ferè Præfectum rerum ſpiritualium (*d*). Extraordinarios etiam in renovatione Votorum; ſi hæc circa Viſitationem inciderit (*e*). Plures verò, paucioréſve Confeſſarios deſignare oportebit, prout multitudo, aut aliquorum poſcat utilitas; ſed unuſquiſque ſuum ſtabilem habeat Confeſſarium (*f*). Reliqua ad Confeſſarios Noſtrorum ſpectantia vide ſuprà Par. 4. cap. 1. ſect. 3.

e R. Prov. 131.

f P. 3. c. 1. §. 21. & L. & P. 6. c. 3. § 2.

SECTIO V.

De Procuratore.

1.

Cur Procurator inſtituendus.

SEd in ijs, quæ pertinent ad rerum temporalium conſervationem, præter curam illam, quam non modò Superiori, ſed omni-

omnibus caritas, & ratio imponunt, æquum erit alicui peculiariter demandari hoc munus, ut tanquam bona Domini nostri Jesu Christi, & patrimonia pauperum curet; isque est Procurator (*g*).

g P. 3. c. 2. §. 7. & P 6. c. 3. §. 7. & C. 8. D. 15. & R. Proc Col. 2.

Quinam seligendi.

2. Id autem munus, cùm multiplices obligationes inducat, maximíque momenti sit (nam à re familiari etiam res spirituales, & Societatis status, progressúsque pendent) demandandum est homini valde prudenti, perito, & fideli, nulláque alia occupatione implicito (*h*). Constétque in Provincia non eos tantùm Procuratores fieri, qui nullum aliud talentum habent. Cujus rei gratiâ juverit eos, qui Rectoris officio defuncti sunt, & qui perfuncturi sperantur, huic muneri addici (*i*). Professi tamen quatuor Votorum ordinariè eo non fungantur. Quod si in aliorum hominum idoneorum penuria dispensandum sit, ad Generalem recurratur; qui non difficilem se præbebit, ubi necessitas coget (*l*).

h Inst. temp. tit. 3.

i In. temp. tit. 1. §. 13.

l P. 6. c. 3. §. 7. & D. & C. 8. D. 3.

Instruendi.

3. Designati Procuratores, priusquam officio fungi incipiant, ab aliquo Oeconomiæ bene perito instruantur; rudimenta Arithmeticæ condiscant, & quo pacto libri rationum tenendi (*m*).

m In. temp. tit. 1. §. 12.

Nonnulla eorum jura.

n P.4. c 2. E.& C. 2. D. 82. & C. 7. D. 18.

o C. 2. D. 83.

p C. 6. D. 25 §. 2. & For.Con. Prov. §. 5.

q P. 8. c. 3. A. & c.6. B. & C. 2. D.2. & C.4. D. 35. & For. Con. Prov. §. 32.

Obligationum summa.

4. Quorum agunt negotia, eorum expensis alendi sunt; etiamsi in alijs Societatis domicilijs agant (*n*). Párque est ratio Officialium Externorum; quales v. g. Advocatus, Procurator, Solicitator (*o*). Procurator Provinciæ jus habet ad Congregationem Provinciæ suæ, supra numerum, si ratione Professionis eam non ingreditur; & in ejus locum subrogandus Procurator Collegij maximi (*p*). Si ad negotia tractanda adCongregationem generalem Præpositus Generalis, vel Vicarius judicaverit, præter consvetos, Provincialem, & duos socios, alios esse mittendos, atque adeò eligendos in Congregationibus Provincialibus; in horum electione potissima habenda ratioRectorum, & Procuratorum, aliorúmque Officialium, modò sint, vel Professi, vel Coadjutores Spirituales formati (*q*).

5. Procuratoris munus quinque ferè capita complectitur. 1. Ut bona, ac jura Collegij conserventur. 2. Ut reditus non decrescant, sed potiùs augeantur. 3. Ut quæ Collegio debentur, summâ diligentiâ exigantur; & omnia necessaria opportunè comparentur. 4. Ut res, & pecuniæ rectè dispensentur. 5. Ut dati, &

ac-

accepti ratio semper constare possit.

6. Ut primo satisfiat; habeat Procurator in Archivio Instrumenta originalia jurium sui Collegij; & præterea Librum, in quo sigillatim descripta sint bona stabilia (r). Advertat num ea, quæ possidentur, reparatione indigeant; aut ab injurijs vindicanda sint (s). Et peculiarem habeat curam Ecclesiarum, quæ pertinent ad Beneficia Collegijs unita, & obligationum exinde consequentium (t). Lites maximè declinet; & si quæ necessariò agitandæ, eluceat in eis religiosa moderatio: & in publicis judicijs, per externos Procuratores, negotia peragantur (u); qui optimi eligendi, ùt & reliqui Officiales: non omissa interim per ipsummet cura, ut omnia rectè, & solidè expediantur (x).

Quid præstandum, ut bona, & jura conserventur.

r R. Proc. Col. 19 & 21. & In. temp. tit. 3. §. 1.

s R. Pr. Col. 11. & Inst. temp. tit. 3. §. 2. & 4.

t In. temp. tit. 3. §. ult.

u C. 2. D. 55. & R. Prov. 77. & R. Proc. Coll. 15. 16.

x R. Pr. C. 17.

7. Circa secundum: Bonos colonos habeat. Prædia sint instructa, cultáque diligenter, ex consilio peritorum, & more Patriæ (y). Sed quæ speciem habent secularis negotiationis, sciat Nostris esse prohibita (z).

Et reditus.

y In. temp. tit. 3. §. 3.

z R. Pr. C. 12. & C. 2. D. 61. & C. 7. D. 84.

8. Circa tertium: Nè nimium Rusticis fidat; & colligendorum fructuum tempore illos adibit: à quibus, & alijs debitoribus stato tempore, quod debent, exi-

In exactionibus, & provisionibus.

exiget (*a*). Opportunè res necessarias ad victum comparet; eásque, & collectas fruges ità Officialibus tradet, ut ab eisdem terio quoque mense rationem repetat; ab Emptore verò quotidie (*b*).

9. Circa quartum: Curabit empta consèrvari, & nè in rebus ad victum, & vestitum necessarijs plus absumatur, quàm juxta bonas consvetudines, necesse sit: tametsi id propriè ad Rectorem, & Ministrum pertinet (*c*). Pecunia, undecunque provenerit, in arca reponatur: cujus clavem unam Superior, alteram Procurator custodiet (*d*).

10. Circa quintum: Ut statis temporibus rationem officij sui possit reddere, duos potissimùm Codices habeat, alterum accepti, & expensi, alterum omnium debitorum Collegij, præter alios; de quibus P. 2. c. 2. sect. 3. n. 3. (*e*). & ad omnium Scripturarum, & pecuniæ custodiam clavi cubiculum obseratum habeat (*f*).

11. Hæc omnia ità præstabit; ut nullum alicujus momenti negotium aggrediatur, nisi ipsi à Superiore commissum sit: cui etiam rationem reddet eorum, quæ facit; & diligenter, quæ præscripserit, exe-

a Inst. temp. tit. 3. §. 4. & R. Pr. C. 2. & Pr. D. 2. 3. 4. & 7.

b In. temp. tit. 3. §. 4. & R. Pr. C. 8. 9. & Pr. D. 16. 17.

In usu rerum, ac pecuniæ.

c In. temp. tit. 3. §. 5. & R. Pr. C. 10. & Pr. D. 28.

d R. Pr. C. 5. & Pr. D. 8.

In Libris rationum.

e P. 4. c. 2. §. 4. & In. tit. 3. §. 1. 5. & R. Pr. C. 3. 4. 7. 14. 19. 20. 21. 22. 23. 24. & R. Pr. D. 3. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

f R. Pr. C. 22. & Pr. D. 15.

Quomodo agendum cum Superiore, & reliquis.

exequetur (*g*). Omnes autem, quibuscum conversatur, memor Instituti Societatis, quæ profectui animarum invigilat, curet verbo, & exemplo ædificare (*h*). Si quid peculiare statutum est in Regulis Procuratoris Domus Professæ, id expositum est P. 3. c. 7. sect. 2.

g R. Pr. C. 13. 18. 23.

h R. Pr. C. 1. & Pr. D. 8.

SECTIO VI.

De reliquis Officialibus rerum temporalium.

I.

Pleriq; sint ex Nostris, & quo numero.

REliqui pro temporalibus rebus Officiales, aut plerique, aut omnes (nam Scholastici, & Novitij ex parte possunt aliquando adhiberi) sunt Coadjutores temporales. Cum quibus Superior hæc ferè servabit. Nè plures sint, quàm eorum obsequij necessitas poscat, præsertim in ijs, quæ honestiùs domi, quàm foris fiunt. Cujusmodi sunt in magnis Domibus, Coquus, Dispensator, Emptor, Janitor, Infirmarius, Lotor, Tonsor, Præfectus horti, Sacrista, Scriptor, & eleemosynarum Curator, ubi ex his vivitur: erit autem prudentiæ Superioris eos augere, vel minuere (*i*).

i P. 1. c. 2. §. 2. & A. & P. 3. c. 2. §. 7. & H. & P. 4. c. 3. §. 2. & c. 6. B. C. & c. 10. §. 6. 7. & H. & C. 1. D. 103. & R. Prov. 39. & In. 6. §. 4. & C. 7. D. 82. §. 3.

A quo designandi.

2. Exceptis quibusdam, quorum electio ad Provincialem spectat, eos Superior

rior Domûs prudenter conſtituat; quomodo ſuis fungantur Officijs conſideret: & prout in Domino convenire judicabit, vel in eiſdem Miniſterijs detineat, vel ab ijſdem removeat; ſed quos deprehenderit idoneos, non facilè mutet (*l*).

l P. 4. c. 10. §. 5. 6. & E. & *R*c. Præp. 6. *R*eɛt. 5.

Quomodo in pietate erudiendi.

3. Juventur in ſpiritu hebdomadaria Inſtitutione; quam præſtat à Superiore ipſo haberi, tum quotidiana meditationis explicatione, & frequenti alloquio (*m*): & ipſimet Regulas officiorum ſuorum ſingulis hebdomadis in memoriam revocent (*n*). Reliqua à Superiore circa Coadjutores curanda, vide ſuprà Par. 3. cap. 6. Conſtitutæ autem pleriſque hujuſmodi Officialibus Regulæ, in Cod. Regularum relatæ ſunt pag. 140.

m P. 4. c. 4. B. & C. 7. D. 80. §. 19. & C. 8. D. 38. §. 4. & *R*. Præf. Spir. 7. & Or. 2. §. 16. & In. 8. §. 1. 2.

n P. 4. c. 10. F. & *R*. com. 49.

CAPUT V.

De Vice-Provincialibus, Vice-Præpoſitis, Vice-Rectoribus, & Superioribus Reſidentiarum, & Miſſionum.

1.

Generalis facultas ad eos conſtituendos.

NOn eſt dubium à Præpoſito Generali conſtitui poſſe, qui vices gerant, vel Superiorum Provincialium, vel Localium; cùm penes illum facultas hoc in genere

nere sum̃a sit in Societate, ùt suprà dictum est P. 6. c. 1. sect. 3. Quamquam Vice-Provinciales nequit creare, & in primis si provinciarum stabiles Præsides futuri sunt, qui non sint Professi quatuor Votorum: ídque potiori jure negatur reliquis Superioribus; quibus Vice-Provincialium electio aliquando permissa est (a).

a C. 4. D. 56. & C. 13. D. 12.

Provincialium.

2. Provinciali autem tunc tantùm jus est præficiendi Domibus, & Collegijs suæ Provinciæ aliquem; qui vices Superioris gerat, donec Generalis admonitus provideat; quando scilicet necesse fuerit mutationem facere, & periculum esset in mora; vel si Superior moreretur (b). Nequit autem unquam eum eligere, qui ratione hujus impositi muneris impediretur, quò minus iret ad Congregationem Provincialem, ad quam jus habet (c). Præterea Provincialis sibi substituere potest Vice-Provincialem, 1. quando absuturus est à Provincia, ut intersit Congregationi Generali (d). 2. Morti proximus (nullo Successore in ea Provincia à Generali nominato) aut propter ægritudinem, aliáve de causa inutilis ad gubernandam Provinciam redditus (e). 3. Si judicetur legitimè impeditus, quò minùs ire queat ad Con-

b R. Prov. 22.

c Form. Con. Prov. §. 13.

d P. 8. c. 5. §. 5.

e C. 4. D. 56. & C. 9. D. 11. & For. Con. Prov. §. 32.

Congregationem Generalem, nominare potest, ad eundum sui loco, unum ex tribus primò electis in Congregatione Provinciali (*f*).

f P.6. c 3. B. & C. 6. D. 35. §.3. & Form. Con. Prov. 33.

Et Superiorum Localium.

3. Præposito etiam, & Rectori, cùm Domo, aut vitâ excedit, licet sui Vicarium nominare; cùm aut moneri Provincialis citò nequit, aut alia gravis causa id svadet. (*g*).

g C. 8. D. 20.

Ipso Iure quinam succedunt.

4. Quod si cesset quæcunque nominatio Superiorum; ipso Jure mortuo Provinciali succedit Præpositus Domûs Professæ; vel si plures sint Domus Professæ, antiquissimus Professorum ex Præpositis; vel Rector maximi Collegij, qui sit Professus quatuor Votorum, vel antiquissimus Professorum ex reliquis Rectoribus, aut non Rectoribus, ùt ex Decr. 56. Con. 4. relatum est suprà cap. 1. sect. 1. At Præposito, & Rectori succedit Minister, etiam in Domibus Professis, quamvis ipse Professus non sit (*h*).

h C. 8. D. 20.

Auctoritas horum Substitutorum primi generis.

5. Auctoritas verò horum, qui vices Superiorum gerunt, quando nullus est Provincialis, Præpositus, aut Rector, & toto principaliũ Superiorum officio funguntur, eadem est, ac prædictorum principalium; & in compendio Privilegiorum sub-

ſubintelliguntur eorum nomine, & Superiorum in genere (*i*). Excipe tamen jus ſuccedendi Provinciali demortuo, de quo proximè dictum eſt; neque enim id habent Vice-Præpoſiti, aut Vice-Rectores. (*l*).

i Præf. ad com. Priv. & C. 9. D. 18. & F. Con. Prov. §. 2. & 4. & 32. & 38. & For. Con. Gen. §. 5.

l C. 9. D. 35.

Auctoritas eorundem ſecundi generis.

6. At quando Superiores principales tantùm ſunt abſentes, cùm eandem juriſdictionem retineant, quam præſentes habent; Vicarij hujuſmodi ab illis dependent. Quare licèt eorum Officium ſit Provincias, Domóſve ſibi commiſſas gubernare; tamen gubernationis modum ab illis uſurpatum tenere debent, nihil innovando; & ſi quid alicujus momenti ſe offerat, illud, quoad fieri poterit, uſque ad illorum reditum differant; aut illos per literas conſulant. Quod ſi neutrum rei natura patiatur; nihil ſtatuant, niſi priùs auditis Conſultoribus; & illis redeuntibus facti rationem reddant (*m*). Quo etiam caſu uti poſſunt facultatibus, quæ in compendio Privilegiorum communicantur ſuis principalibus Superioribus (*n*). Poſſunt ſimiliter Vice-Præpoſiti, ac Vice-Rectores hujus generis abſolvere Noſtros à reſervatis, tum per ſe, tum per alium ſibi ſubditum; etiamſi per unam tantùm diem

m C. 12. D. 53. & R. Min. 14.

n Præf. ad Comp. Privil.

Superior absit, nec consuli queat; & licèt discedens Vice-Præpositum, aut Vice-Rectorem non constituerit (*o*). Ijdem tamen non habent jus ad Congregationem Provincialem, nisi Præpositus, vel Rector, aut nullum sui loco designâssent, aut facta ab illis designatio haberi non posset tempore convenienti (*p*).

o C. 12. D. 17.

p C. 12. D. 35. & Form. Con. Prov. §. 4.

Superiores Residentiarum, & Missionum.

7. De Superioribus porrò Residentiarum, ac Missionum fixarum duo jure statuta sunt. 1. Habent eandem facultatem absolvendi à Reservatis, ac alij Superiores, salva tamen ijs, qui ibi degunt concessione Decret. 25. §. 1. Con. 8. (*q*). 2. Nullum habent jus ad Congregationem Provincialem (*r*). Sed excipiuntur Superior primariæ Residentiæ, seu Doctrinæ in Indijs, & totius Missionis Hollandicæ: his enim jus est ad Congregationem Provincialem, at supra numerum, si ratione antiquitatis interesse nequeunt (*s*).

q C. 12. D. 17. §. 2.

r C. 9. D. 18.

s C. 8. D. 51. & F. Con. Prov. §. 1.

CAPUT VI.

De executione ab omnibus Superioribus urgenda.

I.

Necessitas executionis.

QUoniam in bene instituta familia, qualis, favente DEO, est nostra Socie-

cietas, omnes defectus ab uno executionis defectu manare possunt; summus propterea conatus, non in novis Ordinationibus condendis, sed in earum, quas habemus, executione, adhibendus est (*a*). Is verò conatus aliquando non adhibetur, vel non procedit, ex triplici impedimento: scilicet ignorantia, aut oblivione Ordinationum, nimia facilitate in Superioribus, & difficultate objecta à Subditis (*b*).

a C. 6. D. 37. §. 7. & C. 9. D. 26. & In. 18. §. 11. & Cl. c. 1. & 2. initio.

b Cl. c. 2. init.

Privatum studium rerum agendarum.

2. Ut primo incommodo occurratur, à Superioribus paranda est scientia, excitandáque memoria nostrarum legum. 1. Attenta lectione omnium, quæ ad Institutum pertinent; cui cùm primò gubernaturi sunt, vacare debent per duos minimùm menses; & quæ non benè intellexerint, à Provinciali percontentur (*c*) 2. Quotidie, aut certè alternis diebus, horam considerationi impendent; in qua secum, & coram DEO expendant obligationes suas, & Subditorum (*d*). Ad hoc conducet habere præ manibus Catalogum rerum agendarum, confectum ex Regulis, Ordinationibus, & Instructionibus (*e*), & præterea libellum, in quem referatur, quidquid agendum, scribendúmve in dies fuerit (*f*). Vitentúrque externæ occu-

c R. Prov. 18. & Præp. 13 18. & Rect. 12. 17. & Or. c. 1. §. 20. & Cl. c. 2. tit. 2. §. 1.

d Or. c. 2. §. 5. & In. 18. §. 1. & Cl. c. 1. tit. 2. §. 3. & c. 2. tit. 2. §. 1.

e C. 6. D. 36. §. 1.

f R. Prov. 20. Præpos. 19. Rect. 18.

g Cl. c. 1. tit. 2. §. 4.

pationes, quatenus curandæ domesticæ disciplinæ impedimento sunt (*g*).

Consultationes crebræ.

h C. 6. D. 36. §. 2. & In. 18. §. 3. & Or. c. 2. §. 19.

i C. 6. D. 36. §. 3. & In 18. §. 3 & R. Prov. 134.

l C. 6. D. 36. §. 5. 6. 7. & In. 18. §. 5. 6. & Or. c. 1. §. 23. & c. 2. §. 20. & Cl. c. 2. tit. 2. §. 3.

m Cl. c. 1. init. & c. 2. tit. 2. §. 3.

3. Proderit tempore ordinariæ Consultationis legere aliquid ex Regulis, vel Ordinationibus, vel Instructionibus, & similibus (*h*). Præterea singulis mensibus legi oportebit in Consultatione memoriale earum rerum, quæ à Provinciali, vel Visitatore executioni mandandæ relictæ sunt: quas augeri minimè oportet; & priùs quàm relinquantur, Superioribus, aliísque prudentibus ostendendæ sunt (*i*). Quin primâ cujusque mensis hebdomadâ, instituenda Consultatio, ad discutiendum in universum de executione omnium omnino Ordinationum. Et an hoc præstitum sit, & quo fructu, suis temporibus scribent ad Generalem Consultores, tam Provincialium, quàm Localium Superiorum (*l*). Hanc eandem consultationem in singulis locis, quæ visitat, coram Superiore, Ministro, Consultoribus, aliísque, qui aliàs gubernârunt, Provincialis convocabit (*m*).

Nimia Indulgentia cavenda.

4. Ad vitandam autem nimiam facilitatem Superiorum juverit. 1. Si homines naturâ pusillanimes, & qui, etiamsi à malefactis abstineant, facienda tamen non præ-

præſtant, à gubernatione arceantur (*n*). 2. Si Provinciales ſibi devinciant Superiores locales, oſtendentes de illorum auctoritate tuenda ſe eſſe ſolicitos, non facilè præſtando fidem Subditorum querelis, & delationibus : ſi etiam eoſdem Superiores crebrò urgeant : cùm viſitant, de hoc capite nominatim inquirant : & ad Generalem ſingulis ex locis referant, in quo peccetur : ipsíque Superiori privatim indicent, quomodo in poſterum ſe gerere debeat, nè aberret (*o*). 3. Viſitatores, ſeu Provinciales in ſuis viſitationibus, ijs, quæ remedio indigent, curent omnino ante ſuum diſceſſum provideri; ſi juſta cauſa dilationem non poſtulat : reliqua notent in Memoriali, rationem ejus in reditu requiſituri : & ſi Superior ſuâ culpâ prætermiſerit executionem, non maneat impunitus. Continenter verò, & notabiliter negligens tali onere liberandus, etiam ante triennij finem (*p*).

n C. 6. D. 37. §.1. & 7. & Cl. c.2. tit. 2. §. 4.

o C.6. D. 37. & C. 9. D. 26. & In. 18. §. 7. 8. 9. & Cl. c.1. init. & c. 2. tit. 2. §. 2.

p C. 6. D. 37. §. 7. & C. 9. D. 26. & In. 18. §. 11.

Diſpenſandi facilitas.

5. Demum opinionem illam pernicioſiſſimam Superiores omnes deponant; qua nonnulli putant ſibi liberum eſſe diſpenſare, prout volunt: quaſi rectè fiat, quidquid conſcio Superiore fit : cùm potiùs Conſtitutiones, & quæcunque alia

Decreta tot precibus, consultationibúsq; à S. P. N. Ignatio, aliísq; gravissimis Viris condita, majoris momenti censenda sint, quàm ut, pro cujusq; libito, relaxari queant. Et sanè in ijs tantummodo dispensandi facultas concessa est, in quibus constat talem illius, qui legem condidit, mentem fuisse (q). Sed & constat potestatem dispensandi valdè restrictè concessam esse Præpositis, & Rectoribus, 1. ut non nisi cum Particularibus dispensare possint, 2. ut non sinè necessitate, 3. ut non sinè recursu ad Provincialem in rebus majoris momenti, 4. ut si res moram non patiatur, Provincialem primo quoque tempore de dispensatione, ejúsq; causa admoneant. His consentanea Provincialibus ipsis præscribuntur respectu Generalis. Immo ipsi Præposito Generali Constitutiones nostræ potestatem dispensandi arctè circumscribunt, multóq; magìs potestatem dispensandi per alios.

q P. 4. c. 10. B. & P. 9. c. 3. §. 8. & D. & Reg. Prov. 7. & R. Præp. 11. Rect. 10. & Cl. c. 1. tit. 2. §. 1. & c. 2. tit. 1. §. 2.

Quomodo Subditorum repugnantiæ occurrendum.

6. Remedium verò tertij impedimenti, quod in Subditorum repugnantia situm est, peti debet 1. à paterno affectu, quo Subditi à Superioribus verè se amari intelligant; & quidquid solicitudinis, ac vigilantiæ impenditur, id totum à desiderio ipsos ju-

juvandi proficiſci (*r*). 2. A patientia in perferendis laboribus diuturnæ curationis: neq; enim ſatisfacit muneri ſuo Superior, perfunctoria quadam, & brevi cura; & multò minùs, ſi cum Provinciali importuniùs agit, ut refractarius Subditus aliò amandetur. Quod perniciosũ genus conſilij eſt; translati enim huc illúcque infirmi curam, ex animo nullus amplectitur (*s*). 3. Niſi charitate, & dulcedine proficiatur, adverſùs non curantes paterna monita, adhibendæ reprehenſiones, & pœnitentiæ: ità ut intelligant Subditi veniendum tandem ad extrema remedia Dimiſſionis, ſi opus fuerit, quando, alijs tentatis, nihil proficitur. Atq; hujuſmodi diſciplina communis omnibus eſſe debet, etiam antiquioribus, & Superioribus: neq; ulli fit injuria, ſi ob defectus contra Regulas imponantur publicæ pœnitentiæ (*t*).

r Cl. c. 1. tit. 1. §. 1. 2. 5. & tit. 2. §. 6.

s Cl. c. 1. tit. 2. §. 6.

t P. 3. c. 1. §. 15. & N. & R. Præp. 28. & 29. Rect. 27. 28. & C. 6. D. 37. §. 4. & 6. & In. 18. §. 10. & 12. & Cl. tit. 1. §. 2. 3. 4.

Superiorum conſenſus mutuus.

7. Demum plurimum momenti habebit, ſi Superiores omnes Societatis cum Præpoſito Generali, & Superiores locales cum Provinciali, immo & cum ſuis Conſultoribus, Admonitore, Patre Spirituali, & gravioribus, ad urgendam executionem conſpirent; ità ut idem ſentiant, & dicant omnes (*u*).

u C. 6. D. 37. §. 4. & In. 18. §. 12.

PARS VIII.

De Congregationibus Generalibus, & Particularibus.

DUm Societatis Jura Præpoſito Generali auctoritatem maximam, ejúſque tantùm morte finiendam, contulerunt, eò etiam ſpectârunt, ut Congregationes Generales, atque adeò Particulares, frequentes non eſſent (*a*). Verùm quia hujuſmodi cœtus declinari nequibant, cùm vel novus eligendus Præpoſitus, vel alia majoris momenti negotia totius Societatis conſilium poſcerent, ac poteſtatem: illorum celebrandorum ratio conſtituta eſt, & accuratiſſimè relata in Formulas; ut nulla jam hoc in genere nova diligentia deſideretur. Quod intelligens Congregatio duodecima, huic juris Epi-

a P. 8. c. 2. § 1. & c. 4. §. 2. & P. 9. c. 1. & C. & C. 5. D. 54. & C. 11. D. 12. 13. & C. 12. D. 1. 2. & Greg. XIV. p. 281. & Paul. V. p. 310.

Epitome, quam imperabat, minimè adjungendas Formulas pronunciavit (*b*). Quare satis erit Congregationum jura hìc leviter perstrinxisse.

b C.12. Act.15.

CAPUT I.

De Congregatione Generali.

I.

Quando cogenda.

CONgregatio Generalis, ex Constitutionibus Nostris, quatuor in casibus necessariò cogenda est. Primus est, cùm eligendus est Generalis Præpositus in locum demortui (*c*). Secundus, si aliquid accidat eorum, propter quæ Generalis ab officio removendus sit, aliúsque eligendus (*d*). Tertius, si quando Assistentes cum Provincialibus, & duobus Superioribus localibus, pluribus suffragijs cogendam judicarent; seu id fiat ob negotia urgentia, & magni momenti, seu ob impotentiam Generalis (*e*). Quartus, si Generalis cum Assistentibus, & Procuratoribus, qui tertio quoque anno ad Generalem veniunt, cogendam esse statuant (*f*). Demum præter hos casus, in quibus Congregatio Generalis necessariò cogenda est, poterit etiam aliquando convocari, ut de aliquibus rebus majoris mo-

c P. 8. c. 2. §. 1. & Form. Con. Gen. §. 53. 54.

d P. 8. c. 2. §. 1. & P. 9. c. 4. §. 7. & c. 5. §. 4.

e P. 8. c. 2. §. 2. & C. & C. 8. D. 29.

f C. 2. D. 19.

menti tractetur: cujuſmodi eſſent Collegia, vel Domos diſſolvere, aut aliò transferre; vel res admodum difficiles, ad univerſam Societatem ſpectantes, vel rationem procedendi in illa pertractare (*g*).

g P.8. c. 2. §.2. & c. 4. §. 2. & P.9. c.3. §.12.

Non crebrò, at cùm celebratur à Generali juvetur.

2. Hæc tamen convocatio non crebrò facienda eſt, & Præpoſitus Generalis hoc laboris, & diſtractionis univerſæ Societati, quantum fieri poteſt, adimet (*h*). Quod ſi illi, quibus jus eſt, Congregationē Generalem cogendam judicaverint; id Præpoſito Generali gratum eſſe oportet; & ut Congregatio hujuſmodi magna cum diligentia fiat, idem Generalis ſtatuere debet (*i*).

h P.8. c.2. §. 1. 2. & B. C & c. 4. §. 2. & P. 9. c. 1. & C.

i P. 8. c. 2. C.

Quis eam indicat.

3. In primo caſu demortui Generalis indicetur à Vicario Generali (*l*). In Provincijs verò remotis, etiamſi literas à Vicario non accepiſſent, quacunque via de morte Generalis certò conſtiterit, potetunt convenire ad electionem Electorum (*m*). In ſecundo caſu deponendi Generalis Aſſiſtentes indicunt Congregationem, per literas ſubſcriptas ab omnibus, vel ſaltèm tribus: & ſi cauſæ divulgatæ, & communiter manifeſtæ eſſent, non expectata Aſſiſtentium convocatione, Provinciales, alij alios vocando, convenire debe-

l P. 8. c. 4. §. 1. & Off. Vic. §.3.

m Form. Con. Prov. §. 3.

deberent (*n*). In tertio casu, quando Generalis ob senium, vel ægritudinem factus est inutilis (cùm supponatur Electum fuisse Vicarium, juxta Decr. 29. Con. 8. Generali non valente, aut renuente providere) debebit ille Congregationem indicere, ex suffragatione Provincialium, & duorum Præpositorum localium, vel Rectorum, uniuscuiusq; Provinciæ ex Europa, & Patrum Assistentium (*o*). At verò in eodem tertio casu, cùm urgerent negotia tam magni momenti, ut qui assistunt Generali, & Provinciales, ac Præpositi locales duo ex quaque Europæ Provincia, pluribus inter se suffragijs judicarent, quòd cogi debeat Congregatio Generalis, cogetur; ídque Præposito Generali gratum esse oportet. In reliquis casibus convocatio pertinet ad Præpositum Generalem (*p*). Et si ex Decr. Con. Proc. cogenda est; ejus convocationem Generalis ultra sesquiannum non differet (*q*).

n P. 9. c. 5. §. 4.

o Form. Cong. Gen. §. 56. & P. 8. c. 2. C.

p P. 8. c. 2. C. & c. 4. §. 2. & c. 5. §. 1. 2. & P. 9. c. 3. §. 12.

q C. 6. D. 26. §. 3 & C. 7. D. 71. & Form. Con. Proc. §. 9.

4. Cùm Conventus celebrabitur ad eligendum Generalem, aut ad deliberandum de ijs, quæ ad Generalem ipsum spectant, & demum quotiescunque Generalis Congregatio celebratur; habent in ea jus suffragij Vicarius Generalis (si tunc ali-

Quinam conveniant in spectantibus ad Generalem.

aliquis eo munere fungitur) Assistentes, Provinciales Europæ, seu illorum Vicesgerentes, (& hi quidem etiamsi non potuerit præmitti Congregatio Provincialis) (r) & duo præterea in singulis Provincijs intrà Europam, ad hoc negotium electi ex quatuor Votorum Professis (s). Eodem suffragij jure gaudent Procuratores Provinciarum extra Europam; si sint quatuor Votorum Professi, & electi à suis Provincijs, juxta D. 41. Con. 4. (t): qui Procuratores eo jure non excidunt, donec in Europa subsistunt, ex consensu P. N. & alius ejusdem Provinciæ Procurator nondum advenit (u). Si tamen substiterint in Europa, propter aliud munus sibi à Generali traditum; jus Procuratorum expirat (x). Si mittatur Substitutus Procuratoris Indici (modò requisitis in Procuratore conditionibus non careat) eodem jure suffragij, quo Procurator ipse gaudet (y).

r C. 12. D. 51.
s P. 8. c. 3. §. 1. & A.
t C. 2. D. 75. & C. 4. D. 41. & C. 5. D. 77.
u C. 9. D. 36. & C. 10. D. 9.
x C. 12. D. 46.
y C. 12. D. 20.

Quo jure suffragij Generalis gaudeat.

5. De jure suffragij Generalis in Congregatione, quando de rebus ad ipsummet spectantibus agitur, distingvendum est: nam si deliberatur de ijs, propter quæ officio privari fortè posset; non habet jus suffragij in ea deliberatione; sed ubi auditus

ditus est in Congregatione, foras egredi debet (*z*). Si verò ob infirmitatem ejus, aut senium, citra spem convalescentiæ, de subrogando illi Vicario agitur; res partim coram eo, partim in ejus absentia agitanda (*a*): at jure suffragij spoliandus ipse non est, juxta praxim etiam Con. 11. Quandocunque autem intererit, habet duo suffragia, & qualitatem præcedendi, ceteris paribus. Quod secundum etiam datur Vicario Generali, si demortui Generalis loco præest (*b*). Hi omnes, & soli habent etiam jus suffragij activi in electione Assistentium (*c*).

z P. 9. c. 5. §. 4.
a P. 9. c. 5. §. 6.
b P. 8. c. 3. §. 2. & C. 1. D. 4. ante elect. & D. 8. post elect.
c P. 9. c. 5. §. 3. & C. 3. D. 1.

Conventui in alijs negotijs qui adjungendi.

6. Cùm verò in Congregatione agitur de rebus alijs, præter supradictos, habent jus suffragij Secretarius Societatis (*d*), & Procurator Generalis (*e*), & quidem etiamsi contingat tractari negotia ante electionem, ad illam non pertinentia (*f*). Ijdémque habent suffragium activum in Electione Admonitoris (*g*). Cum eadem limitatione admittendi Procuratores, si qui sunt electi in Congregationibus Provincialibus, ad negotia post electionem tractanda (*h*), aut à Vice-Provincijs, juxta formam sibi concessam (*i*). Quod jus est commune ijs etiam Procuratoribus, qui

d C. 4. D. 11.
e C. 3. D. 44. & C. 4. D. 1.
f C. 8. Act. 9. 10. & C. 11. Act. .. & C. 12. D. 1. & C. 13. D. 2. & 4.
g C. 2. D. 22. C. 4. D. 17.
h P. 8. c. 3. A. & c. 6. B. & C. 2. D. 2. & C. 4. D. 35.
i C. 13. D. 6.

qui non sunt missi à Congregatione Provinciali plena, aut abbreviata, sed vel vocati à Præposito Generali ad tractanda negotia, vel missi à Provincialibus, cum approbatione Generalis, saltèm subsecuta missionem ipsorum; præsertim si ex Provincijs extra Europam sitis missi sint; & quoad hos attinet, sufficiet auctoritas Vicarij Generalis, sed suffragantibus Assi-

l C. 13. D. 4. stentibus (*l*). Hujusmodi verò ad Congregationem Generalem deputatis jus illud est, nè literæ ad eos missæ, aut ad has responsa aperiri, vel retineri possint à

m C. 11. D. 27. Superioribus Generali inferioribus (*m*).

Auctoritas Cōgregationis Generalis.

7. De Auctoritate verò Congregationis Generalis satìs constat ex proximè dictis supremam esse in Societate; cùm ei subsit Præpositus Generalis, ità ut eum Officio privare possit, & à Societate etiam removere; si causæ adsint, quæ in Constitutionibus enumerantur; & quarum probationes debent esse efficacissimæ; præ oculis habendo quod ad majorem Dei gloriam, & universale bonum Societatis fore judicabitur (*n*). Ejusdem Congregationis est constitutiones, legésque perpetuas condere, conditásque abrogare (*o*): alienare etiam, aut omninò dissol-

n P. 8. c. 2. §. 1. & P. 9. c. 4. §. 7. & c. 5 §. 4. & C. 1. D. 145.

o Paul. III. p. 10. 16. 22. & Jul. III. p. 62. & P. 4. c. 10. §. 2. & C. 4. D. 19. & C. 7. D. 76.

dissolvere Collegia, vel Domos; cùm enim id sit perinde, ac si membrum ab ejus corpore præscinderetur, cum Societate universa communicari melius est (*p*): ac demum potest Præpositum Generalem, ejus Assistentes, & Admonitorem eligere (*q*). In omnium verò negotiorum tractatione suffragijs secretis non agendum (*r*); quamquam aliquoties adhibita ea sint (*s*). Auctoritas verò hactenus explicata exercenda non est, nisi post electionem Præpositi Generalis, præterquam in spectantibus ad ipsam electionem (*t*).

p Jul. III. p.62. & P.4.c.2.§.3. & c.10.§.2. & c.11.§.2. & P.8.c.2.§.2. & P.9.c.3.§.5.17.18. & C.4.D.23.27.

q P.9.c.4.§.4. & c.5.§.3 & C.2. D.22. & C.3. D.42. & C.4. D.24. & 48.

r C.3. D.13.

s C.5. D.69. & C.8. D.21. & C 11. D.2. & C.12. D.2.

t Paul. III. p. 10. & Jul III. p.62. & P.8. c.7. & C.1. D. 115. & C. 2. D. 51. & C. 3. D. 4. & 33.

CAPUT II.

De Congregatione Provinciali.

I.

CONgregatio Provincialis ea dicitur, quæ in singulis Provincijs ex certo quodam numero Patrum coalescit. Porrò Provinciæ nomen intelligitur ea Sociorum, ac domiciliorum collectio, quæ uni Præposito Provinciali subest (*a*).

Quid sit Congregatio Provincialis, & Provincia.

a C.3. D.16.

2. Aliquem verò uni Provinciæ applicari contingit, vel voluntate P. Generalis, verbo, vel scripto expressa, vel applicatione illius ad aliquod Provinciæ munus

Quid applicari Provinciæ.

nus ordinarium; sive res effectum sortiatur, sive non; nisi revocata foret (*b*). Munus verò hujusmodi, per quod fit applicatio alicui Provinciæ, est quodcunque munus fixum, & stabile ad eam Provinciam, de qua agitur, propriè pertinens, & quidem à P. N. impositum; eóque absoluto, vel dimisso, applicatio cessabit (*c*). Possunt etiam Provinciales, mutuo consensu, mutuis Provincijs suis applicare Personas, sed tantùm in temporarijs, & intra Europam (*d*).

b C. 7. D. 59.

c C. 9. D. 33.

d R. Prov. 112. & C. 7. D. 60.

Quando, & per quem Congregatio indicenda.

3. Congregatio Provincialis non cogenda necessariò olim fuit, nisi cùm celebrandus esset Conventus ad eligendum Generalem, aut ad deliberandum de ijs, quæ ad Generalem ipsum spectant (*e*); vel etiam eligendus Procurator, tertio quoque anno, ad informandum eundem Præpositum (*f*). Nam cùm Conventus Generalis ad res alias indiceretur, liberum erat Generali permittete, ut sinè Congregatione Provinciali duo mitterentur, quos ipsemet Provincialis elegisset (*g*). Sed postmodũ placuit, ut semper fierent Congregationes Provinciales ad eligendos eos, qui ad Generalem Congregationem, seu Præpositum venturi essent (*h*). Spectat ad

e P. 8. c. 3. §. 1.

f P. 8. c. 2. B.

g P. 8. c. 3. §. 1.

h C. 4. D. 35. 37. & 39.

ad Præpositum Provincialem, vel ejus loco ad Vice-Provincialem hujusmodi Congregationem indicere, illámque dirigere (i).

i P. 8. c. 5. §. 3.

4. Jus autem suffragij in ea habebant Professi omnes Provinciæ, qui interesse poterant, Præpositi Domorum, atque Collegiorum Rectores, ac Procuratores, vel ij quos tanquam Vicarios illi suo nomine misissent (l). Sed quia excrescente in dies numero Professorum, & Superiorum, congregandorum numerus excrescebat quotidie magis, non sinè multis, gravibúsque incommodis; post repetitas consultationes statutum est; ut congregandorum numerus, quando pro eligendo Procuratore cogitur, quadragesimum non excedat, nec quinquagesimum, cùm ad conventum Generalem convocatur; & in utroque casu duæ tertiæ Congregationis partes sint Professi; ità ut præter Provincialem, & Superiores locales, & Procuratorem Provinciæ, vel maximi Collegij, tot Professi antiquiores illius Provinciæ conveniant, quot ad præfixum numerum explendum sufficiant (m). Nomine autem Superiorum localium hìc non comprehenduntur Rectores Seminariorum

Qui congregandi.

l P. 8. c. 3. §. 1.

m C. 5. D. 24. & 38. & 60. & 81.

Oo rum

n C. 5. D. 31. rum secularium (*n*), nec Rectores Collegiorum extra Europam, spectantium ad aliquam Europæ Provinciam, nec Professi degentes in his Collegijs (*o*). Supra numerum etiam præfixum admittendi sũt aliqui ex variarum Congregationum generalium decretis, ùt in Formula videre est.

o C. 12. D. 21.

Quæ auctoritas.

5. De Auctoritate verò hujus Congregationis cùm peteretur eam augeri, ad res suarum Provinciarum ordinandas; cõmuni omnium consensu Congregatio Generalis decrevit, præter eam potestatem, quæ habetur in Formula, nullam aliam Congregationi Provinciali tribuendam esse (*p*). A Formula verò tribuitur facultas, non modò ad electiones prædictas primariò intentas, sed & alias Officialium, & Deputatorum ipsi Congregationi inservientium. Possunt præterea Partes legitimè hìc congregati (si modò duas tertias partes eorum, qui convenire deberent, & possent, excedant) ad præsentem praxim, dubia omnia terminare; quorum explicatio Congregationi perficiendæ opportuna videbitur, quoties ex Instituto colligi non poterit (*q*). Negatur autem huic Congregationi, ut duret ultra decem, aut ad

p C. 5. D. 32.

q Form. §. 17.

ad summum duodecim dies (*r*) : & in negotiorum tractatione suffragia secreta non interponuntur (*s*).

r Form. §. 3.

s C. 6. D. 22. & C. 7. D. 11.

6. Pleraque ex dictis, quoad occasionem, & tempus hujus Congregationis spectat, in solis Europæ Provincijs locum habent; nam ceteræ, neque tertio quoque anno, sed tantùm sexto, Procuratores mittere tenentur, neque more aliarum ad Congregationem Generalem convenire possunt: & præterea alia eis privilegia conceduntur, vel ad cogendam, vel ad supplendam Congregationem Provincialem (*t*).

Iura specialia Provinciarum extra Europam.

t P. 8. C. 2. B. & C. 3. §. 1. & C. 4. D. 41. & C. 6. D. 35. §. 13. & C. 8. D. 51. & C. 12. D. 20. & Form. §. 1. & 37. 38. 39. 40.

7. Quo jure supplendi legitimum cœtum Provincialem gaudent Vice-Provinciæ omnes, ad eligendum Procuratorem; qui jure suo admitti debet ad Congregationem Generalem, & ad alia jus habere præterquam ad electionem Generalis, & Assistentium (*u*).

Et Vice-Provinciarum.

u C. 13. D. 6.

CAPUT III.

De Congregatione Procuratorum.

1.

Congregatio Procuratorum instituta est à Congregatione Generali. Cùm

Quomodo instituta.

enim non esset probatum, certum ullum tempus Conventui Generali cogendo præstitui (quod priùs eadem Actione placuerat) decreverunt Partes; ut, quandoquidem Constitutiones volunt ex singulis Europæ Provincijs, tertio quoque anno, saltèm unum mitti, ad faciendum certiorem multis de rebus Præpositum Generalem; hi missi, qui Procuratores dicuntur, Professi quatuor Votorum, & Viri maximè idonei à Congregatione Provinciali electi simul venientes, haberent jus suffragij, unà cum Assistentibus, & ipso P. Generali, ad decernendum, an cogi debeat Congregatio Generalis, nec nè? (a).

a P. 8. c. 2. B. & C. 2. D. 19. & 67.

Tempus ejus an mutandum.

2. Quoniam ex Decreto Innocentij X. quolibet novennio cogenda erat Congregatio Generalis; censuit Congregatio octava, id non fore impedimento, quominus Congregationes Provinciales etiam cogantur quolibet triennio, ad eligendos Procuratores, à quibus exinde celebretur Congregatio Procuratorum; nisi Deputati eligendi sint ituri cum Provinciali ad Congregationem Generalem, transacto novennio cogendam (b). At Congregatio undecima maluit, ut pro ea vice,

b C. 8. D. 10.

vice, uſque ad proximam Congregationem Generalem, vigente Innocentiana Conſtitutione, una tantùm, intermedio tempore, atque adeò poſt quatuor annos cum dimidio, Congregatio Procuratorum haberetur (c). c C. 11. D. 35.

3. Hujuſmodi Procuratoribus conceſſum eſt, nè Literæ ad illos miſſæ, & quæ reſponſa ad eaſdem ipſi dederint, aut aperiantur, aut retineantur à Superioribus Generali inferioribus (d). *Procuratorum Privilegium.* d C. 11. D. 27.

4. Ceterùm hæc Congregatio jus tantùm habet decernendi, ad plura medietate ſuffragia, an cogenda, vel non cogenda ſit Congregatio Generalis, quæcunque demum fuerit ſententia Congregationum Provincialium, non obſtante §. 1. Decr. 26. Con. 6. Præſidet in hac Congregatione Præpoſitus Generalis, & in ea duo habet ſuffragia (e). *Auctoritas Cōgregationis, & Præſes.* e C. 7. D. 10. & Form. §. 8.

CAPUT IV.

De Congregatione ad eligendum Vicarium.

1.

TRipliciter poteſt contingere, ut hæc Congregatio cogenda ſit. 1. Poſt Genera- *Quando convocandæ.*

neralis mortem, si nullus per eum fuerit nominatus Vicarius (*a*). 2. Si Vicarius in prædicto casu electus decedat (*b*), 3. Si ægritudo in rebus magni momenti Generalem ab officio suo avocet, spe emendationis ea in parte sublata; nec ipse sibi Vicarium substituere, aut possit, aut velit (*c*).

a P. 8. c. 4. A. *b* C. 9. D. 14. *c* P. 8. c. 4. A. & P. 9. c. 4. §. 6. & c. 5. §. 6. & C. 8. D. 28. 29.

Quo Præside.

2. Jus convocandi hanc Congregationem, eidémque præsidendi est penes Provincialem. At eo absente, Præpositus Domûs Professæ, & Romæ Vice-Præpositus, modò sit quatuor Votorum Professus, eodem jure gaudebunt. Quod si nulli tales adsint, antiquissimus Professorum ex præsentibus id præstabit (*d*).

d P. 8. c. 4. A. & Form. §. 2.

Et loco.

3. Congregatio autem, quæ post mortem Generalis cogitur, Romæ celebranda est, quocunque tandem loco, intra Romanam Provinciam, ille obierit. At si extra Provinciam Romanam decessit, locus funeris erit etiam Congregationis (*e*).

e C. 12. D. 54. & Form. §. 3.

Qui congregandi.

4. Convenient ad hanc electionem faciendam Professi quatuor Votorum ex ijs, qui apud Generalem fuerint (hoc est in eadem Urbe, & vicinis locis, juxta explicationem tamen C. 12. D. 54) non plures quadraginta, nec pauciores septem, juxta

juxta Professionis antiquitatem, exceptis Assistentibus, qui, si præsentes fuerint, etiam ea seclusa, sunt admittendi (*f*). *f* P. 8. c. 4. §. 1. & A. & Form. §. 1. & C. 9. D. 34. & C. 12. D. 54.

5. Electio fieri debet ad plura medietate suffragia, & ex Professis quatuor Votorum, qui adesse Præposito, & ipsum juvare soliti sunt; vel certè ex ijs, qui proximè degunt, & sunt in rebus Societatis versati. (*g*). *Electionis forma.*

g P. 8. c. 4. §. 1. & c. 3. A. & C. 1. D. 42. & C. 3. D. 21.

Laus DEO, B. Virgini, & S. Ignatio.

INDEX RERUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

Qui

Erga

Appro-

Et Scho-

Non

Itinerum

Et

Zelus,

O.

Obedientia.

Appella-

Forma

Qua-

Idoneis

Quo-

Victus.

Votum

FINIS.